R. P. D. ANTONII

DE GUEVARA

Ord. S. Franciſci de Obſervantia, Epiſcopi

Accitani (aliàs Mondonienſis) *D. Caroli V. Imp. Auguſti*,

Concionatoris, Conſiliarii, & Hiſtorici,

EPISTOLÆ

AC

DISSERTATIONES

In quibus multa S. Scripturæ loca explicantur, antiquitates illuſtrantur, Hiſtoriæ ex omni antiquitate petita referuntur,


ET

Tam publicæ quam privatæ rei adminiſtrandæ pro omni hominum ſtatu præcepta ſaluberrima traduntur, quidquid deniq; fere in vita occurrit, graphicè quaſi depictum exhibetur.

OPUS VERE AUREUM

Ob ſummum dicendi leporem, admirabilem acutiſſimarum ſententiarum ubertatem & multiplicem variæ eruditionis copiam & ornatum, lectu perquam utile & jucundum.

Cum Gratia & Privileg. S. Cæſ. Majeſt.



FRANCOFURTI,

Sumptibus JOANNIS BAPTISTÆ SCHÖNWETTERI.

M. DC. LXXI.

Digitized by Google

Candido Lectori S. P.

RECte Horatius: Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci. *Id ſi de ullo, certe de noſtro Auctore; ac ſi de ullo, certe de hoc Epiſtolarum libro dici poteſt. Ad ipſum Auctorem quod attinet, ſatis ille jam ſuperque notus, quum ex antiqua generis nobilitate (quod ille una harum Epiſtolarum breviter commemorat) tum variis ſcriptis, in* Italicam, Gallicam, Belgicam, *&* Germanicam *linguam ex Hiſpanica translatis. Inter maximas vero hujus viri dotes, nullas ego magis admiror & ſuſpicio; quam incredibilem quævis vitia reprehendendi libertatem, cum pari lepori conjunctam: uti ex ipſa lectione facile deprehendes. Hoc autem te monitum volo,* Benevole Lector, *Auctorem hunc noſtrum in efferendis ſuo arbitratu, vel etiam fingendis hominum, gentium & Scriptorum nominibus, uti etiam in locis ac temporibus deſignandis, licentia quadam uti quam à Germanico interprete ubique fere expreſſam, nos, quantum fieri potuit, emendare, & vera ex Auctoribus nomina petere ſtuduimus.*

Non abnuerim quoque, elegantiam illam quæ in Caſtellana lingua & ipſius Auctoris ſtilo mirifice elucet, pari felicitate forte me non aſſequutum eſſe: id tamen operam dedi, ut ex Hiſpanicis opti-

cis optimis, Latina non peſſima facerem; & ſicubi fortè à verbis, numquam tamen à gemino Auctoris ſenſu longius abſcederem: quod quidem boni & fidelis Interpretis eſt munus. Cæterum, ordinem in collocandis Epiſtolis ſequutus ſum, qui aptiſſimus mihi videbatur. Nonnullorum verò in Parte priore ſeu Horologio Principum quoque contentorum, inque aliis editionibus Epiſtolis hiſce nihilominus additorum cumulatione ſuperflua ſuperſedere potius, Lectoremque Benevolum eo remittere, quam eadem faſtidioſa repetitione hic denuo adjungere ratius duxi.

Elen-

Elenchus Epiſtolarum ac Diſſertationũ.

AUthor CAROLO V. Imperatori de Victoria ad Ticinum, capto Franciſco Galliarum Rege, parta gratulatur. eundemque ad clementiam erga ſubditos qui rebellaverant, adhortatur &c. pag. 1.

De Regis & Imperatoris nominis origine: tum de Regum munere & virtutibus. p 3

De Lycurgo & Legibus ab eo latis Diſſertatio p. 5.

Ad Alphonſum manriquem, Archiepiſcopum hiſpalienſem, & Antonium manriquem, *qua qua vetus fuerit Numantia &c. oſtenditur*. p 9.

Ad Inigum Velaſcum Caſtiliæ Comeſtabilem, *qua eum monet, ut in fontinabienſis oppidi obſidione non tam fortunam experiatur, quam prudentia utatur*. p. 12.

Ad Epiſcopum Tuyenſem, *Gratulatoria, qua ſimul boni Præſidis partes explicantur*. p. 13.

Ad Didacum Paciecum, *de priſcorum hominum longævitate, eiusq; cauſis*. p. 15.

Ad Didacum Caminam, *de latipatente Invidiæ regno*. p 17.

Ad Ferdinandum Corteſium, *qua cauſa explicantur, cur alij inter audiendum ſomno opprimantur, alii non; itemque cur proles alia patris, alia matris &c. vultum referat*. p. 18.

Ad Alphonſum Zunigam, *in qua oſtenditur, nobilis eſſe, cum reprehenſionem non poſſit, ſaltem omnium à ſe turpitudinem & infamiam amoliri*. pag. 20.

Ad Inigum Velaſcum Caſtiliæ Comeſtabilem. *In qua inter alia Laconiſmus, ſeu veterum in ſcribendo brevitas indicatur*. p 22.

Ad Conventus Alcalenſis præfectum, *In qua illud è Pſalmo: explicatur*: Deſcendent in Infernum viventes. p. 24

Ad Abbatem montis ferrati, *In qua ſolitaria vitæ felicitas oſtenditur*. p. 25.

Ad Illuſtrem & Magnificum Don Enrique Enriquez, *qua ad quæſita nonnulla tam ſerio, quam jocoſe reſpondet*. p 27.

Ad Illuſtriſſimum Piſcariæ Marchionem, *in qua de boni Imperatoris officio diſſeritur*. p 28.

Ad Conſalvum Fernandes Cordubenſem, *qua Author demonſtrat, Imperatori poſt res bello feliciter adminiſtratas, fortunam facile rurſus tentandam*. p. 31

Ad Alphonſum Albornium, *qua eorum inurbanitatem exagitat, qui ad amicorum litteras non reſpondent*. p. 34.

Ad Antonium Guevam, *qua illa quæſtio explicatur: Cur Deus Pauli preces de ſtimulo carnis tollendo non exaudierit, ſathanæ vero petitioni de Iobo affligendo aſſenſerit* p 35.

Ad F. Joannem Benavidium, *in qua ſcripturæ Locus explicatur, ſcilicet: Spiritus Domini malus arripiebat Saulem* p. 37.

Ad Don Inigum Manriques, *in qua mira hominis & leonis hiſtoria narratur*. p. 39.

Ad Mirandæ Comitem, *In qua verba illa D. N. Ieſu Chriſti*, Jugum meum ſuave, & onus meum leve eſt, *explicantur*. p. 41.

Ad Joannem de Palamos, *in qua hiſtoria equi Seiani, & auri Toloſani explicatur*. p 44.

Ad Petrum Acunam, *in qua ſaluberrima novi adminiſtrandi imperii præcepta traduntur*. p 45.

Ad Hieronymum Viquium, *in qua oſtenditur quam noxia ſit nimia libertas ſeu licentia*. pag 52.

Ad Joannem Moncadam, *in qua Iræ proprietates & effectus explicantur, & Patientia commendatur*. p. 54.

Ad Fridericum Manriques. *in qua oſtenditur, annum ætatis LXIII. ſenibus periculoſum ac ferè ferè fatalem eſſe*. p 56.

)(3 A 3

Ad Fr. Nunneſium medicum, *de ſenectutis moleſtiis & incommodis, p. 58.*

Ad Fridericum Enriques mari Præfectum, *in qua docet, cur Abraham & Ezechiel proni, ſed Heli ſacerdos & Iudæi ad Chriſtum capiendum egreſſi ſupini in terram prociderint, p. 60.*

Ad Fridericum Enriques, *in qua locus S. Scripturæ* Væ tibi Jeruſalem, quia bibiſti Calicem Iræ usque ad fœces, *explicantur. p. 61.*

Ad Didacum Guevaram, *in qua Auctor Patruum cum diuturno morbo conflictantem conſolatur, p. 63.*

Ad Moſen Rubinum, *in qua amoris, ſenilis præcipuè, ſtultitia & incommoda oſtenduntur. p. 65.*

Ad Alphonſum Suares, *in qua ad Congratulationem reſpondet. p. 66.*

Ad Marchionem Veleſium, *in qua nova quadam miro lepore nunciantur. p. 68.*

Ad Conſalvum Gilium, *in qua illud divini Regis & Pſaltæ,* Inclinavi cor meum ad faciendas Juſtificationes tuas in æternum propter retributionem, *explicantur. p. 71.*

Ad Inigum Velaſcum, *in qua docetur, ſapientis non eſſe quidquam arcani mulieri committere. p. 72.*

Ad eundem Velaſcum, *de Ira penitus ex animo ejicienda. p. 73.*

Ad Alphonſum Fonſecam Epiſcopum Burgenſem, *& Indici Conſilii Præſidem, in qua declaratur, quo tempore & quam ob cauſam Hiſpaniæ Reges Catholici dici cœperint. p. 74.*

Ad Moſen Puchium, *in qua mariti & uxoris officia prolixè deſcribuntur. p. 77.*

Cum paribus contrahendum eſſe matrimonium p. 78.

Mulierem verecundam, ac minimè loquacem eſſe debere. p. 80.

Mulierem tam verbis quam factis verecundam, & domi aſſiduam eſſe debere. p. 81.

Superbiam & iracundiam fœminis fugiendam eſſe, ibid.

De virorum erga uxores officio: ac primum ne rigide eas tractent, maxime noviter nuptas, p. 82.

Cavendam eſſe Mariti nimiam erga uxores Zelotypiam. p. 83.

Conjugum rixas ad vicinorum aut aliorum notitiam minimè eſſe deferendas. p. 84.

A maritis ea, quæ familiæ neceſſaria ſunt providenda & procuranda eſſe 85.

Ad Agnetem Manrique, *Qua pleraque tam Matronis quam Virginibus decora virtutes explicantur. p. 86*

Ad Fridericum Toletanum, Albæ Ducem, *in qua locus quidam Paulinus, & Antiquitates aliquot explicantur. p. 89.*

Ad Cornelium Doctorem, *ad quæſita quædam reſpondens. p. 91.*

Ad Joannem Parelloſum, *abſentium virorum mulieres non eſſe viſitandas, p. 92.*

Ad Petrum Fonſecam, *qua exſulantem conſolatur. p. 93.*

Ad Ferdinandum Toletanum, *qua duo S. Scripturæ loci, tum ſepulturæ apud Ægyptios ritus explicantur. p. 95.*

Ad Fridericum Thalaſiarchum, *in qua apud priſcos uſitati ſepulturæ ritus explicantur, & Epitaphia aliquot deſcribuntur p. 97.*

Ad Rectorem Timaium, *cujus argumentum eſt, Probi patris familias domum omni turpitudinis ſuſpicione liberam eſſe debere. p. 101.*

Ad Sarmientum Hineſtroſæ Prætorem, *qua docet, parentum indulgentia natos corrumpi & perdi. p. 102.*

Ad Inigum Oſorium, *de hominum in iis quæ ſcire volunt aut debent ignorantia. p 103.*

Ad Franciſcam de Guevara, *qua Emblema quoddam & vis amoris explicatur p. 104.*

Ad Franciſcum Manriques, *in qua oſtenditur, quam periculoſum ſit maritis conjugii fidem violare. p. 109.*

Ad N. Guevaram, Auctoris cognatam, *in qua eius caniculæ obitum lugentis ſtultitiam irridet. 112.*

Ad Viliapandum Prætorem Granatenſem, *in qua de bono judicis officio diſputatur. p. 114.*

Ad Rodericum Enriques, *in qua dictum illud S. Iobi* factus ſum mihi ipſimet gravis, *ac ſimul inteſtinum hominis bellum explicatur. p. 116.*

De Ira Diſſertatio, *in qua Pſalmographi illud,* Iraſcimini & nolite peccare, *explicatur. p. 120.*

Ad Franciſcum Mendozam Palentiæ Epiſcopum, *Qua putidi Hiſpanorum, Gallorum, & Italorum*

Digitized by Google

lorũ tam in ſalutando quam ſcribende aulicismi perſtringuntur.p.123.

Ad Epiſcopum Barrienſem, *qua docetur, quam periculoſum ſit habere homines amicos, Chriſtum vere Inimicum. p.124.*

Ad Alphonſum Spinelum, *de ſenectute, ejusque honore, & privilegiis.p.126.*

Ad Ludovicum Bravum, *in qua quam turpis ſenilis ſit amor oſtenditur.p.130.*

Ad Eundem, *in qua & Probi ſenis conditiones aliquot enumerantur; & amoris explicatur pertinacia. p.132.*

Ad Abbatem Complutenſem, *Cur Deus bonos affligi permittat.p.135.*

Ad Lupum Salarem, *Qua ejus avaritia reprehenditur & quadam avaritia proprietates explicantur.p.136.*

De Lingua ejusque Effectis Diſſertatio, *ſuper illud* Mors & vita in manibus linguæ *Proverb. 18.p.139.*

De Perſeverantia Oratio.*p.147.*

De Matrimonialium ſacrorum ritibus.p.163.

Ad Joannem de Tavera, *in qua Tyrannidis & Idelolatria origines ac primordia explicantur. p.157.*

Ad Didaeum Mendozam, *de gentilium Deorum origine.p.158.*

Ad Ducem Albanum, *in qua docet qualis exercitus, contra Turcas educendus ſit: & qua pracipue obſtent quo minus bella proſpere ſuccedant.* p.162.

Ad Garſiam Changez de vela, *hiſteria, qua in Granatenſis regni expugnatione accidit, enarratur.p.167.*

Ad Amicum, *qua malam ejus conſuetudinem, conviciis quemque inceſſere ſoliti, reprehendit.* p.168.

De Regum ac Principum officio Oratio, *ſuper verbis illis Regis Propheta*, Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, &c. *praſente Imperatore habita. p.170.*

Ad Ferdinandum Cordubenſem, *in qua undecim pracipue Chriſtianorum in primitiva Eccleſia perſequutiones recenſentur p.175.*

Ad Vaſtium Marchionem, *in qua atates hominum explicantur.p.177.*

Ad Bernardum del Carpio, *in qua eorum hominum ridetur vanitas, qui contemta virtute inani generis nobilitate gloriantur.p.180.*

Ad Petrum Gironum, *in qua multa in Epiſtolam ipſius jocatur.p.186.*

Ad Carolum V. Imperatorem, *in qua prima pecunia ſeu moneta origo indicatur.p.188.*

Ad Epiſcopum Tuyenſem, *in qua eum non ſine ſale conſolatur, in cuſtodiam conjectum p.190.*

De charitate ſeu divino amore Diſſertatio *ſuper illa verba:* Ignem veni mittere in terram. *p.190.*

Ad Antonium Mendozam, Indiæ Proregem, *in qua de annulorum inventione & uſu multa non minus eleganter quam utiliter diſſeruntur p.199.*

Ad N. Scuderum J.C. Cæſareæ Majeſtatis à Conſiliis, *in qua de proxenetis agitur, quamque perniciosum id genus hominum reipublica ſit, oſtenditur.p.203.*

Ad Rodericum Moreionum, *in qua quum veri amici, tum quoque boni judicis partes explicantur p. 204.*

Ad N. Bracamontium Commendatorem &c. *In qua eum ob peccata & libere obiurgat, & conſolatur.p.206.*

Ad N Aquileram Commendatorem &c. *in qua eum & negligentia in ſcribende & incivilitatis accuſat. p.207.*

Ad Didacum Cardillum, *in qua de duello, & utrũ illud licitum ſit, diſputatur.p.208.*

Ad Antonium Acunam Epiſcopum Zamorenſem, *in qua graviter eum reprehendit, quod rebellium contra Regem ducem ſe prabuerit.p. 210.*

Ad eundem, *in qua ei ſuadet, ut ad Regis gratiam ac ſervitium ſe recipiat.p.213.*

Ad Joannem Padillam, *Ejusdem argumenti, qua eum à Rebellione dehortatur.p.216.*

Ad Mariam Joannis Padillæ urorem, *Eiusdem cuius ſuperior argumenti. p. 218.*

Oratio ab Auctore Villæbraximæ habita, *qua Ligiſtas hortatur ut ad Officium & Obedientiam redeant.p.221.*

Ad Petrum Gironum, Epiſtola Conſolatoria, *in qua privilegia aliquot exſulum recenſentur. p.225.*

Elegans de Exſulum moleſtiis eorumque remediis diſputatio. p. 227.

Sequuntur exempla aliquot eorum qui exſilium fortiter tulerunt, adeoque laudem inde & utilitatem conſequuti ſunt. p.228.

Exſulantium praregativa ſeu Privilegia.p.229.

Ad

Ad D. Sumiere Neapolis Regentem, *in qua ad quæſtiones quaſdam reſpondetur. p. 230.*

Ad Leonoram Guevaram marito orbatam, Epiſtola conſolatoria. p. 233.

Ad Seſſæ Ducem, *qua ad quæſtiones nonnullas tam jocoſas quam ſerias reſpondetur p. 237.*

Ad Oſorium Canonicum, *in qua cauſas explicat, cur homines hoc tempore ſine ullo metu aut pudore peccatis indulgeant. p. 239.*

Ad D. Seudarum Regium Conſiliarium, *in qua Aſtronomiæ atque Aſtrologiæ abuſus breviter indicatur. p. 242.*

De Ebrietate Diſſertatio. p. 244.

Priſcorum Philoſophorum de Ebrietate Iudicia ſeu ſententia. p. 246.

Ad Ducem Feriæ. *in qua cauſa explicantur, cur Deus charos ſibi affligi patiatur. p. 247.*

Cur boni in hac vita à Deo tribulationibus, afficiantur. p. 249.

De Somno & Vigilia eorumque utilitatibus ac damnis Diſſertatio. p. 251.

Quam utile ac neceſſarium ſit homini Chriſtiano vigilare? p. 254.

Ad Medinæ Cœli Ducem, *in qua belli ac pacis cauſa explicantur, p. 256.*

Materia ejuſdem proſecutio: & cauſa cur Reges & Principes teneantur omnia ſcelera è ſuis ditionibus extirpare. p. 257.

Materia ejuſdem continuatio, & de utilitate veræ pacis diſſertatio. p. 258.

Qua ratione inter impios pax regnet, & qualis pax à nobis eligenda. p. 259.

Præclara admonitio & ratio, cur divitibus conceſſum non ſit præſentibus pauperibus adjutorium ſuum ſubtrahere; & naſcituris providere p. 261.

Ad Doctorem Vaſcos, *in qua explicatur, cur Deus cor Pharaonis induraverit. p. 266.*

Sublimis & Elegantis ſtyli Epiſtola, *cur Sacra Scriptura Chriſti paſſionem vel mortem ſpectaculum vocet, & Iudæi pectora percuſſerint. p. 268.*

Epitaphium auctoris. p. 272.

De Moleſtiis aulæ & ruſticæ privatæque vitæ laudibus Liber Elegantiſſimus. p. 273.

AUCTOR

Digitized by Google

AUCTOR CAROLO V. IMPERATORI DE VICTORIA AD TICINUM, CAPTO FRANCISCO GALLIARUM REGE, PARTA GRATULATUR, EUNdemque ad clementiam erga ſubditos qui rebellaverant, adhortatur, &c.

SOlonis inter leges, quibus Athenienſium Rempublicã is conſtituerat, & hæc fuit, ut eum diem, quo victoriam ab hoſtibus eſſent conſecuti, & Deorum ſacrificiis, & eorum, qui fortiter ac ſtrenue in prœlio ſeſe geſſiſſent, honoribus ac præmiis concelebrarent, uti ſcilicet poſthac & illis tanto magis propitiis, & his tanto ad quævis erga patriam obſequia promtioribus uterẽtur. Iidem, Plutarcho teſte, Xerxis exercitu in campis Marathoniis profligato, Dianæ Epheſinæ tantam auri & argenti vim donariorum nomine obtulerunt, ut univerſæ Græciæ opes eò congeſtæ viderentur. Etruſcis & Volſcis à Camillo victis, Romanæ matronæ Apollini Delphico ornamenta ſua aurea atque argentea, atque adeo omnem mundum muliebrem dono miſerunt. Sylla quidem, bello contra Mithridatem feliciter confecto, non manubias tantum, ſed etiam pateram ſanguine ſuo plenam Marti obtulit & conſecravit. Inclytus Hæbreorum dux Iephthes votum fecit, ſe parta de hoſtibus victoria, filiam ſuam Deo immortali immolaturam; idque exſolvit.

Dei beneficia grata manu accipienda.

Quæ omnia eò pertinent, ut Reges, Principes ac duces intelligant, quam gratis animis quum omnia Dei dona, tum inprimis præclaræ ejuſmodi victoriæ, è Dei manu accipiendæ ſint atque agnoſcendæ. Ut enim illis in proclivi eſt bellum ſuſcipere ac gerere; ita ſolius Dei eſt victoriam, cui velit, largiri. Deo quidem nihil tam exoſum eſt, quam animus pro acceptis beneficiis ingratus. Hominum beneficia beneficiis compenſari æquum eſt: at pro omnibus quæ benigne nobis Deus facit, nihil aliud quàm gratum animum poſtulat. Beneficio certe indignus eſt, qui beneficium non agnoſcit. Ingrato homini nec Deus auxilium, nec homines operam & ſervitium præſtare dignantur. Quæ quidem eò à me dicuntur, Invictiſſime Imperator, ut tanto melius intelligas, quantum Deo Opt. Max pro nupera hac præclariſſima & admirabili victoria, qua Galliarum Rex captus, & in ſuis ipſius triremibus in Hiſpaniam captivus abductus eſt, debeas; tum ut fortiſſimos duces ac milites, quorum virtute ea victoria parta eſt, qua par eſt gratia & favore proſequaris. Illud quoque perpendas, atque ex hoc ipſo colligas moneo, quam dubii atque incerti ſint bellorum exitus. Quid enim? Annon Galliarum rex ipſe, quum ſuorum, tum complurium Italicorum Principum corona cinctus, & omnium fere auxiliis & favore adiutus, prælio interfuit, & tam boni militis, quam imperatoris officio functus, nihilominus victus & captus eſt, præcipua Nobilitate & militum robore amiſſis.

Pro omnibus Deus nihil niſi gratum poſcit animũ.

Dubia Martis alea.

Erras profecto, Imperator, ſi victoriam hanc tuæ vel prudentiæ vel felicitati feras acceptam. Iſtiuſmodi enim eventus non à cæcæ Fortunæ arbitrio vel temeritate, ſed à certa omnipotentis Dei providentia dependet. Quod ſi divinus vates idemque rex ac vir Deo acceptiſſimus, David inquam, divinorum erga ſe beneficiorum magnitudine quaſi obſtupeſcens, exclamare non dubitavit: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* quid miſeris nobis pèccato-

à Deo victoria.

catoribus faciundum erit, qui nec ſatis ſcimus quid agamus, nec quidquam habemus quod Deo demus? Tanta eſt naturæ noſtræ imbecillitas, tanta conditionis vilitas, tanta rerum omnium inopia, ut niſi illud ipſum, quod Deo debemus, Deus nobis dederit, nihil omnino quod demus, habituri ſimus. Atqui majus ille nobiſque melius dare nihil poteſt, quam gratiam omnibus vitæ noſtræ diebus ipſi ſerviendi, omneſque peccandi illecebras & occaſiones vitandi. Equidem tibi, ô Imperator, nequaquam auctor ſum, ut Romanorum exemplo cimelia tua & res pretioſiſſimas Deo, in grati animi teſtimonium, offeras, aut, quod Græcos feciſſe dixi, aurum & argentum templis inferas; multo minus ut ſanguine tuo, velut Sylla, Deo ſacrifices; aut liberos ex te natos, ceu Jephthes, immoles. Unum, unum eſt, quod ut facias moneo, hortor ac rogo, ut ſcilicet ſubditorum Caſtulonenſium, qui pravis conſiliis impulſi tibi rebellarunt, inſolentiam & contumaciam bona fide ex animo deleas atque obliviſcaris, ejusque ultionem Deo commendes. Neque enim ullum ſupremo Numini gratius offerri poteſt ſacrificiũ, quam animus ad ignoſcendum facilis. Munera quæ homines ſibi invicem mittunt, ex arca depromuntur; at injuriarum oblivio ac venia ex intimis cordis penetralibus proficiſcitur. Neque enim quicquam altius animo inſidere ſolet, quam injuria & contumelia: quæ animum acutiſſimis ſtimulis aſſiduè fodiunt, & in diverſas partes diſtrahunt, dum ratio eas contemnendas, cupiditas ulciſcendas ſuadet. Meo quidem conſilio ſi uti velint Principes, id operam dabunt, ut ob manſuetudinem amentur potius à ſubditis, quam ob ſeveritatem metuantur. Multos enim metuat neceſſe eſt, quem multi metuunt. Sed tanto faciliorem miſeris his, qui arma contra Majeſtatem Tuam ceperunt, veniam largiri debes, quod eorum alii jam mortui, alii in exilium pulſi, alii graviſſimis incommodis & calamitatibus immeriti, ſatis pœnarum jam dediſſe videntur. Annon ſatius fuerit, miſeris ignoſcendo, æternam clementiæ laudem, quam eoſdem ulterius exagitando, crudelitatis opinionem conciliare, adeoque omnium odio & conviciis ſeſe exponere? Aſpice miſerorum illorum uxores deſolatas, & ad extremam redactas inopiam; aſpice cognatos & amicos, quorum animis incertum eſt an miſerorum illorum fortuna majorem luctum, an fronti pudorem imprimat: aſpice parentes liberis, liberos parentibus orbos: quibus ſi tu clementer ignoſcas, ipſius quidem beneficii ſenſus ad paucos, at fructus cum immortali nominis tui laude conjunctus, ad omnes pertinebit. Semper quidem & in omnibus tutior eſt contumeliæ oblivio quam ultio: cujus cupiditas immane quàm multos peſſumdedit! Julio Cæſari non tantam erga omnes eos qui Pompeii partes ſequuti fuerant, uſurpata clementia benevolentiam conciliavit, quantum unius Pompeii cædes odium & invidiam conflavit. Illum tamen nullius rei tam facili obliviſci ſolitum ferunt quam injuriarum; nec ullas unquam rationes accuratius ſubduxiſſe, quam ut pro beneficio accepto gratiam referret. Inter Romanos Imperatores duo numerantur, ut nomine, ita moribus planè diverſi, Nero & Antoninus: quorum illius ob nefaria ſcelera & inauditam crudelitatem, nomen æterna deteſtabilis tyranni infamia notatur, hodieque omnibus abominationi atque horrori eſt; hujus vero ob incredibilem animi manſuetudinem ac clementiam, Pii cognomento condecorati, memoria, ſingulari cum omnium amore & benevolentia etiamnum uſurpatur. Cetera vitia, ut avaritia, inconſtantia, ſocordia, profuſio, in Principe id efficiunt, ut ad populos regendos minus aptus videatur; at nimia ſeveritas, cupiditas ultionis, &, ut uno verbo dicam, crudelitas vix ac ne vix quidem in tyranno Deo hominibusque exoſo tolerantur. Neque enim qui aliena diripit, ſed qui crudelitatem in cives, adeoque omnes exercet, Tyrannus cenſetur. In Imperatorum catalogo quatuor Caroli numerantur, Carolus Magnus, Carolus Bohemicus, Calvus, & Carolus Craſſus: his tu Quintus accedis, quem multo pulchriori, eodem, ſcilicet quo Antoninum, elogio & cognomento, Pii nimirum, inſigniri ac cohoneſtari, & non minus quam illum ab omnibus ſubditis amari optamus. Sed jam Calliſthenes mihi aurem vellicat, illud inſuſurrans, Conſilium quod Magnatibus demus, paucis verbis, ſed ſolidis rationibus comprehendi debere. Quare dicendi finem facio, unum hoc prius, tanquam è tripode, effatus: neque ad promerendam Dei gratiam, neque ad conciliandum ſubditorum amorem quidquam efficacius eſſe quam Clementiam, & ſummum in rerum poteſtate omnium modum.

Gratiſſima Deo eſt injuriarum oblivio.

Sit modus pœnæ.

Tutius eſt obliviſci quam ulciſci injurias.

Crudelitas Deo hominibusque invisa.

DE

DE REGII ET IMPERATORII NOMINIS ORIGINE: tum de Regum Munere & Virtutibus

DISSERTATIO

Ad Carolum V. Imperatorem habita.

Principes obſequio magis quã conſilio delectãtur.

DIe feſto tribus Regibus ſacro, in Regis palatio, & præſente quidem Rege dicturus, quid potius quam de Regibus, eorumque officio dicere poſſim aut debeam? quamvis non ignorem, ut jam ſunt mores, obediendi magis & inſerviendi, quam docendi aut commonefaciendi officium ac ſtudium Reges hodie requirere. Quum vero apud eum mihi verba facienda ſint, qui non Regia ſolum, ſed & Imperatoria dignitate fulget; non abs re facturus mihi videor, ſi utriusque tamquam ſupremi inter homines gradus nomen atque originem explicuero; ut & imperandi officium, & parendi diſciplina tanto melius cognoſcatur.

Regum appellatio & origo.

Primo quidem apud varias gentes varia Regum fuit appellatio. Ægyptii Pharaones, ac deinde Ptolomæos; Parthi Arſacidas; Latini Tarquinios; Albani Sylvios; Siculi Tyrannos; Argivi vero Baſileas eos appellabant, qui apud eos rerum potiebantur: qui hodie ut plurimum Reges dicuntur. Primus Regum, ſi Argivis credimus, Phoroneus fuit; quamvis Græci Laomedontem prodant. Utra ſententia vera ſit, novit qui omnia. Etſi vero illud, quis primus fuerit, ut nec illud, quis poſtremus futurus ſit, pro certo ſatis ſcimus: ſcimus tamen eos omnes qui fuerunt, jam olim mortuos eſſe, & qui poſthac futuri ſunt, itidem morituros: quum Parcæ illæ nemini parcant: & inexorabilis Mors, ut Poëta ait, ſceptra ligonibus æquet. Olim quidem Regium nomen non dignitatis, ſed officii & publici erat muneris: nec perpetui erant Reges, ſed novi quotannis eligebantur, non ſecus ac hodie iis, qui pro Regibus rempublicam adminiſtrant, ſucceſſor dari ſolet.

Tyrannus quis.

Tyranni vox non honeſta tantum, ſed ſplendida olim fuit, adeoque omnib. penes quos ſumma erat imperii, tribuebatur: poſteaquam vero animadverſum eſt, alios melius ac juſtius aliis imperare, ii quidem, qui moderate imperio uterentur, Reges; qui vero cupiditatibus ſuis indulgerent, ac proculcatis legibus, ſua voluptate atque utilitate omnia metiebantur, Tyranni appellari cœperunt. Ex quo intelligitur, Regum appellatione eos tantum vere dignos eſſe, qui Rempublicam bene & laudabiliter adminiſtrant. Quo jure Rex dicatur, qui regendi artem nec tenet, nec exercet?

Deus in Ægypto ſibi domicilio & Eccleſiæ conſtitutæ atque inde eductæ non Reges, ſed duces vel Judices præfecit, qui populo jus dicerent, & contra vim præſidio eſſent: quales fuerunt Moyſes, Joſua, Gedeon, Jephthes & Samſon; qui populo non ut ſervis, aut ſubditis, ſed ut fratribus utebantur. Et hæc quidem forma Reipublicæ ad Samuelis uſque tempora duravit, ſub quo Iſraelitæ Regem ſibi dari petierunt, à quo, ad inſtar cæterarum nationum, regerētur ac propugnarentur: quorum precibus Deus, etſi invitus quodammodo annuens, Saulem Regem renunciari juſſit.

Romani initio adminiſtrandæ Reipublicæ Reges, bellis vero gerendis Duces adhibuerunt: ſed illorum imperia tam graviter tulerunt, ut ſeptem tantum omnino Reges apud eos commemorentur. Nihilominus quum è vatum & aruſpicum reſponſis intellexiſſent, Regium nomen ſacroſanctum eſſe, ac diis peculiare; ne Rege deſtituerentur, Regem Sacrorum dixerunt primarium Jovis ſacerdotem, qui Regis quidem nomen gerebat, at ſacerdotis officium ac munus exſequebatur.

Rex Sacrorum.

Explicato Regis nomine, conſequens eſt ut Imperatorium quoque, ſive Cæſareum nomen ac dignitatem, quæ præcipua hodie eſt, & ardentiſſimis etiam ſummorum Principum ſtudiis expetitur, paucis enucleemus atque indicemus. Scythæ quidem, Aſſyrii, Perſæ, Medi, Græci, Trojani, Palæſtini, & Ægyptii Duces habuerunt ac Principes non bellicoſos tantum ac ſtrenuos, verum etiã Reipublicæ adminiſtrandæ peritiſſimos: quorum tamen nemo Imperatoris ſive ſupremi Monarchæ nomine à ſuis cohoneſtatus, multo minus id ſua ſponte ſibi ſumere auſus fuit. Priſcis enim illis & adhuc aureis temporibus non inanibus verborũ titulis, ſed fortiter ac præclarè factis verus honor atq; dignitas æſtimabatur. Romani nomen hoc non quidē ſummis in Republic. Principibus aut Magiſtratibus, ſed ſupremo belli ſive exercitus Duci, primi tribuerunt. Iidem annuos habebant magiſtratus: ac primũ quidem Rex Sacrorum ſive ſummus Sacerdos dicebatur, inde dictator, Conſules, Tribuni plebis, Imperator, Cenſores

Imperatores qui dicti olim.

Digitized by Google

ſores, atq; Ædiles creabantur. Ex quo perſpicuum eſt, Imperatorum nomen non dignitatis, ſed muneris tantum, ſive magiſtratus, & quidem annui fuiſſe. Hinc Q. Cincinnatus, Furius Camillus, Marcus Marcellus, Q. Fabius, Annius Fabricius, Lucius Metellus, Sempronius Gracchus, Scipio Africanus, & alii omnes, qui Reipublicæ copiis ſive exercitibus ſummo cum imperio præerant, Imperatores dicti fuerant: quo tamen nomine unà cum magiſtratu eodem momento ſeſe abdicabant, gẽtilitio contenti. *Poſt* victoriam *Pharſalicam*, devicto *Pompejo* & oppreſſa Republica, Julius Cæſar, non ignarus, quàm odioſum Romanis eſſet Regis nomen, de amicorum ſententia, quamvis Regiam dignitatem invaſiſſet, Imperator tamen ſive exercitus dux appellari maluit: à quo, ut & ſucceſſore ejus Octaviano Auguſto, cæteri deinceps omnes, Tiberius, C. Caligula, Claudius, Nero, &c. ad hæc uſque tempora Auguſti, Cæſares ac Imperatores ſunt denominati.

Magna virtuti magnus honos debetur.

Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, ſatis, opinor, conſtat, unde Regium nomen deductum ſit, & unde Imperatoria dignitas orta ſit: reſtat jam ut quomodo Rex regnum, Imperator imperium adminiſtrare debeat, ediſſeramus. Ac primo nemini dubium eſt, quin ut ſumma hæc utraq; eſt dignitas, ita ſummæ utraq. virtuti debeatur. Abſurdum ſit, immo turpe reique publicæ pernitioſum, ſi aratro dignus ſceptrum, & ſceptro dignus aratrum teneat. Parum eſt dignitatem quantamcunque obtinere, niſi ea quis dignus ſit. Quod ſi in eo ſingularis virtus requiritur qui Rex eſſe velit; quanto major in eo qui ſimul Rex eſt & Imperator. Malis Princeps nullum beneficium fert acceptum: at apud bonum etiam minimi ratio conſtat. Ingrati erga Deum & homines Principis conſilia plerumque videas male ſuccedere, & ditionem multis miſeris affligi: ſic ut quæ unus peccat, multi luere cogantur.

Rex ex Dei præſcripto qualis eſſe debeat.

Ne vero quis dicis tantum cauſſa hæc à me dici, aut è meo cerebro confingi exiſtimet, locum aliquem S. Scripturæ proponam atque excutiam, qui Regis aut Principis tam publicum quam privatum munus deſcribat. Neque enim in principe ſufficit ut bonus ſit, verum etiam requiritur, ut bene Rempublicam adminiſtret, ſed nec hoc ſine altero ſatis. Deuteronomii XVII. capite Deus Moſi hæc fere loquitur: *Ex fratribus tuis eliges tibi Regem ſuper te, non peregrinum. Is vero Rex factus, nec multos equos alet, nec populum ad Ægyptum convertet. Sed nec multas uxores ducet, ne cor ipſius averſum, ad illas trahatur. Superfluum etiam argentum & aurum non colliget, nec in ſuperbia cor ſuper fratres ſuos elevabit, nec à lege vel ad dextram vel ad ſiniſtram deflectet.* Quæ verba ſi pro materię dignitate atque ubertate explicare velim, nullum equidem dicendi finem ſim reperturus. Paucis ergo tantum ſingula capita perſtringam.

Primo vult Deus, ut Rex Iſraelitici populi indigena ſit, id eſt, Hebræus & circumciſus, non gentilis. Neq; enim ferre poterat Deus, ut populus, qui ipſi ſerviret, ab eo qui idola coleret, regeretur. Sic ergo æquum eſt & nunc, ut qui Chriſtianis imperat, & ipſe tam re quam nomine Chriſtianus ſit. At Chriſtianus nulla re magis dignoſci poteſt, quã ſi Deo factas contumelias & blaſphemias ſeveriſſimè ulciſcatur, ſuas obliviſcatur. Indigena is cenſendus eſt, qui verbũ Dei amat & ſervat, & Eccleſiam defendit. Audacter dico, regno dignus non eſt, qui non ſummo divinę legis ſtudio & zelo flagrat.

Quis Chriſtianus.

Jubet etiam Deus, ne Rex futurus multos alat equos, id eſt ne regni aut publicas opes luxu prodigat, numeroſam familiam & oneroſum inprimis equitatum alendo. Hoc quidem ii ſumtus minime prohibentur, qui vel hoſpitibus excipiendis, vel alendis miniſtris, vel benemeritis renumerandis, vel denique Principis tam magnificentiæ quam munificentiæ tuendæ ſunt neceſſarii: ſed illud tantum monentur Principes, ut inutiles ſumtus fugiant, opesq. ita diſpenſent, ut liberales, non prodigi videantur.

In aula plus perditur quam conſumitur.

Tertio, quod futurus Rex prohibere jubetur ne populus in Ægyptum revertatur, ſic intelligendũ eſt, ut ne populum deos alienos colere, aut Pharaoni ſervire amplius permittat. Quum enim ſolus Deus ſuo nutu omnia crearit, & ſua potentia omnia moderetur ac regat; ſibi quoque ſoli debitum cultum præſtari vult, ut ſcilicet ſolus adoretur atque invocetur. Ægypto egredi eſt peccata fugere; at in Ægyptum revertitur, qui in peccatum relabitur. Ad boni ergo principis officium pertinet, non ſolum pios defendere & præmiis afficere, verum etiam impios punire, & à malo deterrere. In Ægyptum revertitur quiſquis non clam ſed palam peccat, & malos mores ultro profitetur ac præ ſe fert: quod genus hominum Princeps nequaquam ferre, ſed modis omnibus coercere debet. Occulta enim peccata ad Dei; at manifeſta, ad Regis ſeu principis tribunal pertinent. In Ægyptũ quoq; reverti ſubditos principes permittit, quando ipſo connivente, mutua exercent odia, aliena ad ſe rapiunt, egenorum facultates uſuris exhauriunt,

Manifeſta qui fert delicta, facit.

riunt, libidinibus indulgent, & quæcunq; flagitia palā perpetrant. Qui enim ad iſta connivent principes, etiamſi culpæ ſocii hic non ſint, ibi tamen pœnæ ſocii ſunt futuri. Ut vero Rempublicam recte atque utiliter adminiſtrent, neceſſe eſt, ut non modo à bonis amentur, verum etiam ab improbis metuantur. Quod ſi quem in deliciis habeant arrogantem, ſuperbum, libidinoſum, aut quibuscunq; aliis vitiis laborantem, ei quidem de facultatibus, quantum videbitur, communicabunt, at ejus cauſſa ne minimam quidem labem conſcientiæ ſuæ inurent

Quartum, quod Deus hic præcipit, eſt, ne Rex multas habeat uxores, ſed ut una Regina contentus, alienos omnes amores averſetur & fugiat: eam præcipuè ob cauſſam, ne ſubditis ſcandalum præbeat. Magis enim exemplo quam facto peccant Reges, Deumq; & homines offendunt. In S Scriptura non tam Davidis, Achabi, Aſſæ, & Jeroboami peccata ab ipſis commiſſa, quàm ſcandala aliis data exaggerantur. Paucos enim ſubditos ad frugem redire videas, ubi Princeps ipſe non eſt frugi. Et tanto magis ab omnibus obſervatur Princeps, quanto in altiori dignitatis loco eſt conſtitutus. Laudantur à profanis ſcriptoribus Alexander Magnus, Scipio Africanus, Octavianus Auguſtus, Trojanus. M. Aurelius, quod non modo non cujuſquā pudicitię vim intulerint, verum etiam captivas mulieres aſpicere noluerint, ne ſcilicet forma ipſarum ad libidinem accenderentur Et quis horum virtutem non laudet, non admiretur? Majoris enim eſt animi atque operæ parato reſiſtere vitio, quam hoſtilem aciem perrumpere.

Vagæ libidines Principi fugienda.

Quinto, Regibus populi ſui Deus multos colligere theſauros vetat, id eſt, jubet ne avari ſint. Mercatorum eſt pecuniam accumulare; Principum, diſpenſare. Alexandri Magni liberalitas veterioribus laudibus ornatur, quam incredibilis fortitudo. Econtra Veſpaſianus, cæteroqui bonus Imperator, reliquarum virtutum ſuarum laudes uno avaritiæ crimine contaminavit; quæ tanta in ipſo fuit, ut è lotio etiam & foricis tributum exegerit Plato eis Reipublicæ gubernacula tradenda cenſet, qui in judiciis j[illegible] ſint, in verbis & promiſſis veraces, in actionibus & factis conſtantes, in conſiliis taciturni, in dando liberales. [illegible] potentiam Reges & principes timentur; ob liberalitem iidem amantur. In Regum ſervitio non eorum virtutem, ſed emolumenti ſpem pleriq; omnes ſequuntur. Quod cū [illegible] Deus Principem theſauros colligere prohibet, commonet, ut ei ultro omnes ſerviant, ipſe vero, qua par eſt, erga omnes liberalitate utatur. Neque enim eum agrum quis facile conſeverit, ubi nulla ſpes ſit meſſis.

Avaritia Principi vitanda.

Sexto, jubet Deus futurum populi ſui Regem Superbiam fugere: ac deniq; Deuterenomium ſeu divinam legem aſſidue legere ac ruminari. Sed quia materia hæc amplior eſt, quam ut hoc loco explicari poſſit, ea in aliud tempus dilata, vela jam contraho, Deum venerans comprecansq; ut Cæſaream V. Majeſtatem incolumem nobis conſervet, nobisq; omnibus gratiam ſuam & æternam tandem gloriam largiatur: ad quam nos perducat Jeſus Chriſtus, Amen.

DE LYCURGO ET LEGIBUS AB EO LATIS

DISSERTATIO,

Ad Reginam Germanam habita.

PRoximè elapſo die Dominico, quum de excidio urbis Hieroſolymitanæ concionem habuiſſem, miſiſti ad me, qui mandaret tuis verbis, uti, quis fuiſſet ille Philoſophus Lycurgus, cujus toties leges allegaſſem, & vitam commendaſſem, vel voce vel ſcripto tibi ſignificarem: & in hujus operæ compenſationem ad menſam tuam clemētiſſime invitandū me curaſti, & horologii non exigui valoris dono ornatum voluiſti. Qua tua tam clementi invitatione, & larga munificentia, ob rem tam levem, qualis hæc eſt, minime opus fuiſſet apud me, cui abunde eſt & delectationis & gratiæ, ſi, quod a me proficiſcitur, gratum acceptumque habes. Rogo autem, ut, quando voluiſti virgines tuas & gynæceum, una cum Nobilibus aulicis, orationi meæ intereſſe, imperes illis clementiſſime, ut tanti temporis ſilentium mihi præſtent. Reſcivi enim, conſpiraſſe eos inter ſe mihi verba facienti, ſi queant, perturbationem injicere atque obſtrepere velle.

Priſcis mundi ſeculis, tenente Aſſyriam rege Sardanapalo, Judæam Oſia, Teſephone Macedoniam, Phoca Græciam, Italiam Alchimo, & Arthabano Ægyptum, natus eſt Lacedemone Lycurgus: non minus Philoſophus, quam Rex, nec minus Rex, quam Philoſophus Nam illa ætate, adhuc aurea, aut regnabant Philoſophi, aut Reges philoſophabantur.

Lycurgi tempora.

Statura fuit, auctore Plutarcho, exigua, facie pallida, & paucus verborum. Valetudinis fuit illi parum, ſed multum virtutum. Nullius unquam criminis inſimulatus fuit: rempublicam nua-

Statura & mores.

Digitized by Google

nunquam offendit aut turbavit: vindictæ minime cupidus: injurius nemini, in victu temperans: in dando liberalis: ſomni & ſermonis exigui: in negotiis cautus: in colloquiis affabilis & humanus: patiens in exaudiendo: in expeditionibus celer: in reſpondendo promtus atque expeditus: ad puniendum tardus & exorabilis, & facilis ad condonandum. Thebis educatus eſt: literas didicit Athenis. Vir, profectionem ſuſcepit in Indiam: ſenex demum regnum init Lacedæmoniorum, quos Spartiatas alio nomine appellamus, Græcos natione, ſed moribus Barbaros. Laus viri eſt, quod ſcribitur nunquam conſpectus fuiſſe otioſus, abſtinuiſſe vino, equum non conſcendiſſe, litem nemini intendiſſe, erga hoſtes mitis fuiſſe, erga amicos benignus & gratus. Ipſe diis ſacrificabat, in Academia docebat, afflictorum querelis aurem commodabat, de jure reſpondebat & fontes coërcebat. In bello magnanimus, in periculis cautus, in conſiliis promtus: ſeverus erga rebelles, diligens in omni re & providus, otiſ inimicus hoſtis. Olympia primus inſtituit. Ludi ſolennes hi erant, qui quarto quoque anno ad urbem Olympiam celebrabantur, hoc fine, ut ſtudia artium liberalium ab omnibus excolerentur. Suam enim quisque ſolertiam atque induſtriam in hoc conventu probare ſatagebat. Primus leges dedit Spartiatis, dictas poſtea (ante tamen Solonis & Numæ Pompilii ætatem) Lacedæmoniorum leges. Primus denique noſocomia & xenodochia publico ſumtu exſtruxit, ubi curarentur ægroti, & quo ſe reciperent egeni. Multum ſudavit in inculcanda ſui & Legum reverentia genti Lacedæmoniorum, utpote ante ipſius tempora incultæ & barbaræ. Aliquando duos ejuſdem fœtus canes juſſit, alterum quidem in urbe educari, delicateque haberi, alterum vero ruri cuſtodiendo ovium gregi deſtinari. Quibus anno vertente in forum, inque conſpectum totius civitatis productis, quum patinam carnibus repletam uni illorum appoſuiſſet, ſimulque leporem adhuc vivum dimiſiſſet: evenit, ut qui ruri educatus fuerat, continuo in leporem irrueret, qui vero domi deliciis aſſueverat, ad carnes properaret. Tum Lycurgus converſus ad Lacedæmonios, vos mihi teſtes eſtis, inquit, cives, ambos iſtos canes uno die, una hora, in una domo, eodem partu eſſe editos, eodem patre eademque matre genitos. Atqui alter eorum, quum in agro educatus fuerit, leporem inſectatus fuit, alter contra, quia perpetuo in culina latens gulæ deditus fuit, propere ad patinam accurrit. Eadem ratione ſciendum vobis eſt, ad virtutem conſequendam magnum momentum poſitum eſſe in prima vitæ informatione. Ferè enim magis adhærent ea homini, quibus per educationem aſſueſcit, quam reliquæ proprietates, naturæ inſitæ. Senex jam, convocatis primoribus ſuæ ditionis, his eos verbis alloquutus fertur: Non me latet, cives, quæ fuerint jam ſæpius de me & legum mearum rigore, querelæ veſtræ, negantium videlicet, vos eis ob nimiam ſeveritatem parere poſſe. Nec vero ſum neſcius, auctorem earum fatis conceſſurum, eundemque ejus & Legum quas tulit, finem futurum eſſe. Attamen celare vos nolo, decretum mihi eſſe Delphos proficiſci, conſulturum oraculum Apollinis, juſtæne ſint leges à me vobis latæ, an injuſtæ: quodque ille reſponderit, aut porro juſſerit, id me bona fide exſequuturum, per ejuſdem Dei numen publice vobis nunc juro. Vicissim autem vos mihi jurejurando obligatos eſſe volo, nihil vos de legibus mutaturos, nec eas abrogaturos, priuſquam revertar, ſive vivus, ſive mortuus, & tum quoque, ſiquid præterea ſancitum fuerit ab Apolline, ei vos pari ratione morem ſancte geſturos. Quibus auditis jurarunt Lacedæmonii, ſe facturos, quodcunque petiiſſet, nec id ulla ex parte violaturos polliciti ſunt. Erat autem propoſitum Lycurgo, hac ratione æternitatem legibus ſuis, & ad earum perpetuam obſervationem Lacedæmonios obſtringere, eaq; de cauſſâ profectum, nunquam poſtea reverti. Quod & fecit: delatus enim ad Cretam inſulam, quæ nunc Candia dicitur, vitam cum morte commutavit. Hoc pacto conſervatæ ſunt à Lycurgo leges ſuæ & jurejurando Lacedæmoniorum ſancitæ, nihil magis in votis habentium, quam ut reverſus fuiſſet ad ipſos Lycurgus, non quod ejus deſiderarent præſentiam, ſed ut legum ipſius religione ſolverentur. Quos ut præveniret vir ſapientiſſimus, correptus in mari lethali morbo, juſſit alligari corpori ſuo prægravem plumbi maſſam, cum qua, jam ultimum ducens ſpiritum, in mare dejectus eſt. Dignus maxima laude Philoſophus, qui bonarum legum conſuetudinumque inter ſubditos ſuos conſervationem regni ſui jactura redimere non dubitaverit. Nec minore laudis præconio digni Lacedæmonii, qui tanta fide & conſtantia tam ſuperſtite Lycurgo, quam defuncto, promiſſis ſuis ſteterunt. Et hæc quidem de vita & morte viri & Philoſophi hujus eximii dicta ſunto. Veniamus ad

Da inter Chriſtianos talem.

Alii ab Hercule inſtituta volunt.

A teneris aſſueſcere multum eſt.

Lycurgus quo modo leges ſuas perpetuas confirmavit.

Alii mortem ejus aliter deſcribũt.

Digitized by Google

ad leges ejusdem: quarum, quum ſuerint longè plures, nos præcipuas duntaxat perſtringemus.

Leges Lycurgi.

MOntes, campos, paſcua, ædificia, fundos, ad compeſcendam tyrannidem divitum, & pauperum querelas, æqualiter inter omnes dividi juſſit. Si cujus in colendo agro ſuo negligentia & ignavia deprehenderetur, non licebat ei agrum alienare, niſi ſimul ſe quoque in ſervitutem manciparet. Aurum, argentum, æs, cuprum, & plumbum diis conſecrabat, ſolius ferri uſum relinquens, tam ad agri culturam, quam ſoli defenſionem.

Ferri uſus neceſſarius.

Partus vitioſos, mancos, cæcos, ſurdos, mutos, vel alia ratione monſtroſos ab utero matris, diis jubebat ſacrificari, exiſtimans, vel deos in horum productione, vel naturam aberraſſe.

Convivia vetita erant inter ipſos, eo quod in his nimium bibendo pereat ingenium, nimium loquendo auctoritas minuatur, & valetudo lædatur nimium comedendo.

In honorem noveni Muſarum chori novenis una convivari permiſſum erat, ſed hac lege, ut ſermonem quidem invicem conferrent, ſed abſtinerent à propinationibus mutuis, vel ſi ſilentium præſtare vellent, liceret eis invicē propinare.

Vini uſus ægrotis deſtinabatur, non autem integra valetudine utentibus. Eamque ob cauſſam non ex tabernis, ſed pharmacopoliis vinum petebatur inſtar pharmaci.

Opificibus advenis licebat artem ſuam factitare quidem, ſed more patrio, non ſuo: quod ſi quid novi in arte inveniſſet aliquis, rejecto invento, artifex urbe ejiciebatur.

Publico edicto quinque iſta capita quotidie civibus ſuis proponebat: Deorum reverentiam, patientiam in adverſis, obedientiam magiſtratuum, laboris tolerantiam & fugam otii, & denique ut in bello aut occumberent aut vincerent.

Summa virtutis capita.

Non amplius una veſte in toto anno eis permiſſum erat: altera ſi eis omnino opus eſſet, ei venia impetranda, & ſimul docendum erat, pretio dato eſſe pro ea à ſe ſatisfactum.

Statis annuis temporibus domatim Cenſores circumeuntes ſicubi deprehendiſſent panem à muribus arroſum, aut frumentum corruptum, aut veſtem à tineis exeſam; aut ſimile quid, non modo acerbè id dominis illarum rerum exprobrabant, ſed pœnis etiam eos caſtigabant, eo quod ſatius eſſet ea dari egenis, quam uſui humano inutilia reddi.

Interrogatus, cur balneorum & unguentorum uſum ſuſtuliſſet, reſpondit, quod balneis vires corporis debilitentur, unguentis autem libido & ſalacitas excitetur. Paſtillos item, zibethum, muſcum & cætera odoramenta magni pretii prohibuit, dicens, tam eſſe probroſum viris, unguenta olere, quam feminis, pudorem proſtituere.

Bene olet, qui nihil olet.

Juvenes, qui nondum vel uxorem duxiſſent, vel annum triceſimum attigiſſent, ſtantes cibum capere, & nihil ſomni cauſſa, præter ſtramen, ſubſternere juſſit, ne nimio cibo in vitia prolaberentur, aut ſomno immoderato contraherēt ignaviā.

Senibus hoc privilegii conceſſum erat, ut à juvenibus forte obviis factorum rationem expoſcere non dubitarent, quos reſpondentes modeſte dimittebant, ſed immodeſtia uſos caſtigare & detinere, fas eis erat.

Senum obſervatio.

Si ſenex juvenem, ſe præſente aliquid agentem præter decorum, non reprehendiſſet, juvene impuni dimiſſo, ipſe plectebatur.

In gravi aliquo flagitio deprehenſum, aſino ad hoc deſtinato imponebant, cujus dorſo inſidens infelicem vitam finiret. Ferro enim hominem trucidare, inhumanum; at alia ratione morte afficere facinoroſos, æquum exiſtimabant.

Patrem qui affeciſſet contemtu, aut alia ratione contumax erga ipſum aut immorigerus fuiſſet, pœnam dabat & præterea exheres erat.

Juvenem ſeni aſſurgere, ſiquidem ſediſſet, & loco cedere oportebat, & ſtare, donec præteriiſſet; deducere præterea, ſi veniſſet abſque comite: quod negligere deprehenſum publica ignominia Cenſores notabant.

Honor ſenum.

Ea erat inter ipſos fraterna rerum communio, ut ſuorum quiſque liberorum pater, & ſervorum dominus quum eſſet, nihilominus horum etiam vicini poteſtatem haberent: quorum alii aliorum liberos educare, & agros colere auxiliatrici manu non gravabantur.

Puerum de plagis à ſene aliquo acceptis querelas ad parentes deferentē non denuo cædere, probroſū habebatur: propterea quod plus fidei mereri judicarent ſenum canos, quam lachrymas puerorum.

Furari Lacedæmoniis licitum erat, non quod furta approbarent, ſed ut cauti evaderent & providi Nam deprehenſum in ipſo facto judicio ſiſtebant, & pœna furti afficiebant: illud ſibi propoſitū habentes, ut cui opes eſſent, in eis aſſervandis prudens atque attentus; fur autem callidus in arte furandi & vafer eo pacto evaderet: atque ita

per

per negligentiam ille quidem rem perderet, hic vero, quod furatus eſſet, reddere compelleretur.

Parco victu alitur ingenium.

Frugales in victu, non ad ſatietatẽ cibum capiebant, ſed ad neceſſitatẽ. Nam multi cibi homines Lycurgus ajebat eſſe ingenio obtuſo, & corpore parum ſano. Ideoq; contemtui habebantur, quibus corpus erat obeſum: quod arbitrarentur, cauſam pinguedinis vel ſecuritatem vel delicias eſſe.

Magnum erat illis ſtudium Muſicæ, maxime organicæ: cujus dulcedine recreari ingenium, & animum exhilarari deprehendebant.

Carmina illis nulla erant, niſi quibus vel laudes hominum virtute ac factis clarorũ, vel horum, quorum illaudata & infamis vita fuiſſet, dedecora canebantur.

Nova inventa in Muſica ſua non tolerabant: quã ob cauſam Terpandrum (clariſſimum illius temporis Muſicum) quod ad uſitatum numerum unicam chordam adjeciſſet, confracta cythara, ſolum mutare coëgerunt.

Ad compeſcendas ſuperſtitioſas ſepulturarum pompas, juſſit non in campo, ſed juxta deorum templa mortuos inhumari. Monumenta alicujus precii ſtatui nullis permiſit, niſi qui vel rempublicam tranquille adminiſtraſſent, vel fortiter adverſus hoſtem pugnando occubuiſſent.

Novationes odioſa & periculoſa.

Novitatibus uſq; adeo infenſi erant, ut nec civibus exteras regiones, nec exteris Lacedæmoniorum ditionem adire liceret, metuentes, ne peregrinorum commercio, peregrinorum quoque morum contagione inficerentur.

Si pater filium in aliqua arte inſtituendum non curaſſet, eum jam ſenẽ alere filius non tenebatur.

Trium rerum vigebat inter ipſos communio, mancipiorum ad laborem, canum ad venationem, & equorum ad belli uſum idoneorum: quibus uti cuivis licebat, dummodo ligitimis poſſeſſoribus eis opus non eſſet.

Arborum hortorumq; fructibus, tamquam publici juris, cuilibet veſci permiſſum erat, non tamen domum eoſdem aſportare.

Militari veſtitu utebantur rubro, ne ſauciati ab hoſte, viſo ſanguine ſuo veſti diverſi coloris aſperſo, animi deliquium paterentur, aut animum deſponderent.

Deos hoc tantum rogabant, ut ipſorũ meritis digna retribuerent, ad peccata vero conniverent.

Ad bellum euntes vulpem; prœlium commiſſuri, taurum Marti ſacrificabant, monente Imperatore, non fortitudine tantum, qualis eſt tauri, ſed aſtutia quoque, qualis eſt vulpis, iis opus eſſe.

Deorum effigies hac ratione repræſentabant, ut alii haſtas ferro deſtitutas, alii autem nudos enſes manu tenerent, innuentes, deos ab aliis pœnas ſumere, aliis autem ſolummodo minitari.

Ea tantum votis aliis ſuis petebant, quæ maxime neceſſaria eſſent, rati, res leviores non prece efflagitandas eſſe, ſed comparandas labore.

Servos ebrios publice cædebant virgis, ſuis pluriumque aliorum præſentibus liberis, ut pœna ad illos, ad hos vero pertineret exemplum.

Fores alteri᷒ vel ſaxo vel manu pulſare nulli permiſſũ. Æquitati enim judicabant conſentaneum, ut quando habitatori alta voce reſpondendũ eſſet, is quoq;, qui foris ſtabat, clare eum inclamitaret.

Diſciplina domeſtica adeo ſtricte apud ipſos colebatur, ut nec foribus repagula, nec clauſtra capſis addere opus eſſet.

Scurræ, mimi, tibicines, logodædali, & ſanniones non inveniebantur inter ipſos. Non enim tolerabant eos, quibus præter mentiendi nugandiq; artes nullæ erant.

Poſt fugam reduces ex bello, morte plectebantur ab imperatoribus. Majus enim probrum cenſebant fugam, quam mortem.

Nemo bene omnia.

Plures una arte non licebat cuiquam addiſcere. Itaque pulſus eſt ab aliis Cteſiphon Philoſophus, quod glotiatus fuiſſet, ſe omnium rerum aliquam notitiam habere. Hinc enim colligebant, parum illi ſupereſſe de Philoſophia.

Feſto Dianæ, quod annuatim celebrabant, ea erat ipſis maxima feſtivitas, quod ſe invicem virgis cæderent: eratque illius, qui plura verbera patientius tuliſſet, premiũ honos ſacerdotii in illum annum.

Pecuniarum & comparatio, & uſus, & poſſeſſio illicita erant. Mercaturam non emtione & venditione, ſed commutatione mercium exercebant, fruges carnibus, lintea panibus, vinum panno, oleum acero, frumentum ſale, & ſic deinceps merces mercibus permutantes.

Poſt pugnam Marathoniam, quibuſdam aurum factum geſtare conantibus, concluſum eſt, ut in furcam illi agerentur, auro in terram dejeſto. Reſponſum enim fuerat Alcameni, ab Apollinis oraculo, exitum Reipub. ipſorum non aliunde, quam ab avaritia, imminêre.

Navigatione nec ad bella, nec ad commercia utebantur; quod judicarent, navigantes Deos ritè colere non poſſe, nedum legibus parere.

Virgines ſine dote nubebant: quærebantq; opes in viris, & hi rurſũ in uxoribus virtutes. Ita fiebat, ut non ob inopiã, ſed ob vitia innuptæ manerent.

Ad

Digitized by Google

Ad ALPOHNSUM MANRIQUEM, ARCHIEPIſcopum Hiſpalenſem, & Antonium Manriquem, &c.

EPISTOLA.

Qua, qua vetus fuerit Numantia, &c. oſtenditur.

EX litteris utriuſq; veſtrûm, ab Illuſtriſſimo Iohanne Manrique mihi redditis, controverſiæ, inter vos exortæ, & non ſine acri contentione agitaræ, arbitrium communi utriuſq; conſenſu ad me delatum eſſe, intellexi. Equidemmorem vobis gerere, litemque componere aggrediar, ſed ea demum lege, ut ne à ſententia mea appelletis, ſed ei, ſublatis utrimque ſumribus, obſequamini. Primum autem ambo reprehendendi mihi eſtis eo nomine, quod eo, quo dictum eſt, modo contentio inter vos mota fuerit. Conferre invicem licet; rixari tam Illuſtribus viris non licet. Nobilem eſſe & contentioſum eſſe, Non bene conveniunt, nec in una ſede morantur. Sophiſtarum eſt, argumentis theſin ſuam aſſerere: at Nobiles litigare non decet. Ira accendi, niſi quum manum capulo admoverit, forti viro & generoſo indecorum. Raro videas manu promtum eſſe, qui lingua eſt.

Contentio virum gravem non decet.

Controverſiam ipſam quum inſpicio, video nullius pretij eſſe. Quæritis nimirum, utra harum ſit Numantia, Seguntiane an Monviedro: & præmium certaminis conſtituiſtis mulum bene inſtructum, illi ceſſurum, qui litem diremerit. Quæ quidem quæſtio veſtra ita eſt comparata, ut niſi Reverendiſſimus Archiepiſcopus Hiſpal. modum rite precandi, & Illuſtriſſimus D. Antonius Manriques fortiter pugnandi artem exactius calluerit, quam de hiſtorijs differendi; alter mihi habendus ſit pro Archiepiſcopo imperito, alter pro parum ſtrenuo duce Naeharæ. Tantum intereſt inter Numantiam & Saguntum, quantum inter Ilium & Tyrum, Byzantium & Memphim, Romam & Carthaginem, Agrippinam & Gades. Numantia enim vetus in Regno Caſtiliæ ſita eſt, Saguntum haud longe à Valentia. Utraque fuit antiqua & celebris admodum Hiſpaniæ civitas, Numantia & Saguntum: ſed in ſeparatis provincijs ſitæ fuerunt.

Numantia & Saguntū ubi ſita.

Saguntum Græci, Numantiam condiderunt Romani. Saguntum à Romanorum adverſus Pœnos partibus ſemper fuit: at Numantia neutri parti adhæſit, ſuo jure utens. Saguntum quatuor millibus diſſitum fuit à Valentia, quo loco hodie Monviedro conſpicitur; ut Seguntiam Saguntum eſſe, perſuadere mihi nec debeam nec poſſim. Quum Inquiſitor degerem Valentiæ, commeabam ſubinde Monviedrum. Eam nunc eſſe, quod olim fuit Saguntum, & fuiſſe olim Saguntum, quod nunc eſt Monviedrum, ex ſitu loci & rupium, ex mœniorum & arcis antiquitate, ex ædificiorum palatiorumque magnificentia, ex foſſarum denique latitudine, non incertis argumentis eſt colligere. In aſſitis agris, & inter rudera ædificiorum paſſim hodieque eruuntur ſculpturæ ſaxorum & antiqua Epithaphia Hannonum & Aſdrubalum, in obſidione Saguntinæ urbis cæſorum, quorum utrique ex illuſtribus familiis Carthaginenſium oriundi fuerant. Non longe abſunt à Monviedro, quos hodie Torrestorres appellamus, dictos olim Turdetanos. Hi quum jurati hoſtes eſſent Saguntinorum, junctis copiis ſuis cum Carthaginenſibus, Saguntum obſidione cinxerunt, & oppugnatum captumque ſolo æquarunt, priuſquam ad ſolvendam obſidionem adeſſent Romani.

Monviedro olim Saguntum.

Ex quibus non eſt difficile intelligere, quodnam fuerit Saguntum, & quæ fuerit Numantia. Inter Soriam & Zomoram illa lis agitatur, utra earum ſit Numantia: at inter Monviedro & Seguntiam hoc controvertitur, utra fuerit Saguntum. Quamobrem expenſis cauſæ circumſtantiis, & utriuſque partis argumentis, pronuncio, Archiepiſcopum Seviliæ cauſa cecidiſſe, & Ducem Nacharæ à veritate aberraſſe: ideoque utrique mulctæ loco mulum perelegantem pendendum eſſe, quem accipiat is, qui, quænam ſit Numantia, expoſuerit. Quod ergo reſtat, quodnam fuerit oppidum ea, de qua agimus, Numantia, ubi locorum condita, quamdiu duraverit, qua deniq; ratione deſtructa fuerit, deinceps perſequemur. Digna eſt hiſtoria quæ legatur, & auditu jucunda, ſed eventum habet triſtem.

Urbis Numantinæ Hiſtoria.

NUmantiam condidit Numa Pompilius, Romanorum Rex ſecundus, anno ab urbe condita octavo & quinquageſimo, ſed Regni ſui octavo & decimo: & Numa quum diceretur, Numantiam appellavit. Mos hic erat antiquis, ut

quas condidiſſent urbes, de ſuo nomine denominarent. Sic Hieruſalem nuncupata eſt à Salem: Antiochia ab Antiocho; à Conſtantino Conſtantinopolis: & Roma à Romulo. Septem omnino Reges Roma habuit: quorum Romulus primus fuit, ultimus Tarquinius. Omnium ſapientiſſimus fuit Numa Pompilius. Ille enim deorum cultum primus Romæ introduxit: Ille collegium Virginum Veſtalium inſtituit, diis templa dedicavit, & Rempublicam Romanorum legibus inſtruxit.

Numantiæ ſitus & incolæ.

Numantia prope flumen Durium, modicè edito in tumulo ſita, ſine muro, ſine turribus, ſola foſſa cincta, plus minus quinque aut ſex incolarum millia habuit: quorum duæ partes foris bellum gerebant, tertia domi operi intenta erat. Temperamento erant magis vergente ad phlegmaticum, quam ad cholericum: corpore robuſto, ingenio aſtuto & vafro, ut qui modo diſſimularent, modo quod diſſimulaverant, repente ulciſcerentur. Unicus erat in tota urbe publicus opifex faber ferrarius; nam ſartores, carminatores, piſcatores, piſtores, lanios, olitores, caupones, & horum ſimiles non tolerabant, rati quæ hi facerent, unicuique domo petenda eſſe, nec aliena opera in his utendum. Fortitudo fuit illis tanta, ut nemo umquam Numantinorum tergum vertere, aut ſaucius ex bello redire conſpectus fuerit. Plus enim gloriæ in morte, quam in fuga reponebant. Militiæ nomen dare nulli licebat, injuſſu Magiſtratus. Stipendia facturi, plures ſimul exibant, atque omnes ſub uno duce merebant. Erat enim capitale, Numantinum à Numantino cædi.

Quatuor gentes Romani æſtimabant ſuperatu perdifficiles, Myrmidonum, quorum ſedes fuit Merida urbs: Gaditanorum, quorum urbs Caliz hodie dicitur: Saguntinorum, qui hodie ſunt Monviedrenſes: & Numantinorum, qui hodie Sorienſes. Sed hoc diſcrimine, ut Myrmidones bellicoſi haberentur, Gaditani fortes, Saguntini felices, Numantini autem & bellicoſi, & fortes, & felices. Numantinos nec Fabij, nec Metelli, nec Sertorij, nec Pompeij, nec Cæſares, nec Sexti, nec quicunque Romanorum imperatorum continuis CLXXX. annis in Hiſpania bellum geſſerunt, potuerunt ſubigere. Sola Numantia ex totius orbis civitatibus ſuperiorem accipere recuſavit. Quamvis enim nec munitione ntis, nec viribus polleret, omnes tamen ſociam & fœderatam, quam hoſtem experiri maluerunt. Bello, quod inter Romanos & Carthaginenſes; deinde bellis inteſtinis, quæ fuerunt inter Syllam & Marium, interque Cæſarem & Pompejum, nullus propemodum vel Rex, vel Princeps fuit, qui non alteram factionem ſequeretur, ſola excepta Numantia, quæ auxilia petentibus reſpondit, non ſe imperium ab aliis accipere, ſed aliis potius imperatorem dare velle. Ita quum Romanis ad Africanam expeditionem auxilia negaſſent, illi offenſi ſtatuerunt bellum inferre Numantinis, non metu, ſed quadam æmulatione fortunæ. Ceciderunt eo bello novem Conſules Romani, viri fortiſſimi, & militum magnus numerus. Tandem poſt annorum duodecim obſidionem Cn. Fabricius cum Numantinis de fœdere inter ipſos & Romanos in perpetuum feriendo tranſegit, pactis in hunc finem, & ut res Romam perferretur, ad tempus ſatis longum indicijs. Romani, eam tranſactionem Numantinis honorificam, at ſibi ignominioſam rati, fœdus neutiquam approbarunt, & Fabricium, ruptis inducijs, bellum continuare juſſerunt, ſubmiſſo etiam paullo poſt Scipione cum novis copijs. Is ubi primum veniſſet in caſtra, ſcorta & calones caſtris expulit, dicens id genus hominum in bello plus damni adferre quàm hoſtem ipſum. Annum & menſes ſeptem continuata obſidione, numquam urbem invadendi copiam fecit, commeatum ſolummodo intercludens. Interroganti eidem tribuno, cur Numantinis tam pertinaciter reſiſtentibus, & continuas eruptiones facientibus, nec manum conſerret, nec urbem oppugnaret, reſpondit, eam eſſe urbis & incolarum felicitatem, ut ſpes ſit, hanc citius deſituram, quam illos certamine inferiores futuros. Numantini frequentibus excurſionibus & aſſiduis velitationibus vires Romanorum atterebant: tantoque ardore aliquando utrinque concurſum eſt, ut juſto prælio non abſimilis eſſet velitatio, ita in fugam actis Romanis, & ordinibus ipſorum turbatis, ut, niſi Scipionis felicitas medicinam attuliſſet, Romanorum vires in Hiſpania deletæ fuiſſent.

Itaque Scipio, quum animos creſcere Numantinis animadverteret, Romanis autem indies decreſcere, ad mille paſſus cum exercitu ab urbe receſſit, ut à ſubitis Numantinorum eruptio-

nibus

Digitized by Google

nibus deinceps caſtra immunia eſſent. Ad extremum deficiente commeatu, multisque ſuorum cæſis, ſacramento ſe ſe obſtrinxerunt Numantini, nullo antemeridiano tempore alium ſibi cibum futurum, præter carnes Romanorum, nec potum alium præter eorundem ſanguinem. Tum vero (res oculis auribuſque horrenda) quotidie excurrentes, Romanos, tanquam feras, venabantur, carnibus eorum, non ſecus ac aſſa virulina, magno cum appetitu veſcentes, palabundi hinc inde diſcurſitantes, Romanos ferinum in modum medios diſcerpebant: non ut hoſtes, ſed ut deſperati & furijs acti pugnantes nullum Romanorum captivum aſſervabant, nulla ſepultura dignabantur, ſed ut quemque comprehenderant, in quatuor partes diſſectum, in laniena appendebant, pluris væniente Romano mortuo, quam vivo. Scipio tamen, quamvis ſuadentibus tribunis militum & centurionibus, ut obſidionem ſolveret, non modo non obtemperavit, ſed ne audire quidem ſuſtinuit, reſponſo monitus ante expeditionem, ut eam ſuſceptam minimè omitteret, quantumvis gravem & laborioſam ſibi futuram: eſſe enim in fatis, Numantiæ felicitatem ſuæ gloriæ initium futurum.

Quomodo Numantia à Scipione expugnata & capta ſit.

INtelligens Scipio, nec lenitate, nec armis urbem eſſe expugnabilem, foſſa lata ſimul & profunda undiquaque eam cinxit, ut nec exitus, nec aditus uſquam pateret, commeatuſque omnis intercluderetur: atque ita incluſos non deſtitit tamen de deditione interpellare, utque ſuæ fidei ſalutem crederent, rogare. Reſponſum eſt ab obſeſſis, quando jam per trecentos octo & triginta annos libertatem tutati eſſent, decretum ſibi nequaquam in ſervitute mori. Magnus audiebatur in urbe mulierum planctus, magna erat ſacerdotum conſternatio, vota & ſacrificia dijs offerentium. Cives à Scipione multis precibus contendebant, ne ipſis more pecudum intra ſtabulum moriendi neceſſitatem imponeret, ſed tamquam viris prælij copiam, inque eo fortiter occumbendi occaſionem daret. Ætas tibi integra quum ſit, ajebant, Scipio, & animus audax ac fortis, aut prudentia deſtitueris, aut conſilio. Nam iſta ratione nos circumdatos fame premere, felicitatis eſt, non virtutis in bello. Gloriam conſequi vis? prælio nos vince. Itaq; deploratis jam omnibus, in ultimam rabiem furoremque converſi, poſtremo mori hoc genere deſtinarunt. Duces ſuos, ſeque patriamque, ferro, & veneno, ſubjectoque undique igne peremerunt. Ita urbem, templa, domus, pecunias, opes, homines denique Numantinos omnes una dies abſumſit. Magna geſſerunt Numantini vivi: ſed morientes, prorſus horrenda patrarunt. Nihil prædæ ſuperfuit hoſti, ex omnibus unus non ſuperfuit, qui in triumphum duceretur. Nam quum potius illis eſſet mori, quam captivos abduci, ne unus quidem toto obſidionis tempore, vel intra vel extra urbem vivus in hoſtium poteſtatem venit.

Libertas vita charior.

Fortis non niſi à ſe ipſo vincitur.

Scipio, viſo eminus incendio, urbem ingreſſus eſt: ubi quum incolas mortuos & omnia flammis abſumta videret, triſtis & lachrymans in hæc verba prorupit: O te felicem, Numantia, quum te deleri dij voluerunt, non vinci. Floruit Numantia annos CCCCLXVI. tot enim ab ejus origine ad excidium uſque numerantur. Trium urbium æmulatione illis temporibus Roma flagravit, Elidis in Aſia, Carthaginis in Africa, & in Europa Numantiæ. Omnes illas Romani everterunt, nulli imperarunt. Iugurtha, quum annum ætatis ſecundum & viceſimum exceſſiſſet, Scipioni Numantiam obſidenti, ſubſidio veniens ex Africa, præclaris facinoribus magnam de ſe opinionem fecit Scipioni & Romanis. Quotquot Numantini belli Hiſtoriam prodiderunt, teſtantur, nunquam Romanos tantum detrimenti paſſos, nunquam tantum hominum perdidiſſe, aut tantos ſumtus feciſſe, nunquam denique tantam ignominiam accepiſſe, quam in hujus urbis obſidione. Reliqua enim bella injurijs provocati geſſerunt, ſolum Numantinum invidia ducti.

Fabuloſum vero eſt & riſu dignum, Zomoram olim Numantiam fuiſſe. Nam à condita jam Numantia ad originem Zomoræ (ſi tamen hiſtorijs adhibenda eſt fides) anni fluxerunt DCCXXXVII. Niſi apud Plinium, Pomponium Melam, Ptolomæum & Strabonem exſtaret, prope flumen Durium ſitam fuiſſe Numantiam, dubium eſſe poſſet, utrùm Soria, an Zomora, ſit Numantia. Nunc quum diſertè proditum ſit ab hiſtoriarum ſcriptoribus, conditam fuiſſe Numantiam prope Durij fluminis originem; quumque ab hac quinque

Numātia hodie Soria.

Digitized by Google

tantum millibus paſſuum Soria diſtet, conſequens eſt, ut hæc, non vero Zomota, fuerit Numantia. Tres ſunt de ſitu Numantiæ opiniones. Alij enim, ubi nunc Soria viſitur, ſitam fuiſſe exiſtimant: Alii trans pontem eam ſtatuunt: alij rurſus tertium locum illi aſſignant, mille paſſibus à Soria diſtantem, cui nomen hodie Garraij. Meo judicio, quantum ex loci conditionibus perſpicere mihi licuit, prima opinio ad verum proxime accedit. Argumento ſunt ædificia aliaque antiquitatis monumenta non pauca, quæ adhuc hodie circa Soriam conſpiciuntur. Cæterum hiſtoriam hujus urbis Plinius, Strabo, Ptolemæus, Trogus Pompejus, Iſidorus, Juſtinus, & alij, quorum labores interierunt, literis conſignarunt.

Ad

INIGUM VELASCUM, CASTILIÆ COMESTABILEM

EPISTOLA,

Qua eum monet, ut in Fontarabienſis oppidi obſidione non tam fortunam experiatur, quam prudentia utatur.

Fontarabia olim Flaviobriga. *Miles feriat, non ſcribat.*

LIteras tuas Petrus de Haro multa jam nocte mihi reddidit. Eas, à quo eſſent, facile agnovi, quamvis nomen non ſubjeciſſes. Erant enim breves, at plenæ lituris. Quorum omnis cura eſt in re militari, veniam merentur, etſi carta craſſa, atramento non bono utantur, ſulcos inæquales faciant, & deformia elementa pingant. Magis eſt enim glorioſum militibus, haſtam gravem & fortem vibrare, quam calamum ſubtilem temperare. Petis, ut in precibus meis te commendatum habeam, quandoquidem ad obſidione cingendum, oppidum Fontarabiam captum ab Galliarum rege, mandato Imperatoris profecturus ſis. Adeo importunè famulus, qui tuas attulerat, reſponſum à me efflagitavit, ut neceſſe ſit non pro re, ſed quam breviſſime tibi reſpondere. Ut igitur ad rem accedam, facile mihi perſuadeo, Galliarum Regem majores ſumtus hoc biennio feciſſe in occupando & tenendo iſto oppido, quam facturus fuiſſet, ſi vel precio illud emiſſet, vel novum exædificaſſet. Nec minimum. Pluris enim conſtat Principibus opinionis ſeu perſuaſionis quàm juris ſui defenſio. Nulla mihi videtur in toto orbe Chriſtiano majoris periculi expeditio, quàm hæc tua. Etenim aut bello vincendus eſt tibi Rex Galliarum, aut Imperator iratus experiundus. Illius tibi metuenda eſt potentia; & hujus indignatio. Præclarum eſt & utile Præfectum caſtrorum eſſe; & idem munus multum periculi adjunctum habet. Nam quum omnia fecerit, quæ in ipſo ſunt, ſi tamen Dei permiſſu, inque pœnam peccatorum ſuorum, ſuccubuerit, aut cæſus fuerit, quaſi parum ſit, vitam finiiſſe, ſermonibus etiam hominum traducitur. *Eventu conſilia æſtimantur.* Inauditum eſt, ducem militiæ, quicunque tandem fuerit, & quacumque ratione bellum geſſerit, prudentem habitum fuiſſe, ſi victus fuiſſet; aut temerarium, ſi viciſſet. Prudentia requiritur & in imperatore & in medico: ſed in utroque plus valet fortuna, ut quæ in utroque genere non raro ſuperet artem. Fateor quidem, cauſſam belli hujus juſtam eſſe. Nec enim quiſquam hominum meminit, unquam vel Gallum iſtud oppidum tenuiſſe, vel Reges noſtros ullum in id jus Gallis conceſſiſſe. Ideoque illud nec Gallus poteſt juſto titulo retinere, nec nos ſine ignominiæ nota non vindicare. Attamen videndum eſt tibi etiam, nè tam juſtam belli cauſſam occulta aliqua culpa, quæ tibi forte incumbit, deteriorem efficias. Non enim ob ſolam iniquitatem cauſæ calamitas immitti ſolet, ſed etiam eorum improbitatem; quorum ductu & miniſterio bellum geritur. *Privatam culpam publicæ res ſæpe luit.* Bellum quod Iudæi gerebant contra Philiſtæos in monte Gilbohæ, non dubium eſt, quin fuerit juſtum: at quum Saul injuſtus eſſet, ſingulari Dei permiſſu victi ſunt, ac præcipue eam ob cauſſam, ut Rex quoque ipſe ad necem traheretur. Nam, ut ſunt inperveſtigabilia Dei judicia, & ab oculis noſtris abſcondita, non raro accidit, ut quum dominus aliquis clienti ſuo munus militiæ impoſuerit, illius honorandi & evehendi cauſa, permittat Deus, ut idem ille pro honore ignominiam referat, aut exitio ſe & alios involvat. Non eſt quod exiſtiment magnates, poſſe ſe pœnam effugere, & præ aliis immunes eſſe, quamvis à probris vitæ ſuæ non abſtineant: quum ſæpe totius vitæ crimina unica hora illis, divino immiſſu, luenda ſint. Apud Deum nunquam eſt, nunquam erit, ut quod bene actum eſt, præmio, quod male, pœna ſua deſtituatur. Et ut non reſpondeat ſemper benefactis merces, & malefactis

ſup-

ſupplicium, fit id diſſimulante Deo, non obliviſcente.

Mareſchallus Navarræus cum copiis Agramantenſium adfuturus dicitur ad liberandam obſidione, & defendendam Fontarabiam. Sed meo judicio non inconſultum fuerit, obſidionem quidẽ inſtituere, at interim obſeſſorum animos tentare, an forte pellici poſſint, ut relicto Gallo, ad noſtri Regis imperium redeant. Ad illum quod attinet, ex lectione habeo, eſſe eum ex antiqua & nobili admodum familia oriundum: videturque mihi veriſimile, facile & ipſum adduci poſſe, ut Cæſaris potius quàm Gallorum Regis cliens eſſe velit. Scipio Africanus dicere ſolitus fertur, omnia eſſe experiunda, priusquam ad arma veniatur. Nulla enim præclarior victoria eſt ea, quæ ſine cæde & ſanguine obtinetur. Cicero ad Atticum ſcribens, non minoris eſſe dicit qui conſilio eum, quam qui ferro hoſtem vincit. Sylla, Tiberius, Caligula, Nero, jubendo & interficiendo imperaverunt: contra Auguſtus, Titus, Trajanus, rogando, & condonando. Hi vicerunt clementia, illi armis. Periti medici eſt, lenia medicamenta adhibere; periti ducis, lenitate & modeſtia rem gerere. Ferrum enim potius ad agros colendos à Deo eſt datum. Plutarchus auctor eſt, Scipionem, quum Numantiam obſideret, monitum, ut corona urbem invaderet, reſpondiſſe, Malle ſe unius ex Romanis vitæ parcere, quam Numantinos univerſos occidere. Noſtri duces, ſi hoc Scipionis dictum obſervarent, non tam temere milites ſuos periculo objicerent: ex quo non raro conſequitur, ut, dum hoſti damnum inferre & ab ipſo vindictam ſumere ſtudent, luant ipſi propria cute. Sed quorſum hæc omnia? nimirum quamvis Imperatori cauſa belli legitima ſit, te tamen monitum volo, ut legitimo modo illud geras: hoc eſt, ut primum omnium Fontarabienſibus bellum denuncies. Sepe enim plus virium eſt in monitione amica, quam in hoſtili gladio. Scribunt, Theodoſium Imperatorem, quando oppidum aliquod obſideret, prius ſe decem dies continuos in caſtris continuiſſe, quàm id oppugnaret, aut aliquod detrimentum incolis inferret: ut monentium obſeſſi, bonitatem ejus potius, quàm rigorem experiri. Videns Alexander Magnus exanime cadaver Darii; Julius Cæſar caput Pompeij; Marcus Marcellus Syracuſarum incendium, & Scipio Numantinam urbem deletam, à lachrymis temperare non potuerunt, quamvis hi capitales ipſorum hoſtes eſſent. Afficit enim generoſos animos aliena miſeria, quibus viciſſe ſat eſt. Illud mihi credas licet, lenitatem atque clementiam nunquam haſtæ aciem obtudiſſe: quum ex adverſo vindictæ & ſanguinis ſitientem militem ſæpe hoſtes percutiant, & non raro annel è medio tollant. Eſt enim cæca vindictæ cupiditas, dumque alium vel vi vel inſidiis aggreditur, auctores injuriæ aliorum exponit. Dignus eſt Julius Cæſar illa laude, quæ illi ſupra cæteros duces belli omnes tribuitur, non quia eminuerit in illo vel forma, vel robur, vel fortitudo, vel felicitas, ſed quia longe pluribus hoſtium ſuorum ignovit, quàm vitam ademit. Narſes excellenti virtute Imperator, qui Gallos domuit, Gothos vicit, & Germanos ſubegit, nunquam prœlium miſſe fertur, niſi prius uberes in templo lacrymas profudiſſet. Inter omnes Imperii provincias Mauritania Auguſto Cæſari fuit acceptiſſima, idque eo tantum nomine, quod cæteras armis, hanc vero animi lenitate & manſuetudine acquiſiviſſet.

Omnia experiri prius, quam arma ſapientem oportet.

Multos perdit vindicta cupiditas.

Victori decet lenitas.

Horum exemplo, ſi meo uti velis conſilio, operam dabis, ut in ſubigenda Fontarabia, omnia prius quam arma & fortunam experiaris. Cætera de quibus ſcribis, lubenter ego tibi gratificabor. Denique, ut victoriam tibi quam facillimam largiatur, aſſiduis votis comprecabor. Victoriæ III Ianuarij Anno M D X X I I.

Ad
EPISCOPUM TUYENSEM, &c.
EPISTOLA
Gratulatoria, qua ſimul boni Præſidis partes explicantur.

POſtquam mihi renunciatum eſt, te non ità pridem à Rege Granatam, ut Regij, qui ibi eſt, Senatus Præſidem ageres, accitum; equidem hac novæ dignitatis tuæ acceſſione vehementer lætatus ſum, eoquè tam tibi quam Reipublicæ gratulandum eſſe duxi. Tibi quidem, quod virtuti tuæ honor habitus, Reipublicæ vero, quod præcipua ejus pars tali viro commiſſa eſſet, qui integritate, prudentia & doctrina pares paucos, ſuperiorem neminem haberet. Quoniam vero

Digitized by Google

vero, ut exiſtimo, ejus loci hominibus magis fama quam vita & moribus notus es; omni animi contentione eo tibi elaborandum eſt, vita ut famæ reſpondeat, atque ſpem de te conceptam non modo præclare ſuſtineas, ſed etiam vincas. *Iudices ab alijs judicātur.* Illud ſemper cogita, te quidem ad judicandos alios eo proficiſci; interim teipſum ab alijs judicatum iri: & quidem non à paucis, ſed à multis, non de ijs quæ ad fortunas, ſed quæ ad honorem & exiſtimationem pertinent; nec publica tantum, ſed ſecreta etiam tua, adeoque vel minima, quæ vel dicturus ſis, aliorum judicijs fore expoſita. Magnorum & in ejuſmodi dignitate conſtitutorum virorum eam etiam ob cauſſam laborioſa eſt conditio, quod non in facta eorum tantum & dicta, ſed cogitationes etiam, nec in ſeria modo, ſed joca etiam inquiritur: adeo ut quidquid non graviſſime ab ipſis fit aut dicitur, levitati adſcribatur. Nam & vinum Cimonis Athenienſes, ut Plutarchus ſcribit, & ſomnum Scipionis, (quia nihil aliud inveniebant) Romani culpaverunt: & Pompejo Magno inimici vitio verterunt, quod caput uno digito ſcaberet. Catoni quoque ebrietas objecta eſt; & Julio Cæſari veſtitus diſcinctus. Ex quo patet, quanta ſit humani ingenij perverſitas, & otioſorum hominum malitia, ut qui longe oculatiores & promtiores ſunt ad reprehendendum, ſi quid forte à magnis viris minus decorè factum eſt, quàm res ab ipſis præclariſſimè geſtas deprædicandas. Magis quidem par fuerat, Athenienſes Cimonem, quum propter patris Miltiadis Marathoniam victoriam, tum ſingularem ipſius liberalitatem, quæ tanta fuit, ut dirutis etiam agrorum & hortorum ſuorum ſepibus, quidvis decerpendi civibus poteſtatem faceret, in oculis ferre ac laudare; Romanos quoque Scipionis meritis, Catonis virtutibus, Pompeij magnitudini, & Julij Cæſaris felicitati omnem honorem ac debitam gratiam deferre multo æquius fuerat, quam in tam minuta inquirere ac cenſuram exercere. *Oculata eſt invidia.* Verum ita comparatum eſt, ut nihil in excelſo poſitum latere poſſit. Et vulgus de magnis viris non id judicat aut loquitur, quod veritas dictat, ſed quod invidia exſculpit.

Sed ut ad rem redeam, tibi etiam atque etiam cogitandum eſt, non magis præclarum quàm difficile munus tibi eſſe demandatum. Plinius ſcribit, Romanos in Bætica provincia, quæ Andaluſia hodie dicitur, quinque juridicos habuiſſe conventus, Gaditanum ſcilicet, Hiſpalenſem, Emeritanum, Aſtaginenſem, & Cordubenſem. Inter hos Gaditanus præcipuus fuit, quod ibi provinciæ Præſes degeret; at apud Emeritam legionum ſtativa erant. Hæc eò tibi in memoriam revocare volui, ut intelligeres, tantò graviora tibi conſtituta adverſaria, ut cui onus, quod in multos olim diviſum fuit, uni ſit impoſitum; adeoque uni omnium voces ſint excipiendæ, reformidanda judicia, & querelæ ſuſtinendæ. Longè alio ſunt ingenio alijſque moribus harum regionum incolæ, quàm veſtrates. Sunt enim aſtuti, verſipelles, acuti, vafri, qui tam ſimulare, quam diſſimulare optime norint: eòque ſuadeo tibi, ut quotquot te acceſſerint, diligenter audias, ſed cautè & prudenter reſpondeas. Ipſe enim experieris, unum tuum reſponſum tot ac tam varijs interpretationibus diſtractum iri, quot quamque varios S. Scriptura ferè habet gloſſatores.

Conſilium quoque meum eſt, ut ſpreta omni novitate, antiquis inſiſtas conſuetudinibus. Mutationes enim ejuſmodi ſive Novationes auctori invidiam & odium conflant, & ſubditis quoque novandi res occaſionem præbent. *Novationes odioſæ.* Omnibus in rebus ſumma utere cautione & prudentia: ſiquidem Judicum limina à pluribus ferè obſervandi, quàm ſeriò aliquid agendi ſtudio frequentantur. Domus Audientiæ (quam vocant) humida eſt, parva, vetus ac ruinoſa, ut credam, te, ubi illam aſpexeris, magis de reſtauranda illa, quàm inhabitanda cogitaturum: quamvis tam hoc quàm alia incommoda amplioris & dignitatis & emolumenti ſpes facile leniet. Prædeceſſor quidem tuus Balearium erat Epiſcopus, quum eidem muneri admoveretur: idem poſtea inde Avilæ factus Epiſcopus diſceſſit. Atque utinam ex Tuyenſi epiſcopo te non multo poſt, laudabiliter decurſo hoc ſpatio, Hiſpalēſem Archiepiſcopum videamus: ut ita prædeceſſorum tuorum non virtutes modo æmuleris, verum etiam fortunam antegrediare, aut certè æques.

Inter labores verò, qui in hoc munere capiundi tibi ſunt, non leviſſimus eſt, quod videndi atque affandi tui copiam amicis denegare non poteris, ac ſecreta cum iiſdem communicare non audebis: *Ab alijs independe.* Ubi enim palam fuerit, te quoſdam ad ſecretiora tua colloquia & conſilia adhibere, cavere vix poteris, quin varias malevolorum incurras calumnias, aut æquitatem tuam inſa-

Digitized by Google

infamantium, aut aliena opera, quaſi pueris ſcirpea quum induitur ratis, natare te & ſuſtentari dicentium: adeo ut dignum potius qui pareas, quam qui imperes, ij qui minus accuratè renorunt, judicaturi ſint. In cauſſis tamen gravibus & arduis plurimum expedit, ut judex fidelium amicorum utatur conſilio, ſed eorum, qui nec privati ſpe emolumenti ducantur, nec ullis alijs vehementioribus animi motibus agitentur.

Cauſſam ſuam apud te agentes cave aſperiori reſponſo excipias aut dimittas. Tam verbis quàm cæteris rebus pro ſuo quemque ſtatu & conditione tracta; ſic enim fiet, ut & juſtum te & civilem ac humanum omnes habeant. Iræ moderare; invidiam, odium procul a te habe, judicisque officium puta, ſuas patienter ferre injurias, alienas, ut dignum eſt, ulciſci. Si quandoque excandeſcas, ne tu in verba prorumpe; ne quibus iraſceris, vel ſolo ſilentio cum exiſtimationis tuæ detrimento ſeſe ulciſcantur. Ad Præſidis officium breviter dicam pertinet, ut rectè judicet, innocenter vivat, cauſas quàm poteſt celeriter expediat, interpellationes & alia patienter ferat, prudenter omnia examinet, ſapienter denique gubernet: quæ omnia ita inter ſe nexa & concatenata ſunt, ut ſi vel unum horum deſit, majorem timere comminationem neceſſe habeat, quam ex reliquis omnibus laudem ſperare poſſit, &c.

Iudicis officium

Ut de me quoque aliquid dicam, mihi jam diu lis eſt de Baſſana Abbatia cum Toletana Eccleſia, quæ in hac Curia agitatur: jamque pro me lata ſententia, illud tantum ſupereſt, ut ea à judicibus recognoſcatur & confirmetur. Quod quum abſente Præſide fieri non poſſit, rogo ut adventum huc tuum, quantum fieri poteſt, matures, & ponas manum ſuper eam, & illico ſanabitur. Propera ſodes, & lætus huc atque alacris deſcende: ut qui poſitus es in ruinam & reſurrectionem multorum. Senatorum tam veterum quàm novorum eximium hic invenies collegium, dignum profecto tali viro.

&c. Granatæ XII. Maij

M D X X X I.

Ad

DIDACUM PACIECUM

EPISTOLA,

De priſcorum hominum longævitate, ejuſque cauſis.

QUod pollicitus fueram, me cauſam tibi explicaturum eſſe, cur prior ætas magis longævos homines produxerit, quàm hæc noſtra, ſimulque oſtenſurum, an eadem fuerit olim menſura annorum, quæ nunc eſt: id ut exſequar, ſententiam ſuper ea re meam tibi exponam.

Primùm, non ea vis eſt cibis noſtris, quæ olim fuit, nec ea ſalubritas. Hinc fertur locus eſſe in Creta editior, cujus habitatores eouſque vitam producant, ut tædio ætatis, ad accelerandam mortem, locum mutent. Cauſam tantæ longævitatis aſſignant, quod in illa regione ob aëris temperiem, quotidie panem toſtum, vino Malvatico (quod illic provenit præſtantiſſimum) tinctum, comedant tempore matutino, quæ res ſufficiēs ſit reſtituendo calori nativo, & viribus corporis reficiendis. Aliam prætérea rationem comminiſcuntur, quod is locus ob altitudinem à diluvio immunis fuerit. Quæ mihi ratio haud probatur, eo quod univerſalis fuerit illa aquarum eluvio, & in genere omnes orbis terras inundarit. Sane, experientia teſte, pro regionum provinciarumq; diverſitate magis minusve longævi homines inveniuntur: eſtq; ejus diverſitatis cauſſa, tū climatis ingenium, tum aëris temperamentum, tum influentiarum qualitas & ciborum. Sed ad quantācunque ætate hodie homines alicubi procedant, ſi tamen eam cum priſcorū hominum ætate cōparaveris, brevis erit. Portus eſt in India, cui nomē Sio: ejus incolæ longa admodum ætate provehuntur. Quin ordinarium eſt in tota India, centeſimū annū excedere. Et ſane in modo dicta urbe hodie adhuc vir quidam vivit ſupra ducenteſimū octogeſimū annum agens. Eidē filius eſt centenario major, & alter ſeptuagenarius. Quem virum Nobiles quidam Luſitani, fide digni, mihi narrarūt a ſe viſum fuiſſe, ſeq; etiam cibum potumq; cum eo cepiſſe. Quod plus eſt, iidem mihi retulerunt pro re certiſſima & minimè fabuloſa, cognitos ſibi in eadē urbe cōplures fuiſſe, qui barbæ & capitis pilos ſecun-

Ciborum vis deterior quàm olim.

Indorū longævitas.

Digitized by Google

ſecundùm & tertiùm mutaſſent, ſecundùm item tertiùmque dentiviſſent.

Sed ut redeam ad Cretenſe illud prolongandæ ætatis remedium, panem nimirum toſtum vino Cretico tinctum, meo judicio, ſi quidem id valeret, quoniam Hiſpania circa S. Martinum & Palacios optimum totius orbis vinum naſcitur, horum longiſſimam vitam eſſe oporteret. Utut ſit, ego cauſſā diminutæ à diluvio hominum ætatis hanc eſſe exiſtimo, quod terra diluvio undique merſa atque emacerata, maiore ex parte vim ſuam amiſerit. Alteram cauſſam arbitror, quoniam priſci illi non carnibus nec pane veſcebantur, ſed glandibus caſtaneiſque, & cæteris fructibus vitam ſuſtentabant: qui fructus, quoniam ad debitam perfectionem bonitatemque perveniebant, vim nutriendi integram habebant, homineſque ipſi ea utebantur circa victum moderatione & diæta, ut quod alimenti aſſumſerant, non corrumperetur in corpore, ſed in ſubſtantiam bonam totum converteretur. At nos, non contenti unius generis victu, varia ferculorum congerie ſtomachum oneramus. Quam varietatem ſtomacho noxiam eſſe, & valetudini adverſam, Avicenna teſtatur his verbis: *Nihil deterius quàm diverſa alimenta in una menſa ſimul, & in comeſtione tempus prolongare.* Vitam enim abbreviat iſta diverſitas, & putrefactionem intra corpus humanum adducit, ob concoctionis difficultatem.

Priſcorum hominum victus.

Longævitas.

Ejuſdem rei hæc quoque, & manifeſtior quidem, cauſſa eſt, quod priſci illi à prima rerum origine proxime aberant. Hinc Adam DCCCCXXX. annos; Mathuſalem DCCCCLX. Cain DCCCCX. vixerunt. Nam quum ipſe Deus Adamum & Evam manibus ſuis formaviſſet, tam præſtans corporis temperamentum illis indidit, ut perpetua ferè uterentur valetudine. Ex his tam ſapientibus patribus & avis prognati, merito & temperamenti ſimilitudinem attraxerunt, & vitæ modum formamque imitati ſunt. Sed ſequuta poſterior ætas, à majorum ſuorum laudabili more & temperantia, libidinum & voluptatum ſtudio, degenerans, ætatem quoque ſuam ad breviores terminos redegit. Quam ad rem non parum etiam adjumenti attulerunt Planetarum aſpectus conjunctioneſque, & permiſtiones elementorum, ad corrumpendam decurtandamque vitam ſuum quoque momentum habentes. Jam terra quoque amiſſa per diluvium nativa ſua ſubſtantia, non tam efficaces amplius vel fructus vel herbas valet producere.

Statura & robur.

Ad ſtaturam autem corporis, & robur membrorum quod attinet, in utroque genere veteres præſtiterunt propterea, quod minus eſſent in Venerem proni. Nam & viri ad triceſimum uſque annum à coitu abſtinebant, & feminæ non nubebant ante viceſimum. Noſtris autem temporibus, non exſpectata ætatis juſta maturitate, viri feminis commiſcentur: quo fit, ut quod nutrimentum ad incrementum corporis diſtribuendum fuerat, alio avertatur. Nam & nimium rebus Venereis indulgent, & ante tempus, & ſtatim à ſumto cibo: quæ res multis modis valetudini damnoſa eſt. D. Auguſtin. lib. de Civit. Dei, & Conciliator auctores ſunt, hanc ob cauſam priſcos illos ſtatura & robore nobis prævaluiſſe. Nicolaus, ſermone 6. de regimine prægnant. ſcribit, homines hoc tempore & ſtatura & robore & ætate minoribus eſſe, quam olim fuerunt. Nunc quum veteres illi (ut ſupra vidimus) ad ſexcenteſimum annum, & ultra ætate proceſſerint, hodie videmus centenarios moleſtè ætatem ferre, & ad hunc terminum pauciſſimos pervenire. Quod videntes, conſiderantesq; eandē illam naturam, quæ hodie viget, tum quoque viguiſſe, non defuerunt qui dicerent, non fuiſſe olim tam longos annos ac jam ſunt, ſed lunares, quorum unus novem & viginti diebus abſolvitur. Et hi quidem pro annis veterum noſtros menſes ſubſtituunt, ut auctor eſt Marcus Varro. Alij affirmare audent, noſtri temporis annum, veterum decennio parem eſſe. Plinius refert, Arcadibus trimeſtres annos fuiſſe: quam Arcadum ſupputandi rationem in calculandis veterum annis ſequendam eſſe, Eliconenſis opinio eſt. Ego vero, omnes iſtas opiniones erroneas eſſe pronuncio, planeq; falſum eſſe ſtatuo, veterum annos noſtris breviores fuiſſe, ideoque illos ad majorem ætatem non perveniſſe, quam nos hodie pervenimus, quum anni noſtri, ut iſtis videtur, majores ſint annis veterum. Contrarium enim aſſerit D. Auguſt. in lib. quem modo citavi, validiſque argumentis eorum opinionem evertit, qui veterum annos noſtris breviores fuiſſe, illorumque decennium nunc annum conſtituere, ſunt arbitrati. Quorum ſi vera eſſet oratio, omnino conſequeretur, aut annum lunarem, novem & viginti diebus conſtantem, non fuiſſe diviſum in duode-

An menſura annorum eadem quæ olim.

duodecim menſes, aut ſi fuit, vix triduum iſtos menſes fuiſſe. Sed præſtat S. Scripturæ teſtimoniis ſententiæ meæ fidem facere. Extat in lib. Geneſeos, univerſale diluvium cœpiſſe die XVII. menſis ſecundi. Ex quo liquet, annos illos noſtris pares fuiſſe. Præterea ſi noſtri anni veterum annis eſſent decuplo majores, conſequens eſſet, veteres illos ſeptimo ætatis anno jam potuiſſe prolem procreare: id quod rationi repugnat. Nam Cainum anno 70. multos filios generaſſe, in Geneſi memoriæ proditum eſt. Septimo igitur anno Cainum liberis operam dediſſe, ſecundum iſtos neceſſe foret: quod fieri nequit.

Anni Lunares. Eadem falſitate ſecunda opinio laborat, quæ ſtatuit, annos veterum lunares fuiſſe, quorum duodecim uno noſtrorum annorum non fuerint majores: & tertia quoque, quæ aſſerit, tres menſes olim annum conſtituiſſe, atque IV. ejuſmodi annos hodie unicum conſtituere. Ex ſcriptura enim, qua ego nitor, contrarium patet. Nam in Geneſi ſcriptum eſt, Arcam Noachi, poſtquam aquis innataſſet, ſeptimo demum menſe, ſubſidentibus aquis, in ſicco deſtitutam fuiſſe. Et in initio decimi menſis, Noachus dicitur culmina montium primum proſpexiſſe. Unde jam palpari poteſt eorum error, qui annos veterum noſtris breviores efficere conantur. Nam quum expreſſa, ut videmus, mentio extet in S. literis, & ſeptimi & decimi menſis, nec non diei menſis XXV. conſtat, veterum annos pares noſtris fuiſſe, & illos non minus, quam nos pro anno duodecim menſes numeraſſe.

Dies olim quales. Ad dies quod attinet, eos illi quoque ſimiliter ut nos, in horas XXIV. tum diurnas, tum nocturnas partiti fuerunt. Legitur enim in Geneſi, loco citato, pluiſſe dies XL. & noctes XL. Ut nullum dubium relinquatur, meo quidem judicio, hanc meam ſententiam veritati eſſe conſentaneam, nihil fuiſſe inter veterum annos, & noſtros differentiæ, omninoque etiam illos, XII. menſes pro anno, & pro menſe dies, plus minus, XXX. numeraſſe. Nam quum illa ætate præſtantiſſimi Aſtrologi eſſent, maximè apud Hebræos & Ægyptios, conſentaneum eſt, ſolis curſum in computando anno non minus illis, quam nobis, obſervatum fuiſſe. Quamobrem dicendum eſt, quum Adamus annos DCCCCXXX. vixerit, & Mathuſalem DCCCCLX. illos, nec minus cæteros veterum annos totidem menſibus; totidemq; diebus conſtitiſſe, quot noſtri anni conſtant.

Sed tempus monet, ut & ipſe ad quietem me componam, & calamum [illegible]: itaque finem hic faciam, exiſtimans ſatisfactum eſſe & tuo deſiderio & meæ promiſſioni. Salmanticæ, XV. Junii CIƆIƆXL.

Ad

DIDACUM CAMINAM
EPISTOLA,
De latipatente Invidiæ regno.

SCribis, vehementer te Iraſci invidis quibuſdam, omnia à te dicta aut facta calumniantibus. Equidem quod moleſtè id feras, ignoſcendum tibi puto; quod iraſceris, minus rectè te facere exiſtimo. Multo ſatius eſt, invidiam hominum quàm miſericordiam experiri. Omnium vitiorum vetuſtiſſimum eſt Invidia: de qua primi homines queſti ſunt, & ultimi etiam ſub fine mundi querentur. Idem enim, mihi crede, Invidiæ & Mundi finis erit. Inter Evam & ſerpentem, Abelem & Cainum, Jacobum & Eſavum, Joſephum & fratres, Davidem & Saulem, Jobum & Sathanam, Ahitophelem & Buſium, Ammonem & Mardochæum diſſidia & inſidias quid aliud niſi invidia excitavit? *Invidia vetuſtiſſimum malum.* Multo capitalior illa eſt inimicitia, quæ ex Invidia, quam quæ ex deſpectu & contumelia promanat. Ubi enim ulta ſe fuerit contumelia, quieſcit; at invidia ne exitio quidem expletur. Gravius longè & diuturnius bellum fuit inter Romanos & Pœnos, quam inter Græcos Trojanos. Hoc enim ex Helenæ raptu contumelia; illud Imperii æmulatio accenderat. Quid funeſtum illud inter Pompejum & Cæſarem bellum conflavit niſi Invidia? quod ſcilicet alter parem, alter priorem ferre non poſſet: & Pompejus Cæſaris felicitati, Cæſar Pompeii auctoritati & magnitudini invideret.

Pauci, meo judicio, ſunt, qui omnia vitia habeant, ſed pauciores, qui omnibus careant. Probo invidetur: improbus aliis invidet: ſicut vitium hoc vix quiſquam effugere poſſit, dum eo vel alios infeſtat, vel ab aliis infeſtatur. A mendaci cavere tibi potes, ſi cum eo nihil loquaris; à ſuperbo, ſi lubens ei ceſſeris; ab ignavo, ſi contemnas, à guloſo & lurcone, ſi menſam ejus fugias;

gias; ab iracundo, ſi à jurgio abſtineas; ab avaro, ſi nihil ab eo petas: at Invidiam utcumque fugias, nunquam tamen effugies, immo quanto magis illam fugeris, tanto acrius te perſequetur. Nulla arx tam munita eſt, in quam non introrumpat; nullus tam excelſus murus, quem non tranſcendat; nulli tam anguſti tamque profundi cuniculi, ad quos nõ penetret; nulla tanta potentia, cui non ſeſe objiciat; nullus homo, quem non invadere auſit. Eſto, in uno homine omnia hæc inſint, forma Abſalonis, Salomonis ſapientia, Azaelis agilitas, Crœſi opulentia, fortitudo Hectoris, Homeri eloquentia, facundia Ciceronis, Julii Cæſaris felicitas, Trojani juſtitiâ, & quid non? Verè dico, quanto plures & majores in ipſo dotes agnoſcentur, tanto pluribus & validioribus Invidiæ telis impetetur. Lupus pecori inſidiatur, corvi cadavera ſectantur, apes flores circumvolitant & populantur, homines pecuniam & opes quærunt; Invidia felicitatis eſt comes. Eſt enim natura fere ita comparatum, ut quemadmodum miſeris & afflictis condolemus, ita fortunatis invideamus; Non cicutæ Socratis, ſed virtuti: non Ciceronis exilio, ſed eloquentiæ; non Pompeii fugæ & cladi, ſed immaturis honorib' & magnitudini; non Catonis, quo ſe transfixit gladio, ſed conſtantiæ; non furcæ Polycratis, ſed perpetuæ felicitati: non Cæſaris vulneribus, ſed dominationi quiſquam invidit. In eo mirum eſt, quam ſe humani animi prodat malitia, quod pauci ſunt, qui afflictos ſublevent; at multi, qui ſuos ipſorum amicos deijcere ſtudeant & proculcare. Quiſquis es quantumcunque felix, ne tibi umquam perſuade, majorem ad tuas opes quã ad vicinorum invidiam fore acceſſionem.

Ecquid, mi Didace, huic tu quoque Invidiæ collegio ſeu fraternitati nomen dare cupis? Age ſis, appende libræ ceram, & in ſocietatem hanc venire ne recuſa, in qua fideles & infideles, præſentes & abſentes, divites & pauperes, vivi & mortui reperiuntur. Invidorum enim præcipuum munus eſt, vivos ſepelire, & exhumare ſepultos. Quæ privilegia ipſorum ſint & conſuetudines, quæris? Aliquot accipe. Non illis in ſacello aut alio certo loco condictus aut ſtatus eſt conventus, ſed domi ſuæ deſidentes, aut ubicunque deprehenſi ſacris deæ ſuæ operantur. Non pauperibus illi, ſed divitibus dentem impingunt: non proſunt, ſed nocent; non dant, ſed rapiunt; non bene, ſed male precantur; non hoſtes, ſed amicos

Invidorum mores.

ulciſcuntur. Verbo dicam, hoc illis peculiare eſt ut nec alter alterum ferre, nec inter ſe, nec apud alios verum dicere poſſit. Quamvis autem fraternitas hæc ſive ſocietas, ob multas, quas habet moleſtias, merito alicui diſplicere poſſit: mihi tamen crede, miſer eſt quisquis in eam non adſcribitur. Quem enim Invidia præterit, cum certum eſt à fortuna quoque negligi ac præteriri. Themiſtoclem ferunt, rogatum aliquando: Ecquid triſtis eſſet? reſpondiſſe, eo quod id ætatis nihil dum geſſi civium meorum invidia dignum. Siciliam peſſimi tyranni fere continua ſerie male habuerunt: adeo ut neſciam, utrùm ob ſeptem ſuos, quos produxit, Sapientes beatior Græcia, an ob tot, quos paſſa eſt tyrannos, infelicior Sicilia habenda ſit. Ex iis unus moriens filium monuiſſe dicitur, daret operam, ſi beatus eſſe vellet, ut ipſe nemini, ſed omnes ipſi inviderent. Non tyranno, ſed ſapientiſſimo viro digna hæc vox eſt. Id enim voluit, virtutem ſummo ſtudio ſectandam, ſed vitia fugienda eſſe.

Miſer eſt cui non invidetur.

Ex his, opinor, intelligis cauſſam tibi nullam eſſe ut aliorum invidia doleas: multoq; pręſtare, ut illa te ſequatur, quàm felicitas te fugiat; aut tu, cujus illa utriuſque comes eſt, virtutem deſeras, aut ab illa deſeraris. Novarum rerum hic nihil eſt, niſi forte hoc ſcire tua intereſt, quemadmodum apud vos Invidia regnum tenet, ita calumniandi & maledicendi libidinem adeo tyrannicè apud nos graſſari, ut nec Regi, immo nec ipſi Deo pariat. Valeat. Vallidoleti XXVI. Octobris Anno M CIↃ IↃXX.

Ad

FERDINANDUM

CORTESIUM, &c.

EPISTOLA,

Qua cauſſa explicantur, cur alii inter audiendum ſomno opprimantur, alii non: itemq; cur proles alia patris, alia matris &c. vultum referat.

QUOD ſerius reſpondeam ad tuas, culpam eius rei non negligentiæ meæ, ſed occupationibus imputabis, Princeps illuſtriſſime, meque eo nomine excuſatum habebis. Reſponſum autem ipſum æqui bonique conſules.

Non

Digitized by Google

Non enim à ſomniante, aut non ſatis meditato exaratum eſt. Debent enim quæ ſcribuntur ad amicos, maximè vero ad tam Illuſtres viros, non modo diligenter conſiderari, ſed & ſepties, immo ſeptuagies ſepties ad judicii trutinam examinari: ſiquidem nihil eſt, quod æquè conſpiciendum exhibeat hominis ingenium, ac ſermo & ſcriptio.

Quæris, cur ita in concionibus aut lectionibus audiendis alii ſtatim dormitare incipiant, alii vero minimè? Tum, quæ cauſa ſit, cur proles modo patri, modo matri ſimilior ſit? item, cur quandoque etiam avi, aut alterius ex conſanguineis vultum referat.

Ad primam quæſtionem quod attinet, cur ex auditoribus alii aliis facilius obruantur ſomno, cauſſa ejus rei eſt, temperamenti diverſitas. Nam quos in concione aut lectione facile ſomnus occupat, iis eſt cerebrum humidum, oneratum humoribus craſſis & frigidis, ex quibus evaporationes exiſtunt: quibus dum occupatus eſt ſpiritus hominis, ſi legendum audiendumve ipſi aliquid ſit, fit, ut ex attenuatione iſtarum evaporationum fumi exſurgant, qui ſomnum homini inducunt, cerebrum frigefaciendo, aggravando & condenſando ſpiritus, & ſenſuum officia ſuſpendendo. Verum quibus temperamentum eſt calidum & cholericum, inſomnes efficiuntur, ob vapores à ſpiritibus aſcendentes. Hi enim duplicem motum in homine producunt, unum ſpritualem & intellectus proprium, quo componunt & dividunt: alterum in ipſis ſpiritibus reſidentem, eumque pro conditione materiæ, quam vel legendo vel audiendo percipiunt, varium. Nam ſi ingratum tædioſumque ſit, quod oculis aut auribus hauritur, multoque magis ſi ſit formidabile, tum ſpiritus ad interiora corporis ſeſe recipiunt atque retrahunt, qua ſpirituum motuumque retractione ſomnus impeditur. Phlegmatici contra, quia ſpiritus eiiciunt & ad cerebrum propellunt ob exhalationem atque evaporationem ſpirituum, continuo ſopore corripiuntur. Itaque quibus cholera eſt inſigni ſiccitate & calore, legentes vigilant: ſi tamen id, quod legunt, intelligunt. Nam ſi non ſit illis cordi lectio aut curæ, ipſi quoque ſomno obruuntur. Quod ſi concio aut oratio nimia vel prolixitate vel materiæ varietate laboret, quantumvis ſit homo cholericus, non poteſt temperare à ſomno At phlegmatici, quamvis intelligant, quod audiunt & legunt, nihilominus tamen ob cauſas quas commemoravi, dormire compelluntur.

Ex iis quæ diximus, apparet, cholericos, quoniam alacrem vigilantemque habent vitalem ſpiritum, non facile ſomnum capere. Sunt enim curioſi admodum & cupidi ea legendi cognoſcendique, quæ hactenus nec lecta nec viſu audituve cognita ipſis fuerunt: & licet non ſint ignari alicujus rei, tamen ſi ejus vel utilitatem vel jucunditatem perſpectam habeant, ejus tenentur ſtudio majori; eoque operam dant, ut aſſequantur quod audiunt leguntve, maxime ſi id ejuſmodi ſit, cujus delectatione teneantur, & cujus ſcientiam ſe conſequi poſſe non deſperent. Et hac quidem ratione ut plurimum vigilant, ſoporemque ab oculis arcent. E contrario phlegmatici, hebetiſque ingenii homines, mentem animumque in id, quod audiunt aut legunt, intendere non ſuſtinent, ſed exhalationibus ſuis exitum indulgentes, ſomno vincuntur. Idemque illis evenit, qui argumentum aliquod legunt, aut audiunt concionem, cujus ſenſum non aſſequuntur. Qui ſi forte à ſomno abſtineant, non aliam ob cauſſam id facere exiſtimandi ſunt, quam quod pudore, ne riſui ſint aliis, prohibeantur. Triſtitiam quoque videmus, & mœrorem, & metum impendentis mali, ſomnum diſcutere, & impedire. Ut ſi quis facinoroſo aut captivo dormienti improviſus nuncius adſit, ſignificat poſtridie moriendum ipſi eſſe, ideoque requiri, ut conſcientiæ ſalutiſque ſuæ curam habeat: ſubito miſerum invadet tanta conſternatio & mortis formido, ut ſomnum capere oculis nulla ratione poſſit, ſed continuis vigiliis extremum vitæ finem exſpectet, verſantibusque ante oculos cruciatuum imaginibus, animo angatur atque afflictetur, mentem huc illuc dividens, ſi quam elabendi, mortiſque imminentis effugiendæ rationem comminiſci poſſit. Ob quam cauſſam Avicenna monet Lethargicos (qui perpetuo & inexpugnabili ſomno laborant) ingrato aliquo nuncio, de morte hominis amiciſſimi, aut ſimili percellendos eſſe, ut terrore metuque conſternati, à ſomno & morbo liberentur. Breves autem & jucundæ conciones ac narrationes ſomnum, ut diximus, non inducunt. Brevitas enim efficit, ut ſpiritus ſpatium non habeant frigus contrahendi, nec in eundem coeundi, nec ſomnum in homine procreandi. Eædem ſi fuerint prolixæ, nec lepôris aliquo ſale conditæ, tædium, & ex tæ-

Digitized by Google

&tædio ſomnum, reſolutis ſpiritibus, in homine producunt. Quamobrem cui propoſitum eſt, veternum ſomnolento homini excutere, neceſſe eſt, hiſtoriam aliquam auribus novam & jucundam illi enarret, atque interim vocem paulatim attollat: ſi ſtatuit ſomnum alicui inducere, in ſimilis hiſtoriæ narratione vocem ſenſim ſubmittat.

Venio ad alteram quæſtionem, cur infantes ſæpè patribus, & nonnunquam matribus ſimiliores naſcantur. Notandum eſt igitur, ſi in congreſſu maris,& feminę virile ſemen efficaciâ, muliebri præſtiterit, prolem, quæ ex ea conjunctione generatur, patri quam matri ſimiliorem futuram: ſin viri ſemen à ſemine feminæ ſuperatum fuerit, matri ſimilem evaſuram. At ſi utriuſque ſemen bonum validumque exſtiterit, utrique parenti ex parte ſimilis proles creabitur.

Quod vero nonnunquam etiam avi aut alterius ex conſanguineis ſimilitudinem referunt nati, id ex inclinatione eſt, qua vel pater vel mater in ipſo generationis actu erga parentes aut propinquos proprios afficitur. Nam hic affectus formam eorum, in quos fertur, imaginationi illorum repræſentat. Quæ etiam cauſſa eſt, ut non raro alterius quoque, qui ſanguine junctus non eſt, ſimilitudo in liberis conſpiciatur. Exemplum eorum quæ diximus, luculentum nobis exhibet Jacobi Patriarchæ hiſtoria: qui, inita cum ſocero ſuo Labane pactione, ut pro paſtura ovium ejus mercedem acciperet, omnes oves verſicolores. hac arte uſus eſt. Tempore aquationis baculos in aquas collocavit, imbutos iis coloribus, quos in agnis produci cupiebat: quibus ante oculos poſitis quum oves concepiſſent, ob imaginationis vim, verſicolores partus ediderunt. Ex quo patet, quanta vis ſit imaginationis, ut etiam ea, quæ fiunt iis quæ animo concipiuntur, ſimilia ac conformia reddat, &c. Madriti xx. Januarii CIↃ IↃ XXXIX.

Ad ANTONIUM ZUNIGAM

EPISTOLA,

In qua oſtendit, Nobilis eſſe, cum reprehenſionem non poſſit, ſaltim omnem à ſe turpitudinem & infamiam amoliri.

HEſterno die, qui D. Luciæ virgini ſacer eſt, litteras tuas in caſtris ad Toletum ſcriptas à Lupo Oſorio accepi: quarum etiam primus aſpectus ſummæ mihi voluptati fuit, tum quod ab eo eſſent, quem inter Nobilitatem noſtram magni ego ſemper feci & facio: tum quia ex eo loco, quo nullus jam oſtentandæ virtuti aptior eſt. Tanto etiam mihi gratiores eædem, quanto minus exſpectatæ fuerunt. Equidem quum hæc tempora turbis & ſeditionibus plena aſpicio, parum mihi Nobilis videtur, qui domi jam deſideat, voluptatibus ſeſe oblectans, quum in aciem prodeundi & dimicandi ſit tempus. Sacerdoti ſeu Religioſo cella convenit, ruſtico caſa, Nobili caſtra. Vis apertius dicam? Sacerdos oret, ruſticus aret, Nobilis pugnet. Non propterea quis Nobilis aut Eques dicitur, quod ſplendidis ortus ſit natalibus, & pecunia & facultatibus abundet, (hæc enim apud mercatores quoque reperiuntur) ſed is demum hoc nomine dignus cenſendus eſt, qui modeſtus & comis ſit in ſermone, in dando liberalis, in victu moderatus, in vita honeſtus, in negotiis ſincerus, ad ignoſcendum facilis, in periculis & bello animoſus. Quid enim juvat alto prognatum eſſe genere? quid multas poſſidere divitias? quid, numeroſos habere clientum & ſervorum greges? ſi orationem contaminet ruſticitas, mores incivilitas, victus rationem ingluvies, vitam ſuperbia & reliqua vitiorum ſentina. Talem hominem, ut & avarum, ignavum & timidum quis non infra infimos homines potius amandandum, quam Nobilium numero adſcribendum cenſeat? Malitia, ignavia, levitas, mentiendi libido, fraus & quidquid harum rerum eſt, à Nobili quàm longiſſime abeſſe debent: qui licet ſuos quoque nævos habeat, cavere tamen debet ne merito ulla infamiæ labe aſpergatur. Hactenus virtutis ſuæ tam patriæ quam Regi probandæ non ita multas occaſiones Nobilitas habuit: at jam Rege abſente, Reginæ viribus parum firmis, fuga diſperſo Senatu Regio, magiſtratibus metu perculſis, provinciarum præſidibus in procinctu ſtantibus, populo per totum regnum ad rebellionem concitato, jam, inquam, jam tempus eſt, ut ſuum in reducendis ad obedientiam ſubditis regnoque pacando faciat officium Nobilitas, ac patriæ regique bonam ac pluſquam neceſſariam operam navet. Non odoramentis imbutæ, ſed ferro rigentes chirothecæ Equiti jam ſumendæ, non phaleratus mulus ſed equus

Suum cuique officium faciendum.

Nobilem virtus facit.

Digitized by Google

equus cataphractus conſcendendus; non ſerica veſtimenta, ſed panoplia induenda; nõ venationi indulgendum, ſed ſub pellibus excubandum, non bibliothecæ ſed armarii cura habenda eſt. Ea funt Reipublicæ tempora, ut non minus arma Nobilitatis, quam ſacerdotum preces requirant. Ut enim precibus peccata delentur, ita armis hoſtes propulſantur. Quod cum quidem in finem à me fcribitur, ut intelligas, non ca rantum, quæ in veſtro exercitu fiunt, ſed etiam quæ dicuntur, maxima minima juxta nobis hic nota eſſe: quot tu quidem moleſtè ferre non debes, ut cujus ſingularem prudentiam & fortitudinem plerique omnes deprædicant, ſortunam fauſtis omnibus proſequuntur.

Inter fortiſſimos belli duces ſortunam ducit Judas Machabæus: qui, ut fuga vitæ ſuæ conſuleret amicis monentibus (ut qui hoſte tam viribus, quam cæteris rebus longe eſſet inferior) Abſit, inquit, ut nomini noſtro hoc inuramus dedecus: quin certum nobis eſt hoc ipſo loco honeſtam potius mortem pro lege & fratribus noſtris pugnando oppetere, quam ignomniosa fuga vitam ſervare. Generoſa & illa vox eſt Græci cujuſdam imperatoris, qui maximas hoſtium eſſe copias mon tus, Tanto, inquit, noſtra præclarior erit victoria. Et quidem, ut Cicero inquit, non ſinguli tantum duces, ut Decii, & alii, ſed integri etiam exercitus voluntariæ pro patria, ſed glorioſæ morti ſeſe objecerunt. Certe apud Spartiatas fugæ perpetua ignominia, honeſtæ vero in prælio morti æterna laus, publica lege erat propoſita. Bias cum Iphicrate Athenienſium duce bellum gerens, quum improvisò ab hoſtibus circumventus, à ſuis fugam circumſpicientibus rogaretur, quid faciendum eſſet? Vos, inquit, ſi vultis, vivis renunciate me pugnãtem fortiter occubuiſſe; ego turpis veſtræ fugæ nuncius ad mortuos ſive inferos proficiſcar. Spartanus neſcio quis cuidam dicenti tantam ſagittarum multitudinem ab hoſte effuſum iri, ut ſolem ipſum obſcuraturæ ſint, Jucundam, inquit, rem narras: in umbra ergo pugnabimus. Charilaus cuidam de hoſtium numero percunctanti, Non, inquit, quam multi, ſed ubi ſint hoſtes quærendum eſt. Alcibiades ſuis ad arma conclamantibus & in hoſtium ſe manus incidiſſe dicentibus. Nequaquam ait, nos in hoſtium, ſed hoſtes in noſtras manus inciderunt. Hæc ego fortiter dicta & facta ex antiquis hiſtoriis hic repetere volui, ut

Hoſtis deiiciendus, non numerandus

poſteritati notum facerem, inter præſtantiſſimos ejuſmodi bellatores tibi quoque locum deberi, ut quorum dicta & facta non æmulatus tantum fueris, verum etiam ſuperaris. Audivimus hic paucos ante dies, quum Toletani eruptione facta, equitatus veſtri partem ita aggreſſi fuiſſent, ut non pauci jam fugere inciperent, Te altiſſima voce tuos his vocibus inclamaſſe: Adeſte, adeſte fortiſſimi milites, quo fugitis? Victoria, victoria. Aut vincentes voto noſtro potiamur; aut morientes fidem noſtram Regi & patriæ probemus. O verba præclara, & digna quæ ſepulchro tuo olim inſculpantur! neque enim dixiſſe hæc contentus, ſed in medios hoſtes invectus, ſeptem quidem tua manu cæcidiſti, at ſeptem millia fortitudine tua in fugam eo die compuliſti. Certum eſt Romanos non tam viribus & militum numero, quam ducum virtute tot tantaſque victorias conſequutos eſſe; quarum hodieque laus non tam militibus quam imperatori ac ducibus tribui ſolet. Belum jactant Aſſyrii, Perſæ Cyrum, Thebani Herculem, Achillem Græci, Hebræi Judam Machabæum, Pyrrhum Epirotæ, Scipionem Romani, Pœni Hannibalem, Hiſpani Viriatum: qui genere Luſitanus, paſtor primum, deinde ex paſtore latro, ac mox ex latrone militum dux atque imperaror, & ut Florus inquit, ſi fortuna acceſſiſſet, Hiſpaniæ Romulus, per quatuordecim annos populum Romanum varia victoria fatigavit; tandem per fraudem, inſidias & domeſticos percuſſores inreremtus fuit, hac poſt ſe relicta gloria, ut videretur aliter vinci non potuiſſe.

Nota verba fortis ducis.

Viriatus Luſitanus.

Hujus hic exemplum ob oculos tibi ponere volui, ut tamquam alter quidam Viriatus, vel potius Judas Machabæus hoc civili bello ita te geras, ut nomen tuum hoſtes reformident, & amici ad cœlum laudibus ferant. Quod ſi certam ac plenam cupias victoriam conſequi, age, vitiis bellum indicito, iiſque animum penitus purgato; memor paucis, & ut in ſpeciem videntur, exiguis tui ſimilium virorum peccatis multas & præclaras victorias ſæpè impediri aut corrumpi. Quod per Ferdinandum Vegam me rogas ut in Hiſtoria, quam præ manibus habeo, tui quòque memoriam honorificè uſurpem; equidem lubens ac merito etiam tuo faxo, ut Achilleæ haſtæ Homeri tuba ne deſit. Medinæ ad Rivum ſiccum XVIII. Februarii MDXXII.

Ad
INIGUM VELASCUM CASTILIÆ COMESTABILEM, &c.
EPISTOLA,

In qua inter alia Laconiſmus, ſeu veterum in ſcribendo brevitas indicatur.

Litteræ tuæ XXX. Septembris Villoiadæ ſcriptæ, Vallidoleti IV. Octobris mihi redditæ ſunt, ſi locorum ſpectes diſtantiam, tam recentes, ut truttas inde recentiores vix optare auſim. Curſores nuncios (quos Pegaſeos merito quis appellare poſſit) Pyrrhus Epirotarum Rex primus inſtituiſſe, tantamque ea in re diligentiam adhibuiſſe dicitur, ut Tarentum obſidens, Romā quotidie, biduo quoque è Gallis, triduo è Germania, & quinto quoque die ex Aſia rerum novarum nuncia ad ipſum perferrentur. Natura homo novitatis eſt avidus, ac quanto unumquodque rarius eſt magiſque recens, tanto magis eo delectatur. Hac prærogativa gaudetis vos Magnates, quod de iis, quæ ſcire cupitis, intra breve tempus etiam è longinquis locis certiores reddimini: etſi non dubito, nonnumquam intra triduum vos ea reſcire, quæ nec intra triennium aut forte nonnunquam ſcire optaretis. Nullum gaudium, nulla voluptas in hac vita tanta eſt, quæ non incommodum & dolorem habeat admiſtum: ita ut una ſæpe hora auferat, quod multis annis ægrè partum eſt. Hoc eò dicere volui, ut Moſen Rubinum tanto pluris facias, impigrum ſane hominem & ſtrenuum viatorem, quem niſi Pegaſi aut Mercurii alas habuerit, vix credibile eſt, tam cito huc pervenire potuiſſe. Sed jam ad litteras ipſas reſpondebo.

Quæris, quum ortu nobilis ſim, ſtatura procerus, in Miſſis, quas dico, tardus, in concionibus, quas habeo, prolixus: quid cauſæ ſit, quod in ſcribendo tam brevis ſim, in iis præſertim litteris, quas nuper è monaſterio Preſano in Valle ad te dedi, quas ais, vix quatuor periodis, & non totis ſex lineis conſtare? Equidem hac tua quæſtione id video te ſpectare, ut ab inſtituto illo meo diſcedendi anſam mihi præbeas, & prolixe ad ſingula reſpondendi quaſi neceſſitatem quandam imponas, Quod faciam quidem; ſed magis quia id te velle intelligo, quam quod neceſſe putem. Ad genus meum quod attinet, avus mihi fuit Don Beltramus de Guevara, & ejuſdem nominis pater. Patruus mihi fuit Don Latro de Guevara: mihi vero Don Antonio de Guevara nomen eſt. Familia noſtra è Britannia deſcendit: atque illud ſine jactantia dicere poſſumus, Guevaræum in Caſtilia prius, quam Regium nomen notum fuiſſe. Tota ſtirps Guevararum in ſex veluti ramos diviſa eſt, quorum principes ſeu præcipui ſunt Comes Onnatenſis, Latro de Guevara Valdalleganus, Carolus de Guevara Murcienſis, Beltramus de Guevara Morata. *Guevara ſtirps.* Quamvis autem opibus hi multis aliis forte inferiores ſint, nulli tamen genere ſuo digna virtus deeſt: ſic ut Guevaræ non tam opibus quam generis antiquitate glorientur. Natalium antiquitas & ſplendor honoris multum adjicit, nec ſaluti quidquam detrahit: quinimmò generis obſcuritas multis obſtat, & infamia ad deſperationem adigit; honeſtas econtra acre ad virtutem calcar addit, & in quibuſcumque rebus non exiguum ſolatium adfert. Salvator ac Dominus Noſter non è tribu Beniamin, ſed Juda naſci voluit. Apud Romanos Lex proſapiæ Sylvios, Torquatos, Fabios &c. tamquam antiquiſſimas familias in bonorum petitione cæteris præferebat, Solonis poſteros Athenienſes, Lycurgi Spartani, Catones Uticenſes, &c præcipuo honore dignati ſunt tàm ob propriam virtutem, quàm majorum merita & memoriam. Econtra apud Romanos Tarquiniorum, Catilinarum, Clodiorum, &c. familiæ ob paucorum ſcelera tam inviſæ fuerunt, ut non modo honorum aditu prohibitæ, verum etiam ex urbe ſint ejectæ. Maximum ſane probrum eſt à majorum virtute degenerare; ad generis vero laudem propriam virtutem adjungere, duplex eſt Nobilitas.

In bello ſtrenuitas, in periculis conſtantia, in donando liberalitas, in loquendo urbanitas, in audiendo fortitudo, in ignoſcendo facilitas, ejuſmodi virtutes ſunt, quæ plebeiorum hominum fortunam fere ſupergrediuntur, ac non niſi apud nobiles & generoſos repeniuntur. Et quoniam rarò illud quæri ſolet, Quis aut qualis quiſque, ſed quo genere prognatus ſit: non leve ſane homini decus eſſe exiſtimo, ſi generis nobilitatem ſeu antiquitatem allegare poſſit, multo- *Genus ſequitur proles.*

que

que majus, ſi propriis illud virtutibus cohoneſtet.

Quod ais ſtatura me procerum, corpore ſiccum & macilentum eſſe, equidem ſingula hæc laudis mihi potius quam probri loco duco. Nonne videmus ligna oblonga & ſicca majori precio venire & ad uſum magis expeti quã brevia & humentia? Quod ſi procera & robuſta corporis ſtatura Deo diſplicuiſſet, non ille Pallantem, non Herculem, non Milonem Crotoniatem, non Samſonem, non alios deniq; de quorum & vaſta corporis mole tam ſacræ quam prophanæ teſtantur Hiſtoriæ, creaſſet: quorum comparatione reliqui homines velut tipulæ volitabant. Etiam Julius Cæſar non enormi, procera tamen corporis ſtatura fuiſſe perhibetur. Auguſtus quidem Cæſar ex altiuſcule arboribus poma humi inſiſtens facile decerpebat. Sylla tam altus fuit, ut portam quamcumque ingreſſurus (nec tamen anſerum more) cervices inclinaret. Saulem certe è S. Scriptura novimus, univerſo populo eminentiorem toto capite fuiſſe. Scipionem Livius teſtatur corporis magnitudine paucos; animi, neminem parem habuiſſe. A rerum geſtarum magnitudine Alexander Magni cognomentum adeptus eſſe dicitur: eidem tamen ſi non corpus (quamquam & hoc ei non defuit) cor tamen tam magnum, immò tam ingens fuit, ut quum ipſe jam totum Mundum concepiſſet, Mundus tamen totus eum vix caperet: ut mirum ſit, quomodo tam vaſta res, qualis hominis eſt animus, tam anguſto corpore concludi poſſit. E duobus, ſi alterutrum eligendum ſit, malim ego procerior eſſe aliquanto, quam inſtar Pygmæi, brevior, & ut cum Poëta jocer, pede vix altior uno. E longa veſte facile aliquid demas; ſed non facile citra deformitatem aliquid aſſuas. Quoties Alphonſum Enricum, Alvarum Gomeſium, Salutum, Valderavanum, Figueroam, omnes, ut noſti, puſillæ ſtaturæ homines per aulam curſantes aſpicio, nunquam non triſtes aut irati mihi videntur. Anguſti enim camini difficilius fumum tranſmittunt, quam laxi. Et parvæ ollæ igni appoſitæ, ſimul bulliunt, & quod habent funditus pæne effundunt. Memini quum olim ad monaſterium Torreguiſardam veniſſem, ac ſemel atque iterum fores pulſaſſem, exiguæ ſtaturæ monachum torvè me intuentem, non ſine ſtomacho quid vellem, rogaſſe. Tum ego, Bona verba, inquam, Domine frater: ſane impatiens admodum mihi videris. Ille, quid tu? inquit. Sane parum civilis mihi tu videris. Ego, Mitte iſthac, inquam, & da mihi quod bibam. Ille vero, Non tu noſti me, inquit. Statura hæc mea tibi forte contemtui eſt. Sed tu hoc ſcias, totum hoc corpuſculum è mero ferro & chalybe conflatum eſſe. Mihi quidem proceri ejuſmodi homines, qualis tu es, ſi interdiu ſermonem mecum conferant, noctu per inſomnia occurrunt. Nuper ego cor meum ipſe menſus ſum, & quinq; ulnis corpore majus eſſe deprehendi. Facetè narras, inquam, Domine Pater, & facile ego quinque ulnarum cor tibi eſſe credam, qui corpus tuum videam ſeſqui ulna longum. Hæc audiens iratus ille abiit, ſed fruſtra exſpectantem me ad portam ſitientem reliquit. Sclopeta minora, ut tu ipſe noſti, Domine, citius rumpuntur quàm majora. Urbs parva facilius obſidetur ac capitur quàm magna. Periculoſiora etiam ut plurimum ſunt anguſto alveo labentia flumina, quam ſpacioſa. In viarum anguſtiis iter facientibus majus eſt vitæ periculum. Parva animantia non tantas hominum uſibus adferunt utilitates, quantas majora ſive jumenta ſive armenta, qualia ſunt Elephantes, Cameli, equi, boves, bubali, &c. quin minuta illa, ut pulices, culices, cimices, mures, &c. ad homines tantum vexandos nata videntur.

Homines breves ad iramfaciles.

Addis pro ſecundo, Me in Miſſis legendis valdè tardum eſſe & prolixum. Tu vero memineris, ſi ego in Miſſis aut precibus recitandis prolixus ſim, te in ſermone non minus eſſe profuſum: ut quem ſæpe verba facere orſum, priuſquam exitum oratio inveniret, relinquere coactus fuerim. Sed quæſo an minus rectè tibi facere videor, quod delictorum meorum, quæ feci, pondera ad Miſſarum, quas dico, momenta appendam & menſurem? Anne æquum eſt, ut qui diu multumque peccavit, breviter ac perfunctoriè Deum deprecetur? Redemptor & Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in cæteris rebus omnibus celer fuit & expeditus, ſed in oratione ad Patrem ſuum cæleſtem prolixus: id quod in horto Gethſemani facile apparuit, ubi quanto vehementiſſimus ille agon magis ſeſe intendit, tanto acrius ille preces continuavit.

Tertium, quo pungere me conaris, illud eſt, quod ais, in concionibus itidem nõ minus quam ſtatura longum & prolixum me eſſe. Ego vero ajo, ei qui vere pius ſit, quique non curioſus potius quam

Digitized by Google

quam Chriſtianus ſit, nullum de rebus ſacris & ad ſalutem pertinentibus rebus ſermonem nimis prolixum videri poſſe, aut certe debere. Annum ætatis jam ego triceſimum octavum ago, atque intra id tempus omnia tam privatim ferè quam publicè in majus aucta video, præter ſacros ejuſmodi Sermones, quorum ſtata & veluti condicta inter concionatorem & Auditores eſt menſura, à qua vel digitum diſcedere nefas eſt: aut ſi quis diſcedat, certe ab Auditoribus aut exſibilabitur aut deſeretur. Cibo parando hodie majores ſumtus, & ſumendo plures horæ impenduntur: ædes magnificentius quam olim ſtruuntur atque exornantur; ad veſtium ſplendorem, vel luxum potius, indies aliquid additur: aucta ſunt omnium rerum precia; & hominum imprimis malitia quotidie magis magiſque creſcit. Quinetiam cæremoniæ multo plures & operoſiores jam uſurpantur, & prolixioribus verbis, ſæpè tamen fucatis, defertur benevolentia, & quæcumque alia explicantur: at Concionum ſacrarum ea eſt conditio, ut quemadmodum dixi, extra ſtatutam horam eam producere, nefas putetur.

Brevitatem in ſcribendo meam non excuſo. Quantum ego intelligo, ad loquendum animi quædam vivacitas; ad ſcribendum vero & ingenium & prudentia requiruntur. Vis alicujus hominis experiri aut probare ingenium? Calcaria pedibus ejus induc, & manui calamum ſubminiſtra. Ego vero quam objicis mihi brevitatem, de induſtria ſæpè affecto, iis præſertim in rebus, de quibus fari aut ſcribere non ſatis tutum eſt. Stultiores ſunt, qui, quidquid in mentem venerit, chartis illinunt, quam qui, quidquid in buccam venerit, effutiunt. Incautè emiſſum verbum aut corrigi ſtatim aut retractari poteſt; at ſcriptura negari non poteſt. Qui verbum minus tutum loquitur, errat; qui ſcriptura ſua idem obſignat, inſanit. Numquam Catilina & ſocii conjurationis convinci potuiſſent, niſi ſceleris indices litteræ fuiſſent prolatæ. Non gladius modo, ſed penna quoque multos occidit. Verum ut intelligas, quam brevitatis ejuſmodi amantes & præſtantiſſimi viri & totæ gentes fuerint, exempla aliqua multa apponam.

C. Julius Cæſar, in Perſiam ad conficiendum bellum profectus, ad Conſules & Senatum Romanum ita ſcripſit: *Veni, Vidi, Vici.* Octavianus Auguſtus C. Druſum ita monuit: *Quum in Illyrico jam ſis, memento te è Cæſarum familia eſſe* ... *ortum, à Senatu miſſum, ætate juvenem, mihi cognatum, & civem Romanum.* Tiberius ad Germanicum epiſtolam hoc exemplo miſiſſe dicitur: *Templa frequentantur, dij coluntur, Senatus pacificus eſt, patria felix, Roma ſana, fortuna tranquilla, annus fertilis: quæ itidem in Aſia apud vos eſſe optamus.* Platonis ad Dionyſium tyrannum circumfertur epiſtola his verbis concepta: *Fratrem interficere, populum tributis vexare, amicorum obliviſci, tyrannorum eſt.* Sed in hoc genere imprimis Spartani ſeu Lacedæmonii excelluerunt: ad quos quum Philippus Macedonum Rex minacem miſiſſet epiſtolam his verbis; *Si exercitum in fines veſtros duxero, ſtragem & vaſtitatem dabo*, illi unica voce reſponderunt: *Si*. Sic Archidamus Eleos à bello paucis his verbis deterruit: *Archidamus Eleis S. Bonum eſt quieſcere.* Sed hæc ſatis, &c. Vallidoleti VIII. Octob. CIↃIↃ XXV.

De Laconiſmo vide Erycium

Put a- num.

Ad
CONVENTUS ALCALENSIS PRÆFECTUM
EPISTOLA,

In qua illud è Pſalm. explicatur: Deſcendant in infernum viventes.

QUod me rogas ut concionem meam, qua verba Prophetæ Regii, *Deſcendant in infernum viventes:* præſente toto noſtro ordine explicui, ſcripto conſignatam ad te mittam; difficilem ſane rem rogas, mihique parum hactenus uſitatam, ſic enim ſentio, cum qui hoc faciat, de exiſtimatione & fama non parum periclitari: quum multa dicta placeant, quæ ſcripta jacent & languent. Quid enim viva vox poſſit, experientia teſtatur, & multa vetuſtatis exempla, quæ tamquam nota hic non repeto. Ego tamen qui negare tibi nihil poſſum, neque hoc negabo; eoque breviter eorum, quæ tum dixi, capita conſignabo.

Viva vox afficit.

Primo mirum eſt, quomodo vivus in infernum quis deſcendere poſſit, quum idem vates regius alibi dicat: *Mortui non laudabunt te, Domine, nec qui ad infernum deſcendunt.* Quomodo ergo vivi deſcendent? Gentiles Oreſtem, Orpheum, Herculem, Æneam, &c. ad inferos deſcendiſ-

Digitized by Google

ſcendiſſe finxerunt, & rediiſſe. Falſò. Quem enim ſemel ſuſcepit infernus, ſemper retinet: nec ibi ulla eſt redemptio. Qui in gloria ſurrexerit, noctem nunquam videbit; qui vero in inferno pernoctabit, diem numquam aſpiciet. Vitare infernum poſſumus, evadere inde noſtris viribus non poſſumus. Et juſtum ſane eſt, ut qui ex voluntate peccat, contra voluntatem plectatur. Cur ergo Propheta nos jubet Vivos in infernum deſcendere? Eò credo, ne poſtea deſcendamus morientes. Deſcendemus vero, æterna impiis ibi parata ſupplicia meditando. Deſcendamus ergo in timore, ne detrudamur in rigore. Deſcendamus ultro, ne eò præcipitemur inviti. Deſcendamus de die, ne per noctem eò abripiamur. Deſcendamus ſoli, ne cum multis eò compellamur. Deſcendamus dum redeundi eſt facultas, ne æternum poſtea illic includamur. Deſcendamus denique vivi, ne mortui deſcendamus. Illi vero quotidie in infernum deſcendunt, qui pœnas & ſupplicia peccatoribus ibi parata jugiter contemplantur. Nullum ad peccata vitanda efficacius eſt remedium, quam æternorum ſuppliciorum meditatio. Pie faciunt, qui Romam, Compoſtellam ſive fanum S. Iacobi, Hyeroſolymas & alia ſacra loca religionis ergo viſitant: at non minus ſalutare ego exiſtimo, infernum adire. Nam ſicut Ss. reliquiarum & ſanctorum locorum contemplatio ad pœnitentiam vitæque emendationem homines provocat; ita, atque adeo multo magis pœnarum metus à peccatis deterrebit. Eant alij Compoſtellam, adeant Montem Serratum, viſitent B. Virginem Gaudalupæ, S. Lazarum Hiſpali, mittant munera ſua ad S. Sepulchrum & alia Sanctæ terræ loca, & indulgentias ibi propoſitas acquirant; equidem pietatem horum omnium laudabo, meque lubenter etiam comitem, ſi facere poſſim, ipſis adjungam: unum tamen hunc locum mihi reſervatum volo, ut ſcilicet quotidie, atque adeo omnibus momentis infernum viſitem. Multum facit, multum laborat, multum itineris conficit, multum diſcit, qui quotidie ad infernum deſcendit.

Judæi ſemel tantum quotannis ad templum Hieroſolymitanum, Sacrificij celebrandi cauſſa, conveniebant; Romani quinto quoque fere anno luſtrum condebant; Olympiadas Græci quarto quoque anno celebrabant; Iſidis templum ſeptimo anno renovabant Ægyptij: at qui vere Chriſtianus eſt, ſingulis horis, immo momentis ad infernum deſcendet. Jugis enim ſupplicij jugis debet eſſe memoria.

In peregrinationibus religioſis ſumtus faciundi, labores ſuſtinendi, multaque pericula adeunda ſunt: ad hanc unam vero nihil præter animum & memoriam requiritur. Hæc ſicco pede, ſed non ſiccis oculis conficienda tibi datur. O beatos qui quotidie infernum adeunt, ibique ſuperbos dejectos: invidos emaciatos: lurcones fame enectos, iracundos deſpectos: luxurioſos alioſque alijs ſupplicijs exhauſtos vident! *Deſcendant ergo in infernum viventes.* Quominus ſanctam hanc peregrinationem obeas, non morbus te excuſabit, non paupertas aut viatici inopia impediet. Nihil pedibus hic opus, ſed mentis alis. *Deſcendant ergo in infernum viventes.* Rideant quantumcunque velint, qui ſibi omnis elegantiæ arbitri videntur, rideant, inquam, eos, qui in oratorijs aut Muſæis ſuis infernum depictum habent. Mihi certe ejuſmodi picturæ aſpectus valde utilis, immo neceſſarius videtur, quum plures pœnæ formidine quam gloriæ cœleſtis amore, à peccatis abſtineant. Atque utinam ut hæc manu mea chartæ, ita eadem menti inſcribere poſſim. Madriei v. Januarij M D XXIV.

Ad
ABBATEM MONTIS SERRATI
EPISTOLA,
In qua ſolitariæ vitæ felicitas oſtenditur.

Litteras tuas Rogerius diſciplinæ tuæ ſub ditus, XI. Calendas Maij mihi reddidit: quas magna cum voluptate accepi, ſed majori legi, utpote ab eo ſcriptas, cujus ego animi pietatem morumque integritatem veneror atque exoſculor; & ab eo datas, quem ob eaſdem virtutes plurimi facio. Ferunt Aurelianum Imperatorem à Domitio conſule ad ſe ſcriptas epiſtolas vix aſpicere, nedum legere ſuſtinuiſſe, ſed dum ab alijs legerentur, auditas ſtatim abijci juſſiſſe: econtra quas Cenſor Annius Turinus ſcripſerat, tam gratas habuiſſe, ut ad eas plerumque ſua ipſe manu reſponderet. Sane ita eſt: ſunt quidam in loquendo tam inconditi, & in ſcribendo tam intricati, aut inelegantes, ut non dico nauſeam, ſed vomitum audientibus ciere poſſint. Neque mirum hoc videri debet, quum pro naturæ ſuæ genio quiſq; diverſis rebus

Digitized by Google

rebus capiatur, atq; etiam occulta quædam vis animos aut conciliet aut diſiungat, vel invitos velut torrens quidam, eos abripiens, ſic ut multi oderint quod amare, aut ament quod odiſſe merito debebant. De meo ſenſu ut fatear, equidē quoticſcunque aliquis de Monteſerrato adeſſe nunciatur, ſtatim aures mihi audiendi quæ ibi gerantur cupiditate pruriunt, & oculi literas tuas incredibili deſiderio requirunt: cujus rei aliam cauſſam non facilè invenero, quàm quod & locum & teipſum vehementer amem.

In epiſtola tua quæris, an apud gentiles olim itidem ut apud nos, monaſteria, oratoria atque ejuſmodi loca religioni conſecrata fuerint. Huic tuæ quæſtioni ut aliquo modo ſatisfaciam, ex antiquitate quæ mihi occurrerint repetam exempla. Siculi Liberum, qui idem Bacchus, Rhodij Cererem, Dianam Epheſij, Oſiridem Ægyptij, Numidæ Junonem, Argivi Appollinem Delphicum, Berecynthiam Romani, Cyprij Venerem, Proſerpinam Hiſpani, in Cantabria præſertim, cujus hodie pars eſt Navarræ regnum, præcipuis honoribus coluerunt, eisque delubra & ſtupendæ ſtructuræ templa conſecrarunt. Et ut apud nos, ſed multo magis olim, in Ægypto præſertim, religioſi ut tranquillius viverent, in ſolitudinibus vixerunt, unde Eremitæ dicti: ita olim quoque & nemora paſſim & loci dijs ſacri viſebantur, & in locis fere ſolitarijs, ut in ſpecu Dodonæo, antro Sibyllino, &c. oracula reddebantur. Et ad ipſa quidem penetralia nemini præter vatem & oraculum conſulentes ingredi fas erat: cæteri vero ſat habebant, ſi vel parietes oſcularentur, vel per tranſennam inſpicerent. Circa ipſum oraculum arbores conſitæ erant, in quibus lucernæ ſemper ardebant: tectum vero contra cœli injurias è plumbo erat. Inibi area erat, in qua hoſtiæ mactabantur; ante portam vero idoli ſtatua erat conſpicienda: & adjunctæ paſſim ædes ad ſuperſtitioni operantium uſum. Alexandrum Magnum laudat Plutarchus, quod multa paſſim templa & oratoria dedicarit. Antigoni multa ac fœda vitia religio, quam ſibi frequenter in deorum templis excubans conciliarat, obrexit. Plato jam ſenex in ſeceſſu ejuſmodi divinis magis quam humanis ſtudijs immortuus eſt, adeo ut defuncto ob religionem major quam vivo ob doctrinam honos ſit habitus. Delphis Appollinis erat oraculum toto orbe celeberrimum, ad quod undique certatim dona congerebantur: cujus mentio apud Latinos & Græcos ſcriptores paſſim eſt obvia. Ex quo intelligitur, oracula quidem ſeu monaſteria & religioſa loca etiam olim fuiſſe. At inter illa & noſtra hoc diſcrimen eſt, quod illa ab hominibus, hæc à Deo; illa ſuperſtitioni vel idololatriæ, hæc veri numinis cultui dedicata & conſecrata ſunt. Magnum ſane eſt, quod Chriſtiani omni quidem loco Deum adorare poſſunt, horum tamen, quæ ille certis indicijs chariora ſibi eſſe demonſtravit, locorum religione & ad ferventiorem orationem & accenduntur, & in firmiorem ſpem exauditionis eriguntur.

O ſi meo arbitratu vitam mihi agere liceret! Crede mihi, mallem ego apud vos in ſolitudine cum gemitu peccata deplorare, quam hic in aula ſummis honoribus perfrui.

In aula quiſque facit quod vult, quod poteſt, nemo quod debet: & nihilominus omnes certatim eò accurrunt. Mihi tamen illud certum eſt, aulicam vitam ambitioſis & avaris tantùm convenire; qui gratiam & commoda quærunt, aut adoleſcentibus, qui per ætatem incommoda nondum ſentiunt. Vide liberalitatem meam. Age, accipio conditionem, ut meum in aula, ego tuum in monaſterio locum teneam: ſed mihi crede, te citius aulicæ quàm me monaſticæ vitæ pœnitebit. Pro ea quam ſemper erga monaſterium veſtrum tenui, & adhuc teneo, devotione & affectu, DEUM conjunctis mecum votis deprecabimini, ut me ex turbulenta hac vitæ conditione & irrequieto ſtatu tandem liberet, gratiaque ſua donet, ut tranquille ſervire ipſi poſſim, ac tandem æterna potiar quiete. *Aula quibus apta.*

A fratre Rogerio cochlearia mihi à te miſſa accepi: mitto librum viciſſim à te deſideratum: ſic ut ego jam ad cibum corporis, tu ad cibum animæ ſumendum uterque ſatis commodo inſtrumento inſtructi ſimus. In monaſterij veſtri promovendis negotijs tu devoti Religioſi fac officium, ego, quæ amici ſunt, non intermittam. Vallidoleti VII. Januarij, MDXXXV.

Ad

Ad ILLUSTREM ET MAGNIFICUM DON Enrique Enriques EPISTOLA,

Qua ad quæſita nonnulla Iam ſerio quam jocoſe reſpondet.

Magnifice Domine, vetus amice:

Litterarum ſcripturæ qualis eſſe debeat.

A Valdivia, qui negotia hic tua gerit, redditæ mihi ſunt litteræ, quas à tua manu eſſe, ſtatim agnovi, utpote paucis lineis, ſed lituris quam plurimis exaratas. Equidem ſi non in Nobilium, ſed Scribarum eſſes ordine, manum tuam pol quiſque tingendo fuligine corio, quam terſæ & nitidæ ſcripturæ faciendæ magis aptam dixerit. Si me audis, dabis operam poſt hac, ut in epiſtolis quas ad amicos ſcripturus es, lineæ rectæ ſint, bene junctæ & terſæ litteræ, diſtinctæ periodi; tum papyrus munda & limpida, atramentum nigrum, pulcher character; plicæ denique æquales, & ſigillum clarum atq; expreſſum. Es iis enim quæ quis ſcribit, ingenium hominis & prudentia; at ex ipſa ſcripturæ forma & modo, mores ſeſe produnt.

Litigantium miſeria.

Sed qualisqualis ſit, ingenioſa certe tua illa eſt epiſtola, ut in qua paucis verbis multa quæris: ad quæ tam multa, ut paria tecum faciam, paucis reſpondebo. Rogas quæ cauſſa mihi in aulam veniendi fuerit? Reſpondeo, Neceſſitas, ac præſertim litis, quæ mihi cum Toletana intercedit Eccleſia, proſequendæ. Quid ibi agis? inquis. Omnia, inquam, quæ poſſum: nec tamen ſatago. Tantum enim negocij mihi adverſarij quotidie faceſſunt, ut velut trabali clavo defixus, præter votum hic detinear; ac nihil fere aliud efficiam, quam quod meipſum conſumo. Scire etiam cupis, quibus rebus tempus ſive otium fallam. Equidem ſi meo arbitratu mihi vivere liceret, efficerem profecto, ut etiam vel minimi otij mihi conſtaret ratio. At hic in aula jam id unum datum ſibi negotii plerique exiſtimant, ut alios calumnientur, decipiant, contemnant, ut ludant, mentiantur; ijs denique moribus vivunt, ut miſere potius tempus perdant, quam fallant. Quæris præterea, quorum hic conſuetudine & familiaritate potiſſimum utar? Sic habeto, eos eſſe aulæ mores, ut qui penitus eos perſpectos habent, nec tamen ea carere poſſunt, non tam amicos, ut cum ijs converſentur, conciliare, quam inimicos, ut ab eorum ſibi caveant inſidijs, noſcere ſtudeant. Quos inimicorum quotidianæ technæ & aſtutiæ reſpirare vix ſinunt, quomodo ullam temporis partem in novis paraudis amicitijs collocabunt? In aulis perſonarum quidem frequentes videre licet converſationes, ſed animorum conſenſum rarum, vel potius nullum. Simulatio enim & fallacia aulæ propria ſunt, at integritas procul inde exulat: adeo ut nulli occultis magis odijs laborent, quàm qui frequentiſſime conveniunt; & nulli magis metuendi ſint; quàm qui vultu & verbis amiciſſimos ſe ferunt. Ut verbo dicam, in aula multa ſunt quæ admireris, ſed plura quæ caveas. Ad Thalaſſiarchi & Mirandæ Comitis litem quod attinet, ſatis illa quidem ſuperque negocij utrique faceſſit, vulgi vero voculis uberem præbet materiam.

In aula omnia dolis plena.

Nova quædã nuncia.

De alijs rebus hæc fere habemus, Turcas receſſiſſe, Florentinos pacem feciſſe, Ducem Inſubriæ domum ſe recepiſſe; Venetos bellum movere, inter Pontificem & Cæſarem ſartam eſſe concordiam, Status regni Neapolitani in factiones ſciſſos, Cardinalem Columnam mortuum, Principem Arauſinum interemtum, Villæ Francæ Marchionem proximum à rege Neapolitano tenere locum, Cancellarium & Confeſſarium Cæſaris ad Epiſcopatum provectos. Nunciantur & alia, quæ ſcire quidem noſtra non magnopere intereſit, ijs tamen ad quos pertinent, opido cerebrum, credo, turbatura ſint: multos ſcilicet cum Cæſare in Italiam profectos, ad Veneris caſtra transfugiſſe. Sed mihi crede, non impune ferent. Si enim alienas ibi uxores prægnantes reliquerint, ſuas hic puerperas inventuri ſunt.

Quadrageſima male à nonnullis obſervata.

Quæris præterea, quomodo nobis cum victu Quadrageſimali hic conveniat. Nobis quidem hactenus nec piſces ad comedendum, nec peccata ad confitendum defuerunt. Carnibus enim per Quadrageſimam veſci, Nobilitas non licere tantum ſibi exiſtimat, verum etiam honori ducit. Aliarum rerum precia quod attinet, domus meæ præfectus vix toto

Digitized by Google

hoc ſemeſtri centum & quadraginta ducatos in ligna & carbones mihi expenſos tulit: Hac enim in urbe ut mira eſt omnis generis mercium abundantia, ita ſumma eſt lignorum inopia, adeo ut ligna, quæ utuntur, non minoris quam cibus, qui ijs coquitur, conſtent. Cæteræ res uberrimè hic proveniunt, craſſa ſcilicet mendacia, conficti rerum novarum nuncij, mulieres perditæ, amicitiæ ſimulatæ, continua invidia, verſipellis malitia, verba vana, & ſpes inanes: quarum rerum ſi quis mercatum inſtituere velit, næ quam plurimis inſtruendis tabernis ſatis ſuperque materiæ hic ſit habiturus. Negocia inſuper quomodo hic, & an celeriter expediantur, rogas. Qui ſciam equidem quam difficulter & laborioſe in aula omnia procedant, quantumque temporis & ſumtuum requirant, hoc ſane audacter affirmare mihi poſſe videor, ſi decem ex animi ſententia negocia ſua expedierint, nonaginta ſupereſſe quibus aqua hæreat, & oleum atque opera perierit. Illud fruſtra ex me quæris, lucroſæne hujus urbis ſint nundinæ, quum enim & aulam & lites ſequar, merces ſane nullas vænales, multo minus, quas ab alijs emam, pecuniam habeo, ac proinde forenſes ejuſmodi negociationes nec laudare, nec vituperare poſſum. Et ut tot pulcherrimorum mercimoniorum aſpectus mihi tabernas prætereunti voluptatem, ita quæ mercari me prohibet argenti inopia moleſtiam adfert. Imperatrix quidem non ita pridem in forum ad tabernas deſcendit, gynæceo prudenter, ut mihi videtur, domi relicto: ut ſcilicet aulicæ Nobilitatis, quæ rara hic eſt, & ab argento inops, contra pediſequarum petacitatem, conſuleret pudori.

In Aula quæ copioſe producantur.

Expeditiones aulicæ quales.

Rogas denique, qua valetudine hic utamur. Scito ergo, à febribus & peſtilenti lue aulam immunem, quæ Dei eſt gratia, adhuc eſſe; nuper tamen Alarconium in Senatu aliquid referentem, ſubito extinctum, cujus mors complures aulicos conſternavit, at ne unum quidem ad pœnitudinem & vitæ emendationem perduxit. Alij tamen morbi ac multo graviores, quam illi, in aula graſſantur, odium, invidia, æmulationes, calumniæ, homicidia, & id genus.

Aulæ morbi.

Habes ad ſingula fere capita epiſtolæ tuæ reſponſum: quæ quarto ſæpius à me legitur, tanto magis non epiſtola, ſed interrogatorius libellus, qualis in judicio teſtibus proponi ſolet, mihi videtur. Et ſane lubens calamum pono, non tam ſcribendo deſeſſus, quam ad vitioſam & pene illegibilem manus tuæ ſcripturam nauſeabundus. Medina-Campi Anno MDXXXII.

Ad

ILLUSTRISSIMUM PISCARIÆ MARCHIONEM, &c.

EPISTOLA,

In qua de boni imperatoris officio diſſeritur.

Illuſtriſſime Princeps, Dux fortiſſime:

Litteras tuas XXX. Januarij Maſſiliæ datas, XXII. Martij Madrici accepi: quæ utinam non Maſſiliæ, ſed Hieroſolymis ſcriptæ eſſent. Si enim non è Gallia, ſed ex Aſia uſque allatæ eſſent, & nomen tuum illuſtrius, & expeditio, quam inſtituiſti, Deo multo acceptior futura erat. Titus Livius teſtatur inter M. Marcellum & Q. Fabium acres admodum de Conſulatus ſortitione contentiones exſtitiſſe, quod Marcellus nullum bellum niſi juſtum, Fabius nullum niſi grave & periculoſum aggrederetur. Utrumque ſane non exiguo ornamento & præſidio Romanæ Reipublicæ fuiſſe non nego; major tamen laus, meo quidem judicio, Marcello ob juſtitiam, quam Fabio ob animi magnitudinem debetur. Vix ulla res populi Romani honori atque exiſtimationi majorem infamiam inuſſit quam Numantiæ obſidio; non quod bellum ſegniter adminiſtraſſent, ſed quod injuſtè ſuſcepiſſent. Solus Trajanus, Ælio Spartiano teſte, nullo unquam prælio victus fuit, eo quod nullum bellum ſuſciperet, niſi cujus juſtiſſimas cauſſas haberet. Mithridates Ponti Rex ad Sullam, quicum bellum gerebat, epiſtolam hoc argumento miſiſſe dicitur. Miror equidem, ô Sulla, audaciam tuam, ad tam longinquas regiones arma proferre, ac fortunam, quæ nunquam me deſeruit, te vero nunquam reſpexit, periclitari non dubitantis. Cui Sulla non minus breviter ita reſpondit: Vel procul ab urbe Roma bellum gerere, ô Mithri-

Major juſtitiæ laus, quam fortitudinis.

Mithridates, nequaquam vereor, quum populus Romanus fortunam omnibus in locis præſto habeat. Quod dicis fortunam tibi nunquam defuiſſe, me nunquam reſpexiſſe, videbis pol illam, uti ſolet, mox te deſerto, à meis partibus ſtantem. Sed etſi illa me fugiat; neque à te tamen, neque ab illa quidquam mihi timeo; hac una ſpe fretus, plus cauſſæ meæ juſtitiam quàm Fortunæ tuæ favorem apud Deos valituram. Imperatorem Auguſtum dicere ſolitum ferunt, ejus demum belli felicem exitum ſperari poſſe, cujus initia à Deorum immortalium veneratione ducta, cauſſæ Sapientibus probatæ, adminiſtratio ducibus rei militaris peritis demandata eſſet. Quæ omnia, illuſtriſſime Princeps, eò à me dicuntur, ut intelligas, ſi bello iſto, cujus gerendi cura jam tibi eſt impoſita, non Maſſilia Galliæ, ſed Hieroſolyma Palæſtinæ urbs peteretur, ei probando nec meum calculum defuturum. Cor Regis in manu Dei eſſe, S. Scriptura teſtatur. Quod ſi ita eſt, ut certe eſt: quis arcana divini judicij, non ſine ipſius numinis offenſione, perſcrutari auſit? Hoc quidem tempore nullum fere bellum niſi inter Chriſtianos geritur: qui dum mutuis ſeſe conficiunt lanienis, Mahumetanis non in pace tantum vivendi, ſed creſcendi etiam, & imperium longe lateque proferendi dant copiam. Quam quidem rem quanto magis magiſque apud animum conſidero, tanto magis abditiſſima Dei judicia obſtupeſco, Chriſtianorum, in quibus pure colitur, templa paſſim violari atque everti permittentis, & impia Mahumetanorum fana ſarta tecta conſervantis. Sed mirari hæc potius & ſilentio venerari, quam intelligere aut verbis explicare licet. Tu quidem, quum religione ſis Chriſtianus, conditione Nobilis, cognatione mihi propinquus, ſtudio & favore amicus, vel ob unumquodque horum facere non poſſum, quin laboris tui & periculi aliquo ſenſu afficiar. Laborem dico corporis, ſiquidem imperatorem honoris ſui & exiſtimationis tenaciſſimum, vitæ vero prodigum eſſe oportet: periculum animæ intelligo, quod inter Chriſtianos nullum bellum tam juſtum videri poſſit, quod non ſcrupulum aliquem in animo vera pietate imbuto relinquat. Quapropter rem ab utriuſque profeſſione & neceſſitudine non alienam facturus mihi videor, ſi meam de boni imperatoris virtutibus & officio ſententiam paucis tibi explicaro.

Arcana Dei judicia

Bella Chriſtianorum periculoſa.

Boni imperatoris eſt damna injuſta, quantum fieri poteſt, avertere, coërcere blaſphemantes, innoxios tueri, caſtigare contumaces, ſtipendia militibus ſine fraude ſolvere, ſubditis contra vim & injurias præſidio eſſe, ac fidem etiam hoſti datam ſervare. Illud pro certo ſtatue, tempus fore quum & regi et Deo inprimis, non de iis tantum quæ ipſe feciſti, verum etiam quæ ab alijs fieri paſſus, rationem ſis redditurus. Sed nihil æque fugiendum tibi ſuadeo, quam aliena rapiendi cupiditatem. Apud Romanos quidem, ut Cicero ad Atticum ſcribit, non ei qui magnas opes congeſſerat, ſed qui multas nationes ſubegerat, triumphus decerni, aut ſtatua poni ſolebat. Fruſtra majorum jactant nobilitatem, qui virtutes non imitantur: immo quanto illuſtrius eſt parentum nomen, tanto turpior haberi debet degenerantium filiorum ſocordia. Et majorum imaginibus, & proprijs factis gloriari vanum eſt, ac viro cordato indignum: facilius tamen ignoſcitur è ſua quam aliena virtute laudem captanti. Quum inter militares homines de rebus bellicis ſermo habetur, Nobilis conditioni & dignitati convenit, non quæ l gerit aut audiverit, quod Philoſophorum potius eſt, & de ſchola hominum, ſed quæ ipſe viderit ac geſſerit narrare. C. Marius natalium obſcuritatem ſibi exprobrantes ita refutare ſolebat: Generis ignobilitatem, quod mihi objiciunt, fateor equidem majorum imagines oſtentare nõ poſſe: ſed nũquid majus eſt quod vulnera adverſo corpore excepta fortitudinẽ, hoſtiũ vexilla domi meæ fixa victorias, ſtatuæ in templis deorum poſitæ, mea in Rempublicam merita loquuntur? Me quidem non à majoribus accepta hæreditas, ſed hoſtibus detracta ſpolia nobilitarunt. Vobis (inquit ad Nobiles) majores copioſam pecuniam ad uſum, ædes & palatia magnifica ad habitationem, ſervorum greges ad operas & ſervitia, hortos ad voluptatem, illuſtre nomen ad laudem & gloriam, arma ad defenſionem reliquerunt; virtutem tamen, quâ ſolâ hæc omnia vere æſtimantur, hæreditariò tradere non potuerunt. At qui virtutem non habet, ſi vel omnia habet, nihil habere cenſendus eſt. Et hæc quidem, illuſtris Domine Marchio, eum in finem inculcare tibi hoc loco volui, ut non tam arma & inſignia majorum tuorum paſſim alijs ad oſtentationem, quam res

Boni imperatoris officium.

Veram Nobilitatem quæ decent.

Vera nobilitatis inſignia

 præcla-

præclare geſta tibi ipſi ad imitandum ob oculos ponas. Memini olim neſcio quem in aula Cæſaris me vidiſſe, qui quamvis multa millia in cēſu haberet, nec unum tamen equum alebat, nec gladium niſi brevem, interdum pugiunculum, geſtabat: idem tamē quoties in majorum ſuorum memoriam delaberetur, res ab eis geſtas tam ambitioſe ac ſtrenue deprædicabat, ut ijs quib. notus non erat, multarum urbium expugnator, & quaſi alter Hannibal videretur. Et certe his morib. fere hodie vivitur, ut plerique majorum arma & inſignia & parietibus depicta, aut annulis inſculpta, vel aulæis ac pulvinaribus intexta oſtentare, quam rebus fortiter ac præclare geſtis nova ſibi comparare aut vetuſta ornare mālit.

Conſilia ſecreto habenda. Verumenimvero ut promiſſo ſatisfaciam, & muneris vobis demandati onus, ejus recte & cum laude perferendi rationem commonſtrando; aliqua ex parte levem, ante omnia moneo, & ſecreta omnia tam inter ipſos præfectos quam milites habere ſtudeas: neque enim ejus conſilij felix eſſe poteſt eventus, quod vixdum natum diſpaleſcit. Julium Cæſarem numquam dixiſſe ferunt ſe cras hoc vel illud facturum; ſed hoc quidem ſe jam facere, at quid poſtea faciendum ſit, poſtmodo deliberaturum. Cuidam tempus prælij percunctanti, Lucius Metellus, Quid tu, inquit, iſthoc quæris? cujus ſi vel interula mea conſcia eſſet, ſtatim eam in ignem ſim conjecturus. In bello quidem ad pugnam multi, ad conſilium pauci adhibendi ſunt, ne ea, de quibus deliberatur, pervulgentur citius quam concludantur. *Qui ad conſiliū adhibendi.* Suadeo inſuper, ut ad conſilium adſciſcas provectæ ætatis & multæ experientiæ homines, ita tamen ut majorem prudentiæ quàm ætatis habeas rationē: quarum illa ſine hac utilis ſæpe eſſe poteſt, hæc vero ſine illa tanto perniciſior eſt, quanto majorem habet apud pleroſque auctoritatem. At in ſententia obſtinatos, & factis *Temeritas fugienda.* temerarios procul à te relega: quum in belli dubijs melius ſit prudenter cedere quam fortiter perire. Alcibiadem dicere ſolitum ferunt, fortibus & cordatis viris majori eſſe opus animo ad fugiendum quam ad pugnandum: ad pugnam enim animum generoſum honeſtas facile exſtimulat, fugam vero prudentia ægre perſuadet. Atqui conſultius eſt rationis imperium ſequi, quàm fortunæ arbitrio ſeſe permittere. Quamvis autem res omnes cum alijs deliberandæ ſint, incidit tamen ſæpe aliquid, quod nullam, quantumvis exiguam, moram fert: ubi è re nata & quaſi è veſtigio conſilium *Ex re nata conſilium.* capiundum eſt. Multi enim etiam periti duces ſe & alios perdiderunt, eam tantum ob cauſſam, quod quum facto opus eſſet, tempus deliberatione extraxiſſent. Milites tam exemplo quam verbis hortare, ut omnia belli pericula ita excipiant, ne quis omnium vel minimam timoris det ſignificationem. Certum enim eſt ignaviam contagione quadam lædere, & metum unius ad plures pervenire: illud vero certo certius, animum demiſſum & timidum nihil præclari ſperare aut moliri. Victoria continue bella gerentibus nec temere ſemper ſperanda; nec accepta offenſo ſtatim ulciſcenda eſt: quum nulla in re quàm in bello minus adoptatum fortuna reſpondeat. Utcumque tamen illa adverſata fuerit, cave vel tantillum à recta animi conſtantia & honeſtate dimoveri te patiaris. Braſidas Lacedæmoniorum dux, quum bello contra Thraces arcem à ſe captam pertinaciſſime defenderet, hoſti demiranti reſpondit, Ejus ſibi cuſtodiam demandatam, uti ipſam defenderet, non vero ab ea defenderetur: ſeque in illa ſepulcrum potius quam præſidium quæſiturum. Ad extremum illud te etiam atque etiam moneo, ut in belli hujus adminiſtratione ita verſeris, quo omnes intelligant, magis te obſequendi Cæſaris voluntati, quam vindictæ de Galliarum rege ſumendæ ſtudio duci. Quod ſi aliter feceris, pro certo habe, ultioni tuæ aliam à Deo ultionem paratam. Aureum calamum, à te dono miſſum, accepi; viciſſim M. Aurelij librum mitto: ut ſicut ille liberalitatis tuæ, ita hic ſimplicitatis meæ & candoris ſit teſtis. Deum precor ut tibi proſpera omnia, mihi gratiam ipſi ſerviendi largiatur.

Valladoleti. M D X X I V. X I X. Auguſti.

Ad
CONSALVUM FERNANDES CORDUBENSEM
EPISTOLA,

Qua Auctor demonſtrat, imperatori poſt res bello feliciter adminiſtratas, fortunam facile rurſus tentandam.

QUamvis non dubitem multos, quibus & profeſſionis meæ humilitas, & ingenij ſimplicitas, tum fortunæ tuæ ſplendor & inveterata prudentia cognita ſunt, ubi tale quid à me ſcriptum audierint, vel ipſi viderint, me audaciæ, vel etiam impudentiæ inſimulaturos: eoſdem tamen æquiores in me judices futuros ſpero, ſi intellexerint, hanc meam commonefactionem licet non modo ab ulla confidentia non profectam, ſed etiam acri tua petitione expreſſam, vel ſic etiam cum verecundia quadam in conſpectum tuum prodire. Neque enim ignoro, & tua magnitudine & hominum de me exſpectatione minime dignum eſſe, ut quidquam vel verbis inſulſum, vel rationibus frivolum hoc loco à me adferatur. Faciam nihilominus quod à tanto viro rogatum me facere par eſt, & ad ſingulæ epiſtolæ tuæ capita pro mei ingenij facultate reſpondebo: hac tamen lege, ut non tam quid præſtiterim, quam quid præſtare voluerim, conſiderandum tibi putes. Divinus Plato in ijs libris, quos de Republica ſcripſit, viris magnis nihilo magis decori eſſe inquit, cum tenuis fortunæ hominibus converſari, quam ſibi æquales æmulari, immo tanto illud eſſe laudabilius, quanto difficilius ſit animum excelſum & magna tantum ſpectantem, ad inferiora devocare. Equidem vulgo videmus proceræ ſtaturæ homini moleſtius eſſe corpus ad tollendam humo algam inclinare, quam manus ad ramum excelſiorem apprehendendum ſurſum extendere. Eodem modo cor hominis ad altiora ſemper aſpirans, ubi ea etiam quæ non ſperat, aſſequutum fuerit, tum demum ſibi vivere; ubi vero ad inferiora, & quibus ſe majus agnoſcit, depreſſum ſe ſenſerit, mori ſibi videtur. Multa in hoc mundo Deus per ſe efficere non vult, ne ſolus omnia abſolute facere; idemque multa per homines imbecilles & contemtos potius quam potentes & magnos exſequitur, ne viribus humanis indigere videatur: in omnium vero rerum adminiſtratione ita verſatur, ut ſuam ubique infinitam potentiam & ſapientiam oſtendat. *Parvitas non contemnenda.* Tam ſtatura quam ætate minor inter fratres fuit Iſaac: ex ejus tamen proſapia Chriſtus Salvator noſter naſci voluit. In ejuſdem familia Jacob minor Eſau majori non jus tantum primogenituræ vili precio, ſed paternam quoque benedictionem quaſi furto abſtulit. Omnium filiorum Jacob minimus fuit Joſeph, is tamen ſolus interpretandi ſomnij peritia à Deo donatus, & ab Ægypti rege præcipuo loco habitus fuit. Ex ſeptem Ieſſe filijs David, tam ætate quam viribus poſtremus, immaniſſimum gigantem Goliam occidit, & tandem, repudiato Saule, ad regiam dignitatem eſt evectus. Prophetarum minimus Heliſæus fuiſſe dicitur; eidem tamen duplicatæ Spiritus ſancti vires conceſſæ fuerunt. Inter Apoſtolos Chriſti Philippus, inter D. Pauli diſcipulos Philemon puſilli admodum fuiſſe dicuntur, iidem nihilominus à magiſtris ipſorum frequenter arduis in rebus in conſilium ſunt adhibiti.

Horum tu exemplum ſequutus, *illuſtris Domine*, in tanta ſapientiſſimorum & multo rerum uſu præditorum copia, à me potiſſimum, qui nullis ingenii dotibus vel cum infimo eorum comparandus ſum, conſilium exquiris. Mihi quidem ante hac te Italicis bellis occupatum raro videre, ac rarius affari licuit: ſed, niſi fallor, eam ipſam ob cauſſam tanto minus amicitia mea tibi ſuſpecta eſſe debet, utpote nullis tuis in me officiis debita, ſed ſola tuarum admiratione virtutum conciliata. In recipiendis amicis cauſſam potiſſimum ſpectandam cenſeo, ob quam alter noſtram amicitiam expetit. Si enim pauper ſit, dandum quotidie; ſi dives, ſerviendum eſt; ſi gratia & auctoritate floreat, demiſſe obſervandus & tantum non odorandus; ſi vilioris ſit conditionis, favore juvandus; ſi importunus, ferendus; ſi malitioſus, fugiendus; & in omnibus tritum illud ſequendum erit: *Amicitia incommoda.*

Vt vitia amici noveris, non oderis.

Eo ſane nomine vilioris fortunæ hominum amicitia moleſta eſt, quod illi æquum eſſe cenſent, non ut cupiditates ſuas ad noſtram voluntatem,

ſed

Digitized by Google

ſed ut nos voluntatem noſtram ad ipſorum cupiditates accommodemus. Inimicos habere, periculoſum; at multos retinere amicos, nimis quam difficile eſt. Si enim cor uni ſoli datum, parum videtur, quanto minus videbitur, ſi idem velut inter multos dividatur? Nec mei ferunt mores nec tua ſinit magnitudo, ut alter altero hunc in modum amico utatur: quorum quantum hæc ab omni tale quid petendi neceſſitate abeſt, tantum illi ab omni privati commodi reſpectu abhorrent. Atqui illa tantum vera & perfecta amicitia cenſeri debet, quam non privata utilitas, ſed ſincerus amor conciliat ac ſuſtentat.

Addis, meum te conſilium exquirere, non ut hominis locupletis & potentis, ſed docti & virtute præditi; atque illud potius, quod ſcitu utile, quam lectu jucundum ſit, à me exſpectare. Ad me quod attinet, cum Socrate, *Hoc unum ſcio, me nihil ſcire.* Quod reſponſum divinæ cujuſdam ſapientiæ plenum eſt: quandoquidem, ut Plato teſtatur, minima ejus pars quod ignoramus, major eſt omni eo, quodcumque ſcimus. Quemadmodum nihil turpius eſt ſtultitiæ ſive inſcitiæ exprobratione; ita vix quidquam honeſtius contingere homini poteſt, ſcientiæ & doctrinæ laude. Mors ſapientum, at ſtultorum vita magis deploranda eſt. Quum tyrannus quiſpiam neſcio quem Philoſophum vidiſſet multis lachrymis amici funus proſequentem, exclamavit: indignum Philoſopho eſſe, muliebrem in modum plorare. Cui Philoſophus: Sic habeto, inquit, non tam amici mortem quam tuam vitam mihi lachrymas elicere. Neque enim id tam dolendum Sapientibus videtur, quod bonos mori, quam quod malos magno numero vivere experiuntur. Quod animi probitatem in me agnoſcere videris, utinam quum in alijs omnibus, tum in hoc vel maxime tuum de me judicium ne te fallat! Quantum ad hoc, dicere profecto auſim, quam tutum ſit, probum eſſe, nec tamen videri; tam periculoſum eſſe, probum videri, nec tamen eſſe. Homo enim animal eſt, cupiditatibus varium ac multiplex, cogitationibus obſcurum, conſilijs inconſtans; ut non inepte quis dixerit, facile agnoſci hominem, ſed difficillime intelligi. Sed vide quanti tuum de me judicium faciam: qui exiſtimem hanc unam Sapientis & Probi, qua me dignaris, appellationem, omnibus illis, qui vulgo tibi tribuuntur, Ducis ſcilicet Seſſæ, Marchionis Bitonti, Principis Quilachæ, adeoque magni Capitanei ſive imperatoris, quem rerum geſtarum magnitudine peculiarem tibi feciſti, titulis mihi longe eſſe honorificentiorem. Meæ enim virtuti aut doctrinæ nullum nocere poteſt bellum, at tua omnis potentia & magnitudo à Fortuna pendet.

Malorū vita deploranda.

Fronti nulla fides.

Virtutis ſtabilitas.

Ais, Regis juſſu iterum te expeditionem in Italiam contra Gallos, memorabilis iſtius ad Ravennam acceptæ cladis ulciſcendæ ſtudio, adornare, & ſuper eo quid mihi videatur, rogas. Si ulla in re, certe in hac tibi ſumma prudentia & conſilio opus eſſe judico. Recuſanti enim hanc provinciam, regis ira; ſuſcipienti, Fortunæ inconſtantia pertimeſcenda eſt. Duas jam in Italiam expeditiones confeciſti, bis Neapolitanum regnum armis tuis ſubegiſti, duobus ad Gatellanum & Chirinolam prælijs, Gallorum vires, extincto Nobilitatis flore, fregiſti, ac, quæ tua præcipua laus eſt, Hiſpanicam tamquam armis invictam gentem univerſo mundo formidabilem reddidiſti. Quis ergo tibi ſuaſerit ut Fortunam ulterius tentes? quæ nullis magis timenda eſt, quàm ijs qui bellum continuo ſequuntur. Hannibal tot de Romanis ad Trebiam, Thraſymenum & Cannas reportatis victorijs non contentus, ſed Fortunæ quaſi vim inferre conatus, tandem ab illis, quos ſæpe vicerat, victus fuit. Quibus cum Fortuna res eſt, eam non vi cogere, ſed precibus & obſequio demulcere; optare, non credere; ſperare, non opinione præcipere; blande denique tractare, non offendere debent: ut quæ ridens lædat, & læſa noceat. Quandoquidem etſi animus mihi non eſt, tibi quidquam hac in re vel ſuadere vel diſſuadere, illud tamen moneo, hac tertia ſuſcepta expeditione non minus exiſtimationem, quam vitam præſentiſſimo periculo te objecturum. Duabus illis expeditionibus honorem tibi inter vivos, gloriam apud poſteros, laudem & exiſtimationem apud peregrinos, apud tuos fidem & auctoritatem, opes liberis, ſucceſſoribus dignitates, amicis & cognatis gaudium; tibi ipſi denique æternum *Magni imperatoris* cognomentum peperiſti. Quapropter etiam atque etiam perpende, quid à tergo relinquas, & quid in præſens ſequaris. Meo enim judicio, temeritatis magis quam fortitudinis fuerit, quū ab invidia vix domi tutus eſſe poſſis, foras ad ea loca proficiſci, ubi quiſq; vindictā de

Fortuna non laceſſenda.

Conſalvi laus & res geſta.

de te ſperare poſſit. Turcas ad Pampelonam, Mauritanos ad Granatam, Picardos in Italia, Longobardos ad Garellanum, Gallos ad Chirinolam viciſti: jam verò quum Fortunæ vix ulla ſuperſit natio, quam tibi ad vincendum objiciat, illud jam agere mihi videtur, ut te eo pertrahat, ubi non tam ab aliis quam ab ipſa vincaris. Duces, tribuni, centuriones, contra quos bellum ante geſſiſti, plerique omnes aut morte abrepti ſunt, aut militiam deſeruerunt. Non ſine cauſſa ergo verendum fuerit, ne qui his ſuccedunt, aliam ſecum fortunam afferant, quæ ut olim tibi, ita nunc iſtis ſeſe facilem & obſequentem præbeat. Bellum ſuſcipere, colligere exercitus, aciem inſtruere, prœlium committere, in hominum arbitrio; at victoria in ſolius Dei manu eſt poſita. Romanorum exercitus, ut ex Titi Livii hiſtoria videre eſt, ad furcas Caudinas & alibi ſæpius cum ignominia victi fuerant & profligati; ſed quum Conſules, qui iidem belli duces erant, mutaviſſent, multas victorias uno quaſi curſu continuarunt, adeò ut pæne certum inde illud effici videatur, mutatis belli ducibus, belli quoque aleam ſive fortunam mutari. Ne tu crede eodem in regno, cum eodem exercitu, contra eandem gentem, ſub ejuſdem Regis auſpiciis, eadem te ſemper fortuna uſurum, quæ nulla re magis quam mutatione gaudet.

Fortuna belli variabilis.

Ex Roderico Bivero intellexi, te moram à Rege haſtenus expeditioni huic tuæ interpoſitam, ægre ferre, adeoque ſi tale quid ab æqualis conditionis homine tibi contigiſſet, id pro injuria interpretaturum. Quòd equidem ſatis mirari non potui: ſiquidem illud jumentum mihi nequaquam placet, quod clitellas imponentibus tergum facile præbet, detrahentes vero calcibus impetit. Quum ergo noſtra omnium anima peccatis onerata, pectus diſtractum cogitationibus, mens tentationibus afflicta, corpus laboribus exhauſtum pæne fatiſcant & labaſcant; convenit ſane, ut ſi horum omnium onera non plane abjicere poſſimus, ſaltim leviora aliquantulum nobis facere ſtudeamus. Tu quidem quum tranſactis jam annis melioribus, ejus ſis ætatis, quæ à morte non quam longiſſimè abeſt, ſi meo conſilio uti velis, non tam de novis hoſtibus, quam veteribus peccatis delendis cogitabis. Plorandi jam, non dimicandi, orandi non ovandi, non publicæ dignitatis lucem, ſed ſeceſſum quærendi, non Regis, ſed Dei gratiam demerendi, non famæ & honori, ſed animæ ſaluti ſerviendi, non hoſtium vires provocandi, ſed ſanctorum interceſſionem impetrandi, non aliena rapiendi, ſed propria in pios uſus diſtribuendi, non denique bellum gerendi, ſed pacem firmandi tempus eſt. Hoc meum conſilium ſi ſpreveris, non dubito, quin errorem tuum tum demum agniturus atque etiam damnaturus ſis, quando remedio locus non erit. Video enim id te ſequi, quod fugere debebas, negotium ſcilicet; & fugere quod unice rebus tuis & ætati eſt commodiſſimum, nimirum quietem: cujus dulcedinem qui non ſenſit, næ ego infeliciſſimum judico. Qui multas longinquas regiones peragrarunt, ac variam fortunam experti ſunt, nihil magis in optatis habent, quàm ut cum honore ſibi in patriam redire, & quiete ibi quod vitæ reliquum eſt, tranſigere liceat. Ex quo facile intelligitur, temerarium, immò ſtultum merito videri, qui ſolitarius procul apud exteros mori, quam amicorum cinctus corona inter ſuos quiete & honorificè vivere malit. Quibus domi non eſt unde vitam ſuſtentent & proximum juvent, eos minime reprehendendos, ſed laudandos potius cenſeo, ſi ut rem faciant, terras peregrinas adeant, & variis tam terra quam mari periculis ſeſe exponant: ſiquidem non minus in vitio eſt, qui ſibi & ſuis neceſſaria non quærit, quàm qui ſuperflua concupiſcit. At qui non ea tantum quæ expetiverunt, ſed plura etiam & majora quam ſperaverant, jam conſequùti ſunt, nihilominus tamen quietem laboribus, ſecuritatem periculis poſtponunt, ac velut è portu mari proceloſo iterum ſe committunt, eos ego aut à ratione deſertos, aut Fortunæ ludibrium debere puto. Divinus Plato in libris de Republica, non tam iis Fortunam adverſari, ait, quibus negat quod expetunt, quam quibus eorum, quæ habent, uſum invidet. Quam quidem ſententiam velim quàm altiſſime in animum demittas, ac recum rumineris, utpote non minus veram quam argutam. Videmus enim multos paſſim, qui famam, honores & divitias acquirere ſciunt; at qui uti eis rectè auſint aut ſciant, perpaucos. Julio Cæſari Natura complures tam animi quam corporis dotes præclariſſimas, Fortuna victorias quaſi innumeras conceſſerat; eidem tamen vitio à nonnullis datū eſt, quod Fortunæ indulgentia minus rectè uteretur. Notum eſt illud quod apud Livium Hannibali occinitur. *Vincere ſcis Hannibal, victoria uti neſcis.* Qui ſi à Can-

Alia ætas alios mores poſtulat.

Rei faciundæ incumbendi

ſed parta tuendum.

Difficilius eſt victoria

uti quā vincere. ſi à Cannenſi clade ſtatim exercitū Romæ admoviſſet, non poſtea ſub mœnibus Carthaginis à Scipione caſtris fuiſſet exutus. Hæc quamcunque in partem tu interpreteris, ego certe minus infeſtum hoſtem eum judico, qui haſtam aut ſcutum è manibus mihi excutiat, quam qui domo me expellat.

Quamvis ergo vita hæc noſtra ita comparata ſit, ut labores multi & ærumnæ neceſſario nobis perferendæ ſint, minime tamen quaſi ultrò Fortunæ copiam noſtri facere, ſed omnia pericula & offenſiones, quantum fieri poteſt, vitare debemus: quum hoſtibus aut fortunæ fruſtra convitium faciat, qui ſuo ſibi jumento, quod dicitur, malum acceſſit. *Plura non addo*: cætera enim quæ ſcire tua interſit, ſcribi vero ſine periculo non poſſunt, Roderici Biven fidei commiſi, è quo omnia cognoſces. Vale. Medina-Campi VIII. Januarii MDXII.

Ad

ALPHONSUM ALBORNIUM

EPISTOLA,

Qua eorum inurbanitatem exagitat, qui ad amicorum litteras non reſpondent.

SI ſponſæ tuæ Marinæ forma tua tam placet, quā mihi tua in ſcribendo negligentia diſplicet, audacter eam quamprimum domum tuam deducito, ac nuptias celebrato: nec, me vide, hujus te facti pœnitebit. Ne vero exiguum quid aut vulgare me promiſiſſe puta in eo quod dixi, non fore ut hujus te facti pœniteat. *Matrimonium cita pœnitentia.* Ego enim vix majus quid à Deo immortali precari auſim, quam ut peccatorum meorum tanto me opere pœniteat, pigeat ac tædeat, quantopere nonnullos matrimonii vixdum initi pœnitet, piget ac tædet. Nihil facilius eſt quam uxorem ducere; at uxorem ad finem uſque vitæ ſuſtentare, hoc opus, hic labor eſt. Inde fit ut fere omnibus, quibus Amor ad matrimonium proxeneta fuit, Mœror aſſiduus per vitam ſit comes. Cui vero liberorum ploratus & ſtrepitus, infidelitas & ſocordia famulantium, cura rei familiaris, cognatorum importunitas, ſocrus ambitio, ipſius denique uxoris ſumtuoſitas, non dico invidum matrimonium, ſed minus jucundum ſaltim reddat? *Matrimonii moleſtiæ.* Philoſophus quidam rogatus, cur à matrimonio abſtineret, Eo, inquit, ut quietius vivam. Si enim probam duxero, cum dolore tandem amittenda; ſi malam, ferenda; ſi pauperem, alenda; ſi divitem, colenda; ſi formoſam, cuſtodienda mihi: & quod peſſimum eſt, ei, quæ nullam mihi habitura ſit gratiam, libertas mea prodenda erit. O quanta ſolicitudinum caterva matrimonium aſſidue obſidet! Divitiæ curas gignunt, paupertas oneroſa eſt, navigatio multis periculis ſubjecta, ambulatio corpus defatigat, & ut verbo dicam, laborum & miſeriarum plena eſt hæc vita: quæ tamen ita inter omnes diſtributa ſunt, ut ſuam quiſque partem inde capiat: at nupti à nullo tam horum quam aliorum malorum immunes ſunt, quippe quos ſol oriens de victu quotidiano ſollicitos videt, occidens ſollicitos relinquit. Hinc videmus pleroſque omnes triſtes, moroſos & anxios incedere, anxios inquam, non de iis tantum, quæ fortunæ adverſitas, verum etiam ac multo potius quæ mulieris malitia eis objicere poteſt. Equidem quodvis mancipium meliori eſſe conditione autumo, quam maritum cui uxor contigit fatua, inſulſa, audax, prodiga, vinoſa, contumax, auſtera, litigioſa, & ſi quæ alia ejuſmodi vulgaria ornamenta in mulieribus reperiuntur. *Nihil pejus mala muliere.* Virum iracundum ferre difficile eſt; at importunam mulierem multo difficilius, vel ob unum hoc, quod ſine modo aut amat, aut odit: nihil eſt tertium. Sed hac de re ſatis: in qua deſcribenda ſi ingenio laxare habenas velim, tempus mihi citius quam verba defutura ſint.

Dixi initio epiſtolæ non ſine cauſſa, tuam in ſcribendo negligentiam mihi diſplicere: memini enim me ante ſemeſtre, & quod excurrit, litteras ad te dediſſe, ad quas hactenus ne verbo quidem reſpondiſti. *Qui epiſtolam accipit, ad reſpondendum ſe obligat.* At mihi crede, rectè poſthac feceris, ſi vel minimis etiam qui ad te ſcripſerunt, reſpondeat: ſiquidem juri dicundo inter Nobiles præfectus illud mihi ſecreto in aurem dixit, neminem propterea è Nobilium albo expungi, quod ad inferioris epiſtolam reſponderit. Superioribus reſpondere ſuadet neceſſitas; æqualibus reſpondere, noſtri eſt arbitrii; at inferioribus reſpondere, mera eſt virtus. Magnus ille Alexander orbis domitor ad fabrum ſuum ferrarium; Julius Cæſar ad hortulanum; Tiberius ad molitorem; Seneca ad quæſtorem ſcripſiſſe leguntur; ex quo intelligi-

tur, nihil cujuſquam decedere nobilitati aut dignitati litteras ad inferioris ordinis homines ſcribendo, aut iis reſpondendo, ſed tantum turpia perendo aur faciendo. Phalaris famoſus ille tyrannus Agrigentinus nullum à quoquam beneficium accepiſſe fertur, cui non gratias egerit, nec litteras, cui non reſponderit. Ad me quod attinet, tam in hac quam omnibus aliis in rebus liberrime quidvis tibi facere licet: ſi eadem erga reliquos negligentia uti velis, verendum fuerit, ne amicis parum officioſus, inimicis vero ſuperbus videare. Iracundiæ, invidiæ, avaritiæ, pigritiæ, levitatis, ab aliis notari moleſtum eſt, at ſtultitiæ, probroſum. Porro qui alium ſuperbiæ, faſtus aut arrogantiæ inſimulat, eidem ſtultitiam, ſi rem vere æſtimare velimus, exprobrat.

Superbus & ſtultus idem.

C. Julio Cæſari omnia abunde fuerunt, potentia ſcilicet qua gentes immanitate barbaras, locis infinitas, multitudine innumerabiles vicit; clementia inaudita, qua inimicos omnes non in gratiam tantum recepit, verum etiam ad honores provexit; liberalitas inexhauſta, qua etiam regna inter ſuos diſtribuit; doctrina ſumma, quam libri ab ipſo conſcripti reſtantur; fortuna denique ſingularis, qua ſummum imperium fuit adeptus: eidem tamen unum defuit, animi ſcilicet humilitas, ſine qua cætera plus obſunt quàm proſunt. Mos erat apud Romanos, ut Senatus Imperatori magna cum reverentia aſſurgeret, iſque viciſſim, qua par erat, comitate erga eos uteretur. Id vero quum Cæſar aliquando ſive oblivione ſive contemtu facere neglexiſſet, rantopere autea non ſatis ipſi æquos exacerbavit, ut viginti tribus vulneribus in ipſa curia confoſſus ſit.

Iulium Cæſarē arrogantia perdidit.

Hujus exemplo edoctus Auguſtus, nunquam niſi ſedente jam ſenatu, ſeſſum ſe recepit, neque permittere voluit, ut filiis ſuis in curiam venientibus Senatus aſſurgeret, aut ipſi inter eos conſiderent. Quod ſi ergo ſuperbiæ, vel ut verius dicam, ſtultitiæ crimen effugere velis, da operam poſthac, ut modeſtia ac comitate erga omnes utaris: qua inimici vincuntur, & amici conſervantur. Nunc ut ad reliqua veniam, cum Pontificis Legato de matrimonii veſtri diſpenſatione egi, pro qua ille ſexaginta Ducatos poſcit: quumque Venetus ſit & negociationi aſſuetus, copiam ejus prius niſi ſoluto precio, facere recuſat. Cum Periame etiam de Previlegio illo loquutus ſum: qui quum ſurdaſter, immo ſurdus ſit, me etiam Stentorea voce velut è ſuggeſtu declamantem, vix tamen intellexit. Novarum rerum nihil eſt quod ſcribam, niſi forte illud, Imperatricem magno cum deſiderio Imperatoris exſpectare adventum, gynæceum nupturire, litigantes ſententiarum ſpe duci, Ducem Vejarenſem longiorem ſibi optare vitam, Antonium Fonſecam recoctam juventam, Rodericum Voriam hæreditati inhiare, & F. Dionyſium Epiſcopatum ambire. Me quomodo habeam quæris? Equidem nullam in me earum cōditionum deſideres, quas litigantes habere ſolent, ſum enim negotioſus, ſollicitus, querulus, impatiens, inops ab argento, ſuſpicioſus, importunus, &c. etſi boni eventus me ſpes tenet, ut qui ſententiam pro me latam jam obtinuerim, &c. Medina-Campi XII. Martii Anno MDXXIII.

Conditiones litigantium.

Ad DON ANTONIUM GUEVAM

EPISTOLA.

Qua illa quæſtio explicatur: cur Deus Pauli preces de ſtimulo carnis tollendo non exaudierit, Sathanæ vero petitioni de Iobo affligendo aſſenſerit.

ALphonſus Spinellus litteras tuas XII. Maij ſcripras, XVII. Junii mihi Toleti reddidit, nec recentes nimium, nec vetuſtas, adeo ut nec nuncii celeritatem laudare, nec tarditatem accuſare poſſim. Multas à multis indies accipio litteras, quarum nonnullæ ita comparatæ ſunt, ut mihi legendi faſtidium pariant, & omnem reſpondendi voluntatem tollant. Neſcio an quidquam odioſius ſit malè ſcripta & pejus diſtinctâ epiſtolâ, quam ſi tenebris & ſilentio quis damnet, inſolens nihil fecerit. Agricola in agro exarando ſulcos rectos & æquales facere ſtudet: quanto major in epiſtola conſcribenda ac recte efformandis litteris diligentia adhiberi debet. Multi pennâ non ſecus ob bæ alicujus anſa arrepta, ſimul ſcribere & loqui, atque alia etiam facere ſe poſſe gloriantur. At quam bene præſtiterint, res poſtea ipſa loquitur, inſpecta ſcilicet ſcriptura, ubi nimirum litteræ gallinarum ſcarificationi ſimiles, lineæ tortuoſæ ſunt inſtar ſer-

Odioſa eſt negligenter ſcripta epiſtola.

Digitized by Google

pentum, crebri, tamquam à muribus exeſi, hiatus, papyrus velut pardus frequentibus maculis & lituris conſperſa, ipſa denique verborum ſententia tam argute inventa, tam apte connexa, ut nec pes nec caput appareat, ac plane diphthera Jovis, quod dicitur, videatur. Nulla ex re ingenium hominis facilius noſcitur, quam ex ſcriptura aut ſermone: ſiquidem vir prudens & cordatus non quidquid memoria ſuggeſſerit, ſed tantum quod ratio dictaverit, vel verbis exprimet, vel litteris conſignabit. Phalarim tyrannum non niſi ſolitario in loco, & ſua tantum manu ad amicos literas ſcripſiſſe teſtatur Plutarchus: eoque ſicut tyrannis ipſius inviſa, ſic ſcripta omnibus grata fuerunt. Memini Nobilem quendam amicum & popularem meum litteras ad me quam longiſſimas dediſſe, quas quum legerem, & ſub finem illa ipſa quæ ab initio poſuerat, repetita viderem, facile ſupinam ſcriptoris animadverti negligentiam, qui ad ea, quæ ſcripſerat, relegenda otium ſibi non ſumſiſſet: quocirca nec mihi tantum temporis perire volui, ut ad illa reſponderem, ſed conceptam epiſtolam in ignem conjeci. Sed profecto longæ aliæ tuæ ſunt epiſtolæ, quarum lectio mihi voluptatem, reſponſio vero nullam moleſtiam adfert, ut in quibus jocoſa urbanè, ſeria graviter ſunt expreſſa.

Verba & Scriptura animi indices.

Sed ut ad rem præſentem veniamus, ais in ſacris libris, atque etiam apud D. Gregor. in Moralibus te legiſſe, quomodo Sathanæ, ut Jobus ſibi vexandus traderetur petenti, Deus aſſenſerit, D. Pauli vero, ut carnis ſtimulus à ſe removeretur orantis, preces non exaudierit: ideoque valdè mirum tibi videri qui factum fuerit, ut apud Deum plus Sathanæ quam ſanctiſſimi Apoſtoli preces valuiſſe videantur.

At mirari profecto deſines, ſi illud conſiderabis, juſta eſſe Dei judicia, & quæcumque facit, bona eſſe, & ad bonum finem, etiamſi nos perſcrutari ea nequeamus. Quod ſi rem ipſam exacte perpendamus, videbimus ſane id quod Deus Apoſtolo conceſſit, multo majus eſſe eo quod negavit. Quid enim petiit à Domino Apoſtolus? ut ſtimulus, id eſt, tentationes carnis à ſe tollerentur. Non hoc ei largitus eſt Deus: at majus quiddam; gratiam ſcilicet ſuam illas vincendi. Quam injuriam facit Princeps militi, quem pugnam capeſſere jubet, ita tamen ut certiſſimam ei victoriam oſtendat? Si carnis tentationibus ſtatim à Deo liberatus fuiſſet Apoſtolus, non tanta occaſio merendi, nec tanta gratia vincēdi ipſi data fuiſſet: atqui magis ille à Deo amatur, cui divinitus ad vincendum vires ſuppeditantur, quam qui velut ignavus miles pugnæ ſubtrahitur. Nec propterea querelis indulgere, multo minus deſperare debemus, etiamſi Deus non ſtatim votis & precibus noſtris annuat, quas ille non ſpernit aut negligit, ſed differt tantum, ut vel illud ipſum quod petimus, ſi nobis conducat, vel melius quid ſuo tempore nobis largiatur. Scit ipſe quid, & cur nobis neget: at nos quid petamus neſcimus. Nos in petendo cupiditates noſtras, Deus rationem & ſapientiam ſuam ſequitur. Negat nobis noxia, largitur ſalutaria: ſolus denique novit, quomodo tractare nos debeat, ut in ſalutis ſemita retineamur. D. Paulus ineffabilia Dei vidit myſteria, quæ nemini ante videre contigit. Ne ergo tam altis revelationibus intumeſceret, Deus ſtimulum hunc carnis ſive tentationes ab eo auferre noluit, non tamen ita ut peccandi ei objiceret occaſionem, ſed ut gratiam peccatum vincendi largiretur. In quo ſane majorem ipſi gratiam præſtitit, dum eum non exaudivit, quam ſi precibus ejus annuiſſet. Si enim carnis ſtimulo eum liberaſſet, tentationis detrimentum, ſuperbiæ forſan futurum erat argumentum. Tentatio nequaquam divini ergo nos odii vel indignationis indicium cenſeri debet: ſi quidem, D. Gregorio teſte, nulla major tentatio eſt, quam nullam tentationem ſentire. Ad cœlum quæ ducit viam Chriſtus Dominus noſter certis quibuſdam notis conſignavit, variis ſcilicet tribulationibus, tentationibus, morbis, & ærumnis: quas Deus iis immittit, quos ad ſe vult pertrahere. Nullum certius divinæ iræ erga hominem eſt argumentum, quam inoffenſa rerum omnium in hac vita proſperitas: adeo ut qui nullas hic ſentiunt adverſitates, pro infeliciſſimis & quaſi pro derelictis à Deo habendi ſint. Ut enim diabolus ſuos hic delicate & opipare tractat, ne ad cœleſtia adſpirent: ita Deus frequentibus plagis ſive vexationibus ſuorum animos à terrenis avocat ut ad alteram illam, & meliorem vitam anhelent.

Deus omnia juſte facit.

Deus hominum faſtum tētationibus retundit.

Infelix felicitas ſemper eſſe felicem.

Addis, miram tibi quidem videri diaboli audaciam, Jobum ſine ulla cauſſa, à Deo ad ſupplicium ſibi tradi poſcentis; ſed longe mirabiliorem tibi videri Dei facilitatem, teterrimi hoſtis petitioni ultro veluti annuentis, & ſanctiſſimi viri D. Pauli preces repudiantis. Equidem ſic puto,

nec tibi nec cuiquam fas eſſe in hæc & ſimilia Dei arcana inquirere, juſtas tamen ea admirandi eſſe cauſſas. Annon enim mirabilis res eſt, inimico aſſentiri ut amico noſtro male faciat? Hic aliud quod dicam non habeo, quam illud; melius eſſe malum pati, quam malum faciendi obtinere licentiam: ut in eo melior fuerit Jobi conditio, qui malum paſſus eſt, quam diaboli, cui Deus malum ut faceret, permiſit. Felicior ille Deoque acceptior habendus eſt, qui Deo ſerviendi gratiam, quam qui eundem offendendi accipit facultatem. Malum eſt, malum eſſe; at longe pejus, bonis male facere. Peccare enim, humanæ eſt imbecillitatis; at bonos odiſſe & perſequi, meræ eſt & obſtinatæ malitiæ. Quod ſi ſupplicibus votis Deum veneramur, ut gratiam ipſi ſerviendi nobis largiatur, multo potius cum lachrymis precari debemus, ut omnem ipſum offendendi occaſionem à nobis tollat. Bonum enim facere negligentes, præmio ſe defraudant; at malum facientibus, acerbiſſima parata ſunt ſupplicia. Cum Cain Abelem fratrem occidit, cum Eſau Jacob perſequitur, cum Saul Davidi inſidiatur, cum Nabuzardan Hieroſolymarum urbem incendit, cum Achab Micheam in carcerem detrudit, cum Sedechia Jeremiam ſerra diſſecat, cum Sathana denique Jobum affligit, cujus peccata meruerunt, ut ejus tanquam carnificis opera Deus ad ſuos caſtigandos utatur. Jobum diabolus continua vexatione vehementer afflixit; at Jobus invicta patientia multum eſt promeritus: neque enim minus eorum, qui perſequutionem ſuſtinent, patientiam Deus remunerabitur, quam perſequentium malitiam ulciſcetur.

Melius eſt pati quam facere malum.

Bonos perſequentium pœna acerbiſſima.

Dicis, celebrari paſſim neſcio quod Paradoxum, de quo nuper præſente Imperatore concionatus ſim, idque cujuſmodi ſit, ſcire cupis. Rem accipe. Dixi tum, in ſublimi dignitate conſtitutis, ſed maximè tyrannis, magis formidabiles eſſe bonorum virtutes quam malorum inſidias. Inter alia enim hoc quoque virtus habet, ut inferiores admiratione ſui compleat, æquales accendat æmulatione, ſuperiores percellat timore. Dionyſius Syracuſanus Platonis licet procul in Græcia abſentis reprehenſionem & convicium magis quam Siculorum ſibi infenſiſſimorum ſicas metuit. Sauli Davidis juſtitia & in Rempublicam merita formidabiliora fuerunt, quam Philiſtæorum arma. Faſtuoſo illi Hammoni non tam gratum fuit ab univerſo populo adorari, quam moleſtum ab uno Mardochæo contemni. Herodes Aſcalonita Joannem Baptiſtam magis quam univerſam Judæam fuit reveritus. Quin exiſtimo, nullius inimicitiam formidandam, niſi laudati & probi. Malus enim telo, at bonus ſola exiſtimatione & verbo lædere poteſt.

Tyrannis virtus formidabilis.

Quod Joannes Torrius Oranæ præfecturam ſuſcipere recuſat, ea ſpe, fore ut à Rege in Hiſpaniam reverſo, pro meritorum ratione, digniori aliquo munere afficiatur: mihi quidem parum ſapere videtur, qui incertum certo præfert, & ſpem precio emit. Pluris enim eſt nummus unus in arca, quam aurei in ſomno ficti Perſarum montes.

Rogas præterea quid de Antonio Roja, Senatus præſide, cui negotium tuum commendavi, ſentiam. In eo id mihi deprehendere viſus ſum, hominem eſſe ſermone aſperum & auſterum, ſed factis prudentem: eoque non placent mihi ex noſtris aulicis permulti, qui verba hominis calumniantur, at facta non intuentur. Atqui factis quam verbis juvare multo ſatius mihi videtur: & plerumq; fit ut qui verba toto modio, vix unciatim facta nobis ádmetiantur.

Non verbis ſed factis.

Ad Oratorem Venetum, de cujus itidem moribus, mihi quid videatur, rogas, quod attinet, quantum ego hominem cognoſcere potui (& vero utor illo ſatis familiariter, & ille me Confeſſario) vir eſt doctrina eruditus, moribus ſedatus, vita integer; & qui, ut verbo dicam, cum Catone & Phocione, probus eſſe quam videri malit. Cætera de quibus Spinellus tuo nomine mecum ſecreto loquutus eſt, ex eodem, quomodo ſe habeant, intelliges. Toleti XXX. Junii M D XXV.

Eſſe, non videri.

Ad
F. JOANNEM BENAVIDIUM
EPISTOLA,

In qua Scripturæ locus explicatur, ſcilicet: *Spiritus Domini malus arripiebat Saulem.*

Literas tuas Salamancæ ſcriptas, Soriæ rectè accepi, & non ſemel, ſed iterum atque iterum relegi,

Digitized by Google

relegi, utpote non ejus tantum à quo ſcripta ſunt nomine, ſed ipſo etiam argumento mihi gratiſſimas. A vero amico ſcripta epiſtola oblectat animum, recreat oculos, acuit ingenium, & quod potiſſimum eſt, amicitiam confirmat. Plutarchus auctor eſt, Magnum illum Alexandrum nullius ad ſe tyranni epiſtolam recepiſſe, eundemque, ne vel minima cujuſquam Philoſophorum ad ſe ſcedula periret, ſumma diligentia elaboraſſe. M. Antonii ad Cleopatram, & hujus ad illum epiſtolas Cæſar Octavianus Auguſtus poſt utriusque mortem quam diligentiſſime cuſtodivit. Attici, Tironis, & aliorum diligentiæ debemus, quod hodieque elegantiſſimæ M. Tullii Ciceronis ad ipſos & alios ſcriptæ epiſtolæ exſtant. Quin etiam pleriſque eruditis viris non minor eſt de ſuis ad alios & aliorum ad ſe litteris, quam de aliis ſcriptis & operibus cura. Quod eo dico, ut intelligas, epiſtolam illam tuam quam lectu mihi jucunda fuerit, tam ſollicite à me cuſtodiri.

De quæſtione mihi à te propoſita, illud S. Agnetis ad S. Luciam virginem non inepte uſurpare poſſim: *Quid à me petis Lucia virgo? nam ipſa poteris præſtare continuo matri tuæ.* Hac in re dubito ſane, uter noſtrû reprehenſione dignior ſit; tu, qui patientiam meam tentas; an ego, qui ſimplicitatem & ignorantiam meam prodere non erubeſco. Sed de hoc alii viderint. Mihi certe non minus, immo multo magis in culpa eſſe videtur, qui anſam præbet alii peccandi, quam qui ipſe peccat. *Ego ſi nequeo aſcendere in montem cum Loth, ad minus ſalvabor in Segor:* hoc volui dicere, ut ſi minus reſponſio mea tibi ſatisfecerit, voluntatem ſaltim & conatum reſpondendi probes. Propius enim à ſcopo aberit, ut Plato ait, qui, quàm fieri poteſt, argute collineabit.

Tam peccat qui jubet, quam qui facit.

Quæris ex me, quomodo verba illa S. è Scripturæ, de Saulis Regis morbo vel furore potius loquentis intelligam: *Spiritus Domini malus arripiebat Saulem.* De quo paucis meam ſententiam accipe.

1. Reg. 16

Primus Iſraelitici populi Rex Saul fuit, tribu Benjamin, quæ omnium poſtrema fuit, ad eam dignitatem à Deo per Samuelem evectus. Is ſecundo, poſtquam regnare cœperat, anno à malo Domini Spiritu arreptus, & eo uſque obſeſſus & vexatus fuit, donec tandem David cithara pſallendo furori huic aliquam medicinam attulit. Illud ergo in quæſtionem venit, quomodo *Spiritus Domini malus* Saulem arripuiſſe dicatur. Si enim Spiritus Domini erat, quomodo erat malus? Et ſi erat malus, quomodo erat Domini? Ut nodus per ſe intricatus admodum & difficilis recte ſolvatur, quædam paullo altius repetenda ſunt. Ac primo legimus 1. *Reg.* 26. Davidem, Saule dormiente, noctu caſtra ingreſſum, è tentorio ejus haſtam & ſcyphum ſub pulvinari abreptum, ſecum aſportaſſe, neque à quoquam ſatellitum aut excubitorum viſum aut animadverſum fuiſſe: quia, ut ibidem Scriptura loquitur, *Sopor Domini irruit ſuper eos.* Quæ verba nequaquam ita intelligenda ſunt, quaſi ullus ſomnus aut ſopor in Deum cadat (ſiquidem, ut Regius vates canit. *Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*) ſed ſopor Domini dicitur irruiſſe ſuper eos, non quod ipſe Dominus dormiret, ſed quia ejus nutu infuſus eſſet, ne quiſquam Davidis præſentiam ſentiret. Et hoc divina factum eſt providentia: ſiquidem Deus ſoporem Sauli ejuſque militibus immiſit, non ut eorum vires & ſenſus recrearet, ſed ut Davidis vitam cuſtodiret; ſic ut ſomnus Domini hoc loco idem ſit quod divina providentia. Tam ſuorum amans eſt Deus, tamque ſollicitus eſt cuſtos, ut non ſolum res eorum ad bonum finem perducat, verum etiam bona ad eum perveniendi media largiatur; & non quidem à laboribus immunes, ſed à periculis illæſos conſervet. Sed ut propius ad rem ipſam veniamus, ſciendum, eodem modo hic *ſoporem Domini*, quo ibi *Spiritum Domini* accipi. Quod ut melius intelligatur, ajo, quod etſi diabolus tentationem juſtis ſemper inferre cupiat, tamen ſi à Deo poteſtatem non accepit, nullatenus adipiſci poteſt quæ appetit. Spiritus quidem quo Saul vexatus fuit, eo *malus* appellatur, quod intentio diaboli tentantis ſemper mala ſit, idemque *Spiritus Domini* dicitur, eo quod poteſtas quam à Deo accipit, ſemper bona ſit. Quando Deus Sathanæ poteſtatem juſtos tendandi concedit, non ideo facit, ut per tentationem malum perpetrent, ſed per exercitationem malum vincere condiſcant. Virtus enim ut inertia languet, ita aſſiduo labore ſplendeſcit ac verum robur acquirit. Frumentum, ſi non ſæpius vertatur, curculiones infeſtant: in arca conditam veſtem comedunt tineæ: lignum pice non obductum populantur teredines: ferrum otioſum rubigo conſumit: ſitu denique omnia fere facilius & citius corrumpuntur:

Muſica furori medetur.

Tentamur nō ut malū faciamus, ſed vincamus.

tur: eodem modo homo tentationis expers ad omnia virtutis munia ſegnis evadit. Majorem Deus noſtri curam gerit quam noſipſi. Ipſe enim laſſos nos refocillat, miſeros ſolatur, dormientes excitat, afflictos erigit, juvat inopes, nobis denique animum deſpondentibus, animum addit. Quapropter S. Jobus à malo Spiritu Domini tentandus fuit, non tam ob ſuam culpam, quàm diaboli invidiam & malitiam: invidiam dico, non fortunarum & opum (quamvis ampliſſimas habuerit) ſed virtutis & vitæ inculpatæ. Id malorum unicum votum eſt, ut quamplurimos habeant, ſui ſimiles; ſicut ignominia notati, eandem notam omnibus imprecantur: adeo ut nulla periculoſior ſit, quam malorum erga bonos invidia: cujus telis virtus magis quam opes aut ulla alia res peti ſolet. Abraham triſtiſſimo de filii mactatione mandato, cæcitate Tobias, Job filiorum cæde, & omnium fortunarum & ſanitatis quoque jactura tentatus fuit. In quibus tentationibus iſti ſanctiſſimi viri multa perpeſſi ſunt, reſque ſibi chariſſimas amiſerunt; à Deo tamen digno ipſorum patientia præmio honorificè ornati, & æqua, quam fecerant, jacturæ compenſatione liberaliter tandem donati fuerunt. Quum ergo certum ſit, tentationes omnes, tribulationes & ærumnas à Domino nobis immitti, æquum eſt ut eaſdem patienter ſuſcipiamus, fortiter feramus, & glorioſe vincamus. Eſt enim Deus in tentando tam juſtus, & in permittendo tam parcus, ut ſupra vires nunquam nos tentari ſinat. Et quemadmodum ſi quando innocentes ac præceptorum ſuorum memores tentari permittit, diaboli poteſtatem anguſte reſtringit & certis circumſcribit limitibus; ita patientiæ donum iis, qui hoc modo tentantur, cumulate largitur.

Virtus invidiæ obnoxia.

Hineſtroſa Commendator ex aula mei videndi gratia huc venit, lætus quidem ob negotia quædam ſua expedita, ſed ob aliud neſcio quid triſtis, adeo ut veniſſe huc umquam pœnitere ſe dicat. ſuoque exemplo efficit, ut meas ærumnas facilius mihi ferendas ſtatuam. Qui triſtitiæ ſuæ quærunt remedium, eos ego rectè facturos puto, non ſi felicibus & lætis, ſed iis qui majori miſeria & triſtitia affligi videntur, ſeſe applicuerint, ut eorum comparatione non tam miſeri ſibi videantur, & onus ſuum levius perferre diſcant, &c. Soria xv. Martii. MD XVIII.

Comparatione alienæ propria miſeria fit levior.

Ad
DON INIGUM MANRIQUES
EPISTOLA,
In qua mira hominis & leonis hiſtoria narratur.

NEceſſarius tuus Truſillus litteras tuas mihi ex Inquiſitionis Senatu digredienti reddidit: & ut verum dicam, nec ille mihi, quis aut unde eſſet, aperuit, neque ego vel verbo ſum percontatus: in quo ſane nec illius ſilentium, nec mea incuria merito damnari mihi poſſe videtur: ille enim de via feſſus venerat, ego moroſior è Senatu diſceſſeram. Tritum eſt illud Mimi: *Qui cum laſſo & famelico loquitur, rixam quærit.* Eſurientem enim, cui animus in patinis eſt, ſi variis quæſtionibus detineas, aut laſſum novis negotiis defatiges, nihil aliud efficies, quam ut ille negotium aliis commendatum velit, & tibi maximam malam rem imprecetur. In negotiis gerendis non importunitas tantum vitanda, verum etiam occaſio & commodum tempus captandum eſt. In quo quidem tua importunitas, & meorum negotiorum multitudo ita concurrerunt, ut quod tu à me contendiſti, ejus tum faciendi mihi nec facultas fuerit, nec voluntas. Facultas non fuit, quum aliis magni momenti negotiis, tum quæſtionibus de ſagis & veneficis regni Navarreni occupato: voluntatem vero tua mihi ademerat curioſitas, mirabilia ſubinde nec minus difficilia mihi erotemata proponentis: quæ ut tibi ſcitu jucunda, ita mihi inveſtigatu non parum moleſta ſunt. Vel hoc ipſum quod nunc ex me quæris, ſane legiſſe me memini, neque tamen Auctor, apud quem ea hiſtoria exſtet, ſtatim mihi occurrit: neque hoc mirum. Si namque omnia quæ oculi noſtri vident, aures audiunt, aut mens intelligit, memoria retineret, jam non homines, ſed dii, ut Plato loquitur, eſſemus.

Venter caret auribus.

Oblivisci proprium hominis.

Ais vidiſſe te nuper inter ſupellectilia à Conſalvo magno Capitaneo relicta, aulæum perelegans, a Venetis ipſi quondam donatum, cui intexta ſit hominis figura leonē loro ducentis, in pectore leonis inſcriptis verbis: *Hic leo eſt hoſpes hominis:* in pectore hominis vero, *Hic homo eſt medicus leonis.*

nis. Quam hiſtoriam ſcite tibi cupienti, narrabo ſane uti ea apud Gellium extat, : ac tanto lubentius, quod & res ipſa ſit mirabilis, & verbis valdè amœnis deſcripta. Sic vero ille Appionis Polyhyſtoris fidem ſequutus, ſcribit libro V. capite XIV.

In circo maximo, inquit, venationis ampliſſimæ pugna populo dabatur. Ejus rei (Romæ cum forte eſſem) ſpectator, inquit, fui. Multæ ibi ſævientes feræ, magnitudine beſtiarum excellentes, omniumque inuſitata aut forma erat aut ferocia. Sed præter alia omnia leonum, inquit, immanitas admirationi fuit: præterque omnes cæteros, unius. Is unus leo corporis impetu, vaſtitudine, terrificoque fremitu & ſonoro, toris comiſque cervicum fluctantibus, animos oculoſque omnium in ſeſe converterat. Introductus erat inter compluteis cæteros ad pugnam beſtiarum Dacus ſervus viri conſularis. Ei ſervo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente, inquit, quaſi admirans ſtetit, ac deinde ſenſim atque placidè, tamquam noſcitabundus ad hominem accedit. Tum caudam, more atque ritu adulantium canum, clementer & blande movet, hominisque ſeſe corpori adjungit, cruraque ejus, & manus propè jam exanimati metu lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amiſſum animum recuperat: paulatimque oculos ad contuendum leonem refert. Tum quaſi mutua recognitione facta, lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Ea re prorſus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit, arceſſitumq; à Cæſare Androdum, quæſitamque cauſam, cur ille atrociſſimus leonum uni pepercisset. Androdus rem mirificam narrat atq; admirandam: Cum Proconſulari imperio Africam meus Dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus & quotidianis verberibus ad fugam ſum coactus: & ut mihi à domino terræ illius præſide tutiores latebræ forent, in camporum & arenarum ſolitudines conceſſi: ac ſi defuiſſet cibus, conſilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum ſole, inquit, medio rapido & flagranti, ſpecum quandam nactus remotam latebroſamque, in eam me penetro, & recondo: neque multo poſt ad eandem ſpecum venit hic leo, debili uno & cruento pede, gemitus edens & murmura, dolorem cruciatumque vulneris commiſerantia. At

Androdus Dacus, ſervus.

que illic primo quidem conſpectu advenientis leonis territum ſibi, & pavefactum animum dixit, ſed poſtquam introgreſſus, inquit, leo (uti re ipſa apparuit) in habitaculum illud ſuum videt me procul deliteſcentem, mitis & manſuetus acceſſit, & ſublatum pedem oſtendere mihi & porrigere, quaſi opis petendæ gratia viſus eſt. Ibi, inquit, ego ſtirpem ingentem veſtigio pedis ejus hærentem revulſi, conceptamque ſaniem vulnere intimo expreſſi, accuratiusque ſine magna jam formidine ſiccavi penitus, atque deterſi cruorem. Ille tunc mea opera & medela levatus, pede in manibus meis poſito recubuit, & requievit: atque ex eo die triennium totum ego & leo in eadē ſpecu eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat; quæ ego, ignis non habens, ſole meridiano torrens, edebam. Sed ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ jam pertæſum eſt, leone in venatum profecto, reliqui ſpecum: & viam ferme tridui permenſus, à militibus viſus, apprehenſusque ſum; & ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me ſtatim rei capitalis damnandum dandumque ad beſtias curavit. Intelligo autem, inquit, hunc quoque leonem me tunc ſeparato captum, gratiam nunc mihi beneficii, & medicinæ referre. Hæc Appion dixiſſe Androdum tradit, eaque omnia ſcripta circumlataque tabella populo declarat. Atque ideo cunctis petentibus dimiſſum Androdum, & pœna ſolutum leonemque ei ſuffragiis populi donatum. Poſtea inquit, videbamus Androdum & leonem loro tenui revinctum, urbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus ſpargi leonem, omnesque ferè ubique obvios dicere: Hic eſt leo, hoſpes hominis: hic eſt homo, medicus leonis.

Habes hiſtoriam cognitu non minus admirabilem quam jucundam, uti ea apud ſupradictum A. Gellium deſcripta extat: è qua picturam illam facile, ſpero, intelliges, nec meum gratificandi tibi ſtudium deſiderabis. Toleti xxv. Auguſti, M D XX IX.

Ad
MIRANDÆ COMITEM
EPISTOLA,

In qua verba illa D. N. Jeſu Chriſti, *Iugum meum ſuave, & onus meum leve eſt,* &c. explicantur.

Illuſtris Domine.

PEtis à me, ut verba illa Domini & Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, de quibus præſente Imperatore concionantem me non ſine ſumma animi voluptate audiſſe te dicis, enucleem accuratius aliquãto & explicem; nec dubitare ais quin facilius tibi morem geſturus ſim, ſi id tempus in memoriam revocem, quo me Soriæ, Franciſcani ibi Conventus præſidem viſeris: ita quidem ut à me non tam novum hoc beneficium petere, quã olim à te mihi præſtiti remunerationem exſpectare videaris. Non nego conſpectum tui tum mihi fuiſſe longe jucundiſſimum: ac tanto magis, quod non paucis incommodis tum temporis laborarem, ob loci ſitum paluſtrem, aërem frigidiuſculum, victum perparcum, & aquam turbidam: quamvis autem ipſum monaſterium ab incolis non craſſæ omnino Minervæ habitaretur; mihi tamen nihil moleſtius erat, quam quod ab amicis tam longe abeſſem, ſine quorum conſuetudine nullius mihi ſatis placet loci amœnitas, nec ulla rerum copia animum explet. Quod tum quidem inviſere me voluiſti, in eo ſane amici officio functus es, cujus eſt egentem re adjuvare, & afflictum verbis conſolari. Equidem tuum illud in me beneficium lubens agnoſco, & gratum habeo, ſed quomodo compenſem non invenio. Referamne gratiam? Facultates non ſinunt. Viciſſim te inviſam? Non datur licentia. Munus aliquod mittam? nec mihi quidquam ad manus eſt; nec tu eo opus habes. Faciam ergo quod unum poſſum, tuum illud beneficium agnoſcam, & quod à me petis, præſtem: quod etſi leve eſt, illud tamen ſpero leve non putabis, te à me tanquam dominum obſervari, & tamquam amicum diligi. Bonis viris & cordatis non minus gratum eſt, gratiam ſibi haberi, quam referri. Quod ſi æqua talionis lex eſt, nihil ſane ingrati animi vitio iniquius eſt magiſque turpe ac deteſtabile. Cæteras injurias animus generoſus facile condonat, præterquam eas, quas ab homine ingrato acceperit, quæ quanto ſunt indigniores, tanto profundius vulnus relinquunt, quod nunquam ita cicatricem ducit, quin levi cauſſa rurſus exulceretur. Incredibilis fuit Alexandri Magni in dando liberalitas, nec minor Julii Cæſaris in ignoſcendo facilitas: neque ille tamen ingratitudinis comperto vel teruncium dare, vel hic leviſſimi delicti gratiam facere ſuſtinuiſſet.

Amicus optimũ vitæ cõdimentum.

Amici officium.

Ingrato homine nihil deteſtabilius.

Explanatio verborum:
Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.

Quod rogas, ut orationem, quam præſente Imperatore his de verbis habui, ſcriptã ad te mittam, ſane ut morem tibi geram, vix animum induco. Licet enim ea, quæ à nobis dicta ſunt, aliis communicare poſſimus, gratiam tamen ipſam, quæ verba comitari ſolet, communicare non poſſumus. Neque enim ea eſt pennæ, quæ linguæ energia: eoque quum Æſchines quandam Demoſthenis orationem Rhodiis, apud quos exulabat, legiſſet, cunctis velut ſtupeſcentibus, Quid, inquit, ſi ipſum dicentem audiſſetis? Merito ergo deſipere videatur, qui exiſtimationem & gloriam linguæ beneficio comparatam, pennâ veluti proſtituere & periculo exponere velit. Quantum delineatio ab ædificio, ſceleton à corpore, figura à figurato, vivum denique à mortuo differt, tantum inter orationem, quæ voce pronunciata auditur, & eam, quæ ſcripto conſignata legitur, intereſt. Lectione enim languet animus: at idem viva voce mirum in modum afficitur atque excitatur. Sacrarum litterarum proprium hoc eſt, ut earum lectio animum intelligentia inſtruat, ſed earum auditio, rerum divinarum deſiderio & amore accendat: eoque plures ſermonum, quos audierunt, quam librorum, quos legerunt, beneficio converſi & ad Deum reducti memorantur. Faciam ego nihilominus quod jubes, & mittam quod petis; cum hac tamen proteſtatione, ut ſi, quæ leges, minus te delectent quã quæ audiviſti, non meæ id in te voluntati, ſed importunitati petitionis tuæ imputetur. Sed ad rem.

Viva vox magis afficit quã lectio.

Ait Chriſtus Salvator noſter: *Venite ad me omnes*

Digitized by Google

nes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Ad verbum *Onus* quod attinet, frequenter id in S. Scriptura uſurpatum invenitur. Apud Iſaiam illa ſunt: *Onus Babylonis, onus Moab, onus Arabiæ, onus Ægypti, onus Damaſci, onus Tyri*, &c. quo verbo calamitates & miſeriæ regnis illis & nationibus ob graviſſima peccata impendentes ſignificantur. Et regius Propheta David, inquit: *Sicut onus grave gravatum eſt ſuper me*: divinam contra ſe indignationem innuens. Verum enimvero, ut verbi hujus vis plenius ac perfectius intelligatur, illud hoc loco conſiderandum eſt, veterem illam legem ante Chriſti adventum gravem admodum, duram & moleſtam fuiſſe, ut in qua delinquentibus pœna certiſſima; eam ſervantibus, vix ullum præmium eſſet conſtitutum. Quid enim ibi Deus vel ad motum præcepta vitam dirigentibus, vel tam multiplices ceremonias obeuntibus, vel tam varia ac toties repetita ſacrificia & holocauſta offerentibus aliud promittit, quam Regibus de hoſtibus victorias, Reipublicæ pacem, privatis bonam valetudinem, & rei familiaris augmentum? Quod vero majus onus cuiquam imponi poſſet, quam ſi legem vel in minimo violanti, certiſſimum atque æternum exitium; ſervanti vero parva omnino ac fere nulla merces proponatur? adeo ut inferni cruciatus ſemper ob oculos videret; cœleſtis vero paradiſi gloriam vix eminus aſpiceret? Ab initio veteris legis uſque ad ejus conſummationem præcepta præceptis, cerimoniæ cerimoniis, onus oneri, pœnæ pœnis fuerunt ſuperadditæ, adeo ut gravior quotidie lex ab omnibus, à nemine ulla ex parte levior redderetur. Primum præconium de oneris hujus allevamento CHRISTUS Dominus noſter fecit, tum quidem quum legem illam timoris in fornacem divini ſui amoris immiſit, & excoquere cœpit eoque exclamat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, &c.*

Vox onus & ejus vis.

Vetus lex tranſgreſſores damnat nec tamen obſervatores ſalvat.

Hoc loco illud animadvertendum eſt: quum unumquodque onus natura ſua grave, ac jugum omne portanti ſive jumento ſive homini moleſtum ſit, Chriſtus tamen profiteatur Jugum ſuum ſuave eſſe, & onus leve; majus quid & profundius ſub his verbis latere, eoque diligentius illa excutere operæ pretium eſſe. Non ait Chriſtus omnia juga ſuavia eſſe: ne ſcilicet, quodnam jugũ eſſet de quo loqueretur, aut quæ lex illa, quam approbaret, incertos nos relinqueret. Quando ergo dicit, *Iugum meum ſuave eſt*, ſatis indicat, cætera juga amara; tumque ait, *Onus meum leve eſt*, innuit, cætera onera gravia eſſe. Ex quo ſequitur, tum maximè nos allevari, quando onus, tumque ſolvi, quando jugum ab ipſo nobis imponitur. Neque vero Chriſtus in plurali loquitur, Juga ſua ſuavia eſſe, & onera levia: quum unum tantum jugum, & unum onus ſingulis imponat. Diaboli multiplex eſt jugum, ut qui ad multa nos peccata impellit. Mundi itidem, qui nos variis negotiis, & vanis occupationibus involvit. Carnis denique, quæ omnis generis illecebris nos tentat. At optimus noſter Dominus ac Salvator id unum à nobis poſcit, ut ipſum toto corde, & proximum ſicut nos ipſos diligamus. Moſaica lex, Timoris lex fuit; at Chriſtianorum lex, Amoris lex eſt; ut quemadmodum illi coacte, ita nos ſpontanee Deo ſerviamus: ideoque merito lex illa dura & aſpera, noſtra ſuavis appellatur. Amoris hæc vis eſt, ut quæ alias aſpera ſunt, plana; quæ dura, lenia; quæ amara, dulcia; quæ moleſta, grata; quæ moroſa, placida; quæ prava, recta; quæ gravia, levia reddat. Qui enim vere amat, non offenditur, non iraſcitur, roganti nihil negat, auferenti non repugnat, irridenti convicia non reponit, non ulciſcitur lædentem, averſantem etiam ultro prenſat. Quis enim ejus, quem medullitus amat, obliviſcatur? Quis conqueri poſſit, qui nihil aliud ſcit quam amare? Quod ſi amans quandoque queritur, non tam de eo queritur, quem amat, quam de ſe ipſo, qui ullam ægritudinem amori intervenire paſſus ſit. Ut verbo abſolvam, Cor verè amans plus ex amore gaudii quam ex rebus adverſis doloris & ægritudinis capit ac ſentit. O felices nos, ſi ut à Chriſto acceptum nomen profitemur, ita legis ab eo latæ amorem imbibamus! Quam ſuavia nobis tum omnia futura erunt! Neque enim animus amore occupatus aut ullum periculum reformidat, aut ullum laborem & moleſtiam, præter abſentiam amati, ſentit. Jugum quidem novum, quamdiu lignum viret, grave eſt, at ligno paullatim areſcente, multo fit levius ac portatu facilius. O bone Jeſu! ô profundũ divinæ bonitatis myſterium! Tu nimirum, Chriſte Optime Maxime, jugum legis tuæ non ita rude nobis imponere, ſed per triginta amplius annos ipſe ferre voluiſti, ut ſcilicet ipſo quaſi uſu detritum, cervicibus noſtris melius aptari, & commodius à nobis ferri poſſet. Quod

Solius Chriſti jugum ſuave.

Veri Amoris vis.

enim

Chriſtus omnia quæ nos, excepto peccato, expertus.

enim Salvator noſter nobis præcepit, quod non ipſe prius fecerit? Quod jugum ille nobis impoſuit, quod non prius ipſe pertulerit? Mandat nobis ut jejunemus; at ipſe jejunavit. Ut oremus; ipſe oravit. Ut offendentibus nos ignoſcamus; ipſe ignovit. Ut moriamur; ipſe mortuus eſt. Ut alter alterum diligamus, ipſe nos dilexit. Breviter, tanquam fidiſſimus medicus nullam nobis potionem propinat, nullumque remedium porrigit, cujus periculum non ipſe in ſe fecerit, ac vim ipſa experientia cognorit. Non ligno, non lapidi, non plantæ, non feno ſanctiſſimam ſuam legem Chriſtus comparat, ſed jugo. Illa enim ab uno omnia ferri poſſunt: at ſub jugum, unde etiam dictum eſt, duo junguntur; nec hoc myſterio caret. Inde enim diſcimus, quamprimum homo cervices ſuas Chriſti jugo ſubmittit, ad id tollendum, ex altera parte Chriſtum adeſſe ad levandum. Nemo enim Chriſtum invocat, cui non ipſe reſpondeat: nemo ejus ſe patrocinio committit, quem non tueatur: nemo quidquam ab ipſo petit, cui non aliquid largiatur: nemo ipſi ſervit, cui non mercedem liberaliter ſolvat. Jugum Chriſti non vulnerat, ſed ſanat; non pœnam, ſed veniam habet annexam; non accuſat, ſed excuſat; non defatigat, ſed recreat; non onerat, ſed levat: & quod omnium maximum eſt, à Chriſto ipſo communi quaſi opera nobiſcum ſupportatur. O Jeſu, ſpes & ſolatium animæ meæ! Quis te ducem non ſequatur? Quis te comite quamcunque viam non ingrediatur? Quis tuis auſpiciis militans victoriam non certo ſibi promittat? Quis te ſocio jugum non lubenter ſuſcipiat, & alacriter ferat? O ſuavem legem! ô felix jugum! ô bene collocatum laborem! Tu enim, ô Deus, nunquam nos auxilio & ſocietate quaſi tua nos deſtituturum ſanctiſſimè promiſiſti. Qui in hortum Gethſemani egreſſus eſt ad recipiendos inimicos, qui ad capiendum eum venerant, quomodo amicos ſuos non recipiat, qui ad ſerviendum ei ſe adjungunt?

Chriſtus in jugo perferendo ſocium ſe nobis addit.

Mundus ſibi ſervientibus parce; Chriſtus liberaliter mercedem ſolvit.

Mundus quidem iis, quos ſub jugo ſuo habet, omnia in pondere & menſura largitur: at Deus in eos, qui ipſi ſerviunt, omnia bona cumulatiſſime effundit. Veriſſime ergo Chriſtus dicit, Jugum ſuum ſuave eſſe, & onus leve: quum mundus ne facta quidem, at Deus etiam cogitationes bonas remuneretur. Novit quidem ille naturâ nos imbecilles, flaccidos ac ſocordes eſſe; neque tamen quales ſimus, ſed quales eſſe ſtudeamus, attendit. Judæis Moyſes, Athenienſibus Solon, Phoroneus Ægyptiis (vel potius Argivis) Romanis Numa Pompilius leges dederant: ſed quemadmodum iſtæ ab hominibus fuerunt profectæ, ita cum hominibus ſunt extinctæ. At divina hæc lex, quia Deum habet auctorem, tam diu durabit quam Deus ipſe. An perfectam dicemus legem Moſaicam, in qua divortium & uſura permiſſa erant? An Lycurgi? quæ ad furtum adoleſcentes inſtruxit. An Solonis? quæ adulteriis nullam pœnam ſtatuit. Quid tu Lydorum legibus tribuendum exiſtimas, apud quos virgines pudoris ſui proſtitutione dotem ſibi colligebant? Quis Balearium conſuetudinem laudandam putet? qui ſponſas proximioribus amicis & cognatis devirginandas præbebant. Non hominum iſtæ leges, ſed beſtiarum ſunt inſtituta, ut quæ ad turpiſſima flagitia feneſtram aperiunt. quæ ab eo, qui jugum una cum Chriſto ducit, quam longiſſimè eſſe debent. Quod ſi quiſpiam his contaminatus & immerſus ſit, is nomine quidem Chriſtianæ civitatis civis, re ipſa vero infernalis regni mancipium cenſendus eſt. Tam pura tamque perfecta Chriſti lex eſt, ut ad nullum omnino peccatum conniveat, & omnes virtutes requirat. *Lex enim Domini*, ut regius Pſaltes ait, *immaculata eſt.* Quod Judæi, Arabes, ac cæteri gentiles legem Chriſti aut contemnunt, aut de ejus rigiditate conqueruntur, in eo ſane præter omnem rationem faciunt, & graviſſime peccant. Neque enim ullus in ea defectus eſt, ſed in nobis tantum, qui legis præcepta male obſervamus. Iis qui pietati & virtutibus ſtudent, lex Chriſti gravis non eſt: Jugum enim Domini non eorum cervicibus aptum eſt, qui ſuas cupiditates ſequuntur, ſed qui ſecundum rectam rationem vivunt, & quæ recta ſunt, faciunt. Quomodo denique Chriſti jugum non ſuave, & onus ejus non leve ſit, quum etiam ea, ad quæ ultro præſtanda obligati ſumus, nobis imputet, & benigne remuneretur? Hæc fere ſunt, quæ in verborum iſtorum explicatione coram Imperatore diſſerui: quibus plura jam non addo, &c. Madrici X. Quinctilis M D XXVI.

Humanarum legum abſurditas, imo impietas.

Lex divina aſpera malis, dulcis bonis.

Ad

Ad
JOANNEM DE PALAMOS
EPISTOLA,
In qua hiſtoria equi Seiani, & auri Toloſani explicatur.

LItteras tuas, Nobiliſſime, accepi, quibus diuturnum meum ſilentium & intermiſſum ſcribendi officium graviter accuſas. Sed profectò, niſi valde iniquus eſſe velis, facilè me negotia à Cæſare mihi demandata excuſabunt: quæ tot tantaque fuerunt, ut ad precum, quas horas vocant, quotidianum penſum reddendum nihil temporis reliquerint. Imperator enim poſtquam acceperat, inter Segorbiæ Ducem & Vallis Paradiſiacæ Monachos diſſidium de agrorum limitibus eſſe ortum, mihi mandavit, ut ſtatim eo proficiſcerer, & litem pro viribus componere ſtuderem. Quod ego negotium ut libenter ſuſcepi, ita non ſine maximis laboribus confeci. Totis illis quadraginta diebus, quibus ibi deſedi, nullam omnino ad populum concionem habui, nullum librum in manus ſumpſi, ſed totos dies atque noctes etiam vel inſpiciendis privilegiis, vel agrorum obeundis limitibus, vel audiendis partium querelis fui occupatus: tanto nihilominus tardius omnia procedebant, quanto majores erant partis utriuſque vires, & animi exulceratiores. Quæ quidem cauſa fuit, cur hactenus neque ad litteras tuas reſponderim, neque, quod Valentiæ promiſeram, implerim. Id tale eſt. Inter Borbonii Principis, quum is per Valentiam iter faceret, ſupellectilia aulæum quoddam vidimus, cui equi intexta erat figura, & ante pedes ejus quinque Equites proſtrati atque interfecti: cum inſcriptione, Equus Seianus. Picturam hanc ut tum omnes magna cum admiratione contemplati, ita varie interpretati ſunt. Quidam Joſuæ, alii Judæ Machabæi, nonnulli Hectoris, alii Alexandri Magni neſcio quas hiſtorias eo repræſentari ajebant: nonnemo etiam Ruyſium Diaz, aliis denique aliud comminiſcebatur. Sed inprimis delicias faciebat Eques neſcio quis, qui equum illum Don Martini de Valentia, & quinque illos Equites quinque Maurorum reges uno die ab illo occiſos eſſe memorabat: Seianũ vero equũ illum dici ajebat, quod Segorbianus fuiſſet. neque ſimpliciter hoc affirmare contentus, hanc ſuam interpretationem veram eſſe dejerabat, adeo, ut non è profanis ſcriptoribus hiſtoriam aliquam dubiam quærere, ſed certiſſimam è ſacris libris recenſere videretur. Fateor me vix tum riſum tenuiſſe: quia tamen Eques ille ortu generoſus, facultatibus prædives, ætate penè canus, mendaciis tamen infamis erat, quamvis hiſtoriam probe noſſem, ſilere malui quam miſerum illum omnibus deridendum propinare, aut ad iram concitare. Neque enim tam verba ſtultorum & vaniloquorum ſenum penſiculanda, quam canos venerandos, Philoſophi monent. Sed ut promiſſo me exſolvam, & qualis ille equus Sejanus fuerit oſtendam, age A. Gellium diſſerentem audiamus. Is III. libr. Noct. Attic. ſic ſcribit.

Stulti de rebus · *ſibi incognitis temerè pronunciant.* · *Capitis reverentia cani.*

Cajus Baſſus in commentariis ſuis, item Julius Modeſtus in ſecundo quæſtionum confuſarum hiſtoriam de equo Seiano tradunt, dignam memoria atque admiratione. Cneum Sejum quempiam ſcribunt fuiſſe, eumque habuiſſe equum natum Argis in terra Græcia, de quo fama conſtans eſſet, tanquam de genere equorum progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuiſſent, quos Hercules, Diomede occiſo è Thracia Argos perduxiſſet. Eum equum fuiſſe dicunt magnitudine inuſitata, cervice ardua, colore phœniceo, flava & comanti juba: omnibuſque aliis equorum laudibus quoque longe præſtitiſſe: ſed eundem equum tali fuiſſe fato ſive fortuna ferunt: ut quiſquis haberet eum, poſſideretque, is cum omni domo, familia, fortuniſque omnibus ſuis ad interneccionem deperiret. Itaque primum illum Cneum Seium dominum ejus, à Marco Antonio, qui poſtea triumvir Reipublicæ conſtituendæ fuit, capitis damnatum, miſerando ſupplicio affectum eſſe. Eodem tempore Corn Dolabellam Conſulem in Syriam proficiſcentem, fama iſtius equi adductum Argos diveniſſe, cupidineque habendi ejus exarſiſſe, emiſſeque eum H S. centum millibus: at ipſum quoque Dolabellum in Syria bello civili obſeſſum, atque interfectum eſſe. Mox eundem equum, qui Dolabellæ fuerat, C. Caſſium, qui Dolabellam obſederat, adduxiſſe. Quem Caſſium poſtea ſatis notum eſt victis Parthis fuſoque exercitu ſuo miſeram mortem oppetiiſſe. Deinde Antonium, poſt interitum Caſſii, parta victoria, equum illum nobi-

lem

lem Caſſii requiſiſſe: & cum eo potitus eſſet, ipſum quoque poſtea victum; atque deſertum, deteſtabili exitio interiiſſe. Hinc proverbium de hominibus calamitoſis ortum, dicique ſolitum: ille homo habet equum Sejanum. Eadem ſententia eſt illius quoque veteris proverbii, quod ita dictum accepimus: Aurum Toloſanum. Nam cum oppidum Toloſanum in terra Gallia, Q. Cæpio Conſul diripuiſſet, multumque auri in ejus oppidi templis fuiſſet: quiſquis ex ea direptione aurum attigit, miſero cruciabilique exitu periit. Hunc equum C. Baſſus vidiſſe ſe Argis refert, haud credibili pulchritudine; vigoreque & colore exuberantiſſimo.

Et hæc quidem Gellius: quibus ſimilia apud alios auctores legere eſt.

Ædes contagioſæ. Athenis quidem domum fuiſſe, in qua nati omnes à mente inopes; itemque aliam, in qua nati omnes ſtupidi fuerint, Laërtius auctor eſt: eoque utramque domum ex Senatusconſulto non deſertam modo, ſed & deſtructam fuiſſe. Similiter teſtatur Herodianus, Romæ in campo Martio ædes fuiſſe, quarum domini omnes ſubitanea morte extincti ſint: eamque ob cauſſam Imperatoris Aureliani juſſu eas non modo funditus everſas, ſed & omnem earum materiam flammis abſumtam. Solon Ægyptiis vetaſſe dicitur, ne defunctorum res aliis divenderentur, ſed inter cognatos diſtribuerentur: addens, æquum eſſe, ut una cum rebus defuncti fortuna hæredes ſequatur. *Scelera quam odioſa.* Neronis & Caligulæ, non hominum ſed monſtrorum, ſupellectilem atque utenſilia nemo bonorum vel attingere ſuſtinebat, adeo ut etiam pretioſiſſima, quibus illi uſi fuerant, in cloacas abjecta, & tamquam luce indigna, defoſſa ſint. Et hæc quidem exempla non eum quidem in finem hoc loco à me adducuntur, ut ſuperſtitioſis ejuſmodi perſuaſionibus fidem habeas, ſed ut intelligas, eſſe in hoc mundo quum alias res, tum homines etiam tam infelicis conditionis, ut velut contagione quadam etiam aliis noceant & infelicitatem ſuam affricent.

Vale.

Ad

PETRUM ACUNAM

EPISTOLA,

In qua ſaluberrima novi adminiſtrandi imperii præcepta traduntur.

CONſalvus Urenna tuus beneficiarius litteras mihi tuas reddidit, quibus mecum expoſtulas, quod toto jam anno nec umquam te inviſerim, nec toto ſemeſtri vel brevi epiſtolio ſalutarim. At ſi tu meas occupationes ſcias, non ſane, credo, miraberis ab amicorum viſitatione me abſtinere; ſi naturam & mores, facile etiam hoc officium amicis me condonare exiſtimabis: non quod viſitari, ſed quod quietem mihi interturbari ægrè feram. Veriſſimè Plato ait, Amicos fures eſſe temporis. Sunt enim amici quidam in viſitando tam importuni, & in confabulando tam prolixi, ut temporis ab ipſis nobis ſurrepti, quam pecuniæ à furibus ablatæ major jactura cenſenda ſit. Quid tibi ego aulicorum noſtrorum mores commemorem? qui dum ad nos veniunt, jam hora abit, dum primæ ſalutationis ceremonias peragunt: inde in ſellam ſe componentes, aut in parietem reclinantes, non conſilium aut remedium ad expurgationem conſcientiæ aut animæ ſalutem quærunt, ſed magno conatu fabulas & inaniſſimas nugas deblaterant; hæc ſcilicet: Regem diplomata dare, non ſubſcribere; quæſtores in ærarium omnia cogere, & inde nemini ſolvere; Epiſcopos ab eccleſiis abeſſe, reditibus tamen uti ſuis; judices munera accipere, cauſſas tamen ſuſpenſas relinquere; Officiarios omnes tamquam mulos mutuum ſcabere; Nobiles tempus ludendo perdere; mulieres pudoris oblivisci; quibus, & ſi qua alia magis putida ſunt, mirum eſt quantopere tam aures quam animi doctorum & cordatorum hominum offendantur. Ut enim grata iſtiuſmodi & jucunda ſint, neceſſe eſt, ut qui ea profert, malus; qui audit, malignus ſit. *Calumniatur & qui aures præbet.* Santiliæ Marchio dicere ſolebat, linguas malas & aures ſtultas facere, ut calumniis quidam & magis delectentur. Hac in aula tantus eſt vagabundorum, otioſorum, nugonum, balatronum, nihili denique hominum numerus, ut ſi fullo noſter

 Lau-

Laurentius Temporalis lanam ſuam tam probe carminet ac pannos depectat, depectat, quam illi aliorum mores & vitam attondere & perſtringere ſciunt, næ brevi pluris villus Segovienſis quam Florentina purpura futurus ſit. Quæ nullius ad infamiam, ſed eo tantum à me dicuntur, ut negligentiam, cujus à te inſimulor, quodammodo excuſem, meoſque tibi mores indicem, non niſi ex occaſione ad amicos itantis aut ſcribentis, qua & jam utar.

Primo ergo de Bundiæ Comitatu & Duenna oppido tibi adjudicatis, ex animo gratulor, optoque ut ea res tibi ac ſubditis feliciter eveniat: inprimis vero ut liberos ex te natos videamus, quibus iſta olim relinquas. Grave enim eſt, alienos ſuarum fortunarum & dignitatum cernere heredes. Quod rogas, ut tam pro tua valetudine, quam felici Reipublicæ adminiſtratione ad Deum preces fundam: equidem video cum Duennatibus ac reliquis ſubditis tuis male actum iri, ſi nulla alia res, quam vota ac preces meæ, apud Deum majus pondus ſit habitura. Quum enim homo ſim naturâ, profeſſione religioſus, conditione aulicus, & ubique in tam lubrico ad peccandum loco poſitus: facile intelligis, vix me ſufficere ad deprecandum mea peccata, nedum, aliena. Non nego; magnam vim apud Deum habet juſti oratio; ſed plus apud Deum poteſt peccatoris emendatio. Parum enim ad ſalutem illud proficiet, ſi unus precari, alter peccare non ceſſet.

Peccator ſibi quiſque optimus

Ut vero imperium recte ac ſalubriter adminiſtres, primum tibi impera. Quomodo enim alios regat, qui ſeipſum regere non poteſt? Fit enim plerumque, ut dominorum mores ſubditi imitentur. Si Princeps comis ſit, ſi caſtus, ſobrius, patiens, modeſtus, pius, ſtatim omnes ſubditi mores quam ſimillimos exprimere ſtudebũt, aut ad minimum contrarios celabunt. Et ſane magna laude dignus paterfamilias fuerit, in cujus domo nemini aperte improbo eſſe licet. Ubi vero dominus avarus, ſuperbus, mendax, aleator, ganeo aut Venerius hepotulus fuerit, quis poſtulare audebit, ut familiares & domeſtici aliis ſint moribus? ſiquidem fecerint quod herum vident quotidie facientem. Verba dominorum terrent; at opera movent, & exempla impellunt. Quam in ſententiam divinè Claudianus:

Qualis dominus, tales domeſtici.

In commune jubes ſi quid, cenſeq; tenendum,
Primus juſſa ſubi. Tunc obſervantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, quum viderit ipſum
Auctorem parere ſibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum. Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

Quid exemplis opus eſt? illi ipſi comitatus tui ſubditi non ad verba quæ audierant, ſed ad opera quæ viderant, vitam ac mores ſuos conformare ſolebant. Quod Abbas in monachos, Prior in fratres, idem habet Nobilis quiſque in domeſticos & ſubditos ſuos imperium. O miſerandum ſpectaculum, ſi mater filium, quem bene veſtitum ac moratum ad aulam miſerat, vix anno completo eundem videat non veſtibus modo, ſed moribus etiam fœdum in modum corruptis reducem! Atqui ſatius fuerat, ad caulam potius quam ad aulam talem mitti: immo efferri. Sit ergo hoc primum præceptum, ut vitam tuam ita inſtituas, ac familiam ita regas, ut exteri habeant quod laudent, domeſtici quod imitentur.

Principem tam erga Deum quam homines gratum eſſe debere.

Ante omnia vero, ut porro quoque tibi feliciter omnia ſuccedant, neceſſe eſt ut innumera Dei in te beneficia, tum inprimis hoc ipſum, quod fratre cum uxore ſine liberis extincto, exheredata conſobrina, & cognato Admirante judicum ſententia victo, tam fortunas quam dignitatem tuam tam luculenta acceſſione auxit, aſſidua mente volvas ac revolvas, proque iis indeſinenter gratias quam humillime agas. Omnia quidem peccata ante Dei conſpectum gravia ſunt & fœda, ſed nullum gravius aut fœdius quam ingratitudo: quæ, ut ventus urens, Dei liberalitatem exſiccat. Neque enim quidquam ex iis, quæ habemus, Deus ſibi depoſcit, ſed hoc tantum, ut de iis, quæ nobis largitur, grati ſimus. Habe ergo Deo gratiam, qui te creavit, qui te redemit, quique te ad hunc ſtatum evexit, in quo niſi me ratio fallit, & Deo liberalius ſervire, & honoratius vivere poſſis. Et quamvis multis periculis, laboribus & impenſis Comitatus hic tibi conſtiterit, cave tamen putes, eum tuæ potius diligentiæ quam divinæ gratiæ acceptum referendum; ſed, ſi ſapis, putum putum hoc, quantum quantum eſt, Dei beneficium agnoſce. Talia enim deſiderare quidem & petere à Deo poſſumus, at promereri nequimus. Quomodo vero unquam divinæ in te libera-

Gratitudo quam Deo grata.

Beneficia Dei gratuita.

beralitatis obliviſci poſſis, qui è laboribus ad quietem, è paupertate ad divitias te tranſtulit, & è privata fortuna extractum in clariſſima publicæ dignitatis luce collocavit? ut qui antehac alios obſervare, prenſare, rogare ſolitus es, jam iſta alios tibi facientes videas; jam non ſervias, ſed imperes, non petas, ſed annuas; non jam Don Petrus, ſed Bundiæ Comes audias: ac propterea duplici nomine Deo gratias debes, & quod moleſtiis iſtis te liberavit, & his commodis auxit. Multum Deo, mea quidem ſententia, debent, quibus ex ejus liberalitate tantum eſt, ut nihil ab aliis petere cogantur: at multo plus illi, qui habent unde aliis etiam largiantur. Verecundæ enim fronti & animo excelſo nihil gravius accidere poteſt, quam alienas fores, opis petendæ cauſſa pulſare. Pompejus medicis conſulentibus, ut recuperandæ ſanitati, turdis è Luculli corte petitis, veſceretur. Ergo, inquit, niſi Lucullus deliciis indulgeret, ego vivere non poſſem? Tanti vir magnus etiam valetudinem ſuam ac vitam non fecit, ut illam alterius liberalitati acceptam ferre vellet. Quum ergo Dei benignitate tantum tibi contigerit, ut ad aliorum opes aſpicere nihil neceſſe habeas: par ſane eſt, ut quemadmodum tibi antehac alii, ita nunc tu aliis ſuccurras, & qua potes, opitule-ris: neque enim donorum ſuorum dominos, ſed diſpenſatores tantum nos Deus conſtituit. Etiamſi vero exiles Comitatus tui, aliorum reſpectu, ſint reditus: benefaciendi tamen materia nunquam deerit. Cuicumque enim magnati, modo familiam ſuam bene regat, expenſa cum acceptis comparet, & in omni re mediocritatem ſervet, erit unde vivat, erit etiam quod ad futuras neceſſitates condat, immo ſupererit quod aliis largiatur. Mihi quidem non ij, qui multa poſſident, ſed qui multa dant, pro magnatibus habendi videntur. Agricolarum eſt arare, clericorum orare, monachorum contemplari, artificum operari, mercatorum negotiari, avarorum corradere, mendicorum petere; ſed Principum, dare: qui illo ipſo momento, quo opes congerere incipiunt, famam & exiſtimationem ſuam ſub haſtam dant, & præconio ſubjiciunt. Magnatibus nihil magis convenit, quam fratres fraterno amore & benevolentia complecti, cognatos obſervantia, amicos auxilio demereri, eorum denique negotiis ita

Grave eſt viris magnis, petere.

Non accipere, ſed dare generoſum eſt.

favere, & neceſſitatibus ſuccurrere, ut porta omnibus pateat, & area nemini clauſa ſit. Verum quidem eſt, eſſe in horum numero nonnullos in adeundo tam importunos, in ſermonibus tam moleſtos, in petendo tam inverecundos, vix ut quiſquam tam patiens ſit, qui eos ferre poſſit. At contra hos optimum remedium fuerit, juvare eos quamprimum, & à nobis ſegregare. Veteres tam patris quam fratris miniſtros, & in univerſum familiæ veſtræ addictos, & magnitudini faventes, non benigno tantum vultu excipe, ſed verbis etiam ac ſpe ſolare, multo magis vero, ſi commodum ſit, præſenti aliquo beneficio juva; ne ſi deſertos eos patiaris, vulgi indignationem & voculas incurras. Penſiones ſimiliter iiſdem, aut eorum viduis à prædeceſſoribus tuis aſſignatas; cave eis ſubtrahas aut imminuas. Parum namque te, quod illis ſubtraxeris, juvabit; & ad extremam inde inopiam illi redacti, non jam pro ſalute tua vota facient, ſed diris omnibus te devovebunt, ac ultionem à Deo tibi imprecabuntur. Neque vero puta minus periculoſum eſſe, pauperem quam divitem injuria afficere: nam hic armis, ille lachrymis ſe ulciſci poteſt, quæ ad Deum nunquam fruſtra funduntur. Invenies etiam in hoc tuo Comitatu ab iiſdem relictos orphanos, tam pueros quam puellas, ſumma egeſtate preſſos. Utroſque ali tu atque honeſte educari curabis, & illorum ſaluti promovendæ, & harum pudicitiæ conſervandæ, quibus potes, rationibus conſules. Nulla enim Deo acceptior eleemoſyna eſt, quam puellam perditionis viæ jamjam inſiſtentem retrahere, & idoneis contra tentationes remediis inſtruere. Et quemadmodum execrabilis eſt, qui alios ad peccatum ducit, & impellit, ita laude eſt digniſſimus, qui alios à peccato cohibet & præmunit. Utri enim major gratia debetur? eine, qui lapſum te erigit, an ei, qui ne cadas, providet? Sunt quoque inter ſubditos tuos, qui partium ſtudio abrepti, animi parum benevoli indicia dediſſe, nec ſemper bonam operā præſtitiſſe dicuntur. Hac de re quidquid eſt, cēſeo, magno animo contemnas, ac non modo vindicta, ſed ne inquiſitione quidē dignū exiſtimes. Ad excelſum enim animū inferiorum injuriæ non pertingunt. Subditorū injurias diſſimulabis potius quam vindicabis, ne uno hydræ amputato capite, mox plura ſubnaſcantur, & remediū in vene-

num.

Emeritis referenda gratia.

Lachryma pauperum acerrima injuriarum ultrices.

Digitized by Google

num vertat. Domino quidem punire ſubditum licet; injuriam ſuam ulciſci non licet. Etſi enim ſubditus non habeat, quo ſe contra dominum defendat, quæret tamen quo eum offendat; nec dubitabit populum ad ſeditionem concitare, & domini honorem infamare. Vis ulciſci eos qui tibi adverſati ſunt? Remunerare bene de te meritos. Sic enim hos officii non pœnitebit; illos vel ſtultitiæ ſuæ pudebit, vel malitiæ pigebit. Denique magis memor ſis ejus, quod jam tibi præſtatur, ſervitii, quam quæ olim tibi facta eſt, injuriæ. Domeſticorum nemini ob quæcunque obſequia nimis familiarem te præbeas. Qui enim liberis hominibus tam dictis quam factis maximè blandiuntur, non ſerviunt, ſed ſervitutem intentant.

Nulli te facias nimis ſodalem.

Principis eſſe, Iuſtitiam adminiſtrare.

Ad imperium rectè & piè adminiſtrandum, neceſſarium omnino eſt, ut viros bonos, prudentes & expertos circa te habeas. Nemo enim mortalium tantum ſapit, ut aliorum conſilio non indigeat. Eligendos dixi non litteratos, ſed prudentes viros: illis enim cauſſarum diſcuſſio, his Reipublicæ adminiſtratio committenda eſt. Teſtatur namque experientia, quantum homo naturæ dotibus ſollers & civili prudentia inſtructus ei præſtet, qui nulla re niſi multorũ librorũ lectione commendatur. Quod ſi quem nanciſcaris bene à natura, melius etiam è doctrina inſtructum, eum ego tibi quavis mercede conducendum, nec facile dimittendum ſuadeo. Doctrina enim judicandi; prudentia ſive naturæ ſollertia, gubernandi peritiam adfert: quæ duo multi expetunt, pauci utrumque conſequuntur. Cave illos ſubditis tuis juri dicundo præficias, quorum ſcientia omnis in linguæ volubilitate conſiſtit, quales plerique ſunt de ſchola recentes, qui cerebrũ, quod dicitur, in calcaneis geſtant. Ab his enim nihil aliud quam privatorum expilationem, & Reipublicæ perturbationem exſpectabis. Qui è collegiorum & Academiarum umbris in lucem repente proſiliunt, quum ea tantum quæ in libris leguntur, non quæ oculis videntur, quæque à ſcientiæ opinione dictantur, non quæ ipſa experientia cognoſcuntur, ſapiant, eos ego litibus potius agendis, quam Reipublicæ adminiſtrandæ admovendos judico. Ut enim ad hoc apti fiant, accurate prius defæcari eos, & quaſi deſpumari oportet. Gubernandi ars, mihi crede, non in Academiarum umbra & ſpatiis, ſed in luce Reipublicæ diſcitur, doctrina munitur, atque experientia augetur. Ait Plato in libris de Republica: *Conſilium peritorum ex apertis obſcura, ex parvis magna, ex proximis remota, ex partibus tota æſtimat.* Ex quibus verbis colligitur, de ſcientia progreſſum fieri ad experientiam; eaque quæ in ſcholis didicimus, melius ab uſu, optimo artifice, quam ullis magiſtris explicari: quo ſane nihil verius dici poteſt. Videmus enim ab inexpertis pro facillimis haberi, quæ agendo difficillima comperiuntur. Præclare, meo judicio, cum iis agitur, quibus à duce ſuperbo, temerario nauclero, litteratore inepto, imperito medico, ac judice improbo, ſalva re & vita diſcedere licet. Propriũ eſt ſuperbi ducis, ut prælio intempeſtive commiſſo, cladem ſibi & aliis pariat: naucleri temerarii, ut navim frangat: indocti Juriſconſulti, ut cauſſa cadat: imperiti medici, ut ægros ante tempus ad Orcum demittat: improbi judicis, ut miſerorum fortunas expilet, vel etiam Rempublicam depeculetur. Ne ergo in perſonis ad tam grave munus eligendis aberres, paucis deſcribam qualis judex eſſe debeat: nimirum, vita & moribus honeſtus, amans juſtitiæ, patiens injuriarum, in ſermone prudens, in mandando æquus, in judicando juſtus, in exſequendo moderatus. Cave huic officio præficias juvenes inexpertos, temerarios, ſuperbos, crudeles. Tales enim nihil penſi habent omne crudelitatis genus perpetrare, ac nulla habita publicæ utilitatis ratione ſuſque deque omnia miſcere, ut alii viri videantur: ex quo ſequitur, ut judex puniens gravius Rempublicam lædat, quam reus delinquens; & illius quam hujus peccato difficilius ſit remedium invenire. Memini quum Arevali eſſem, hujus farinæ Judicem à me reprehenſum, quod nimium in ſubditos crudelis eſſet. Tum ille, valde erras, inquit, Pater Gardiane, ſi exiſtimas, Regem hoc munus aliis demandatum velle, quam iis qui patibula ſuſpendioſis implere norint. Tu quidem, ſubjungens, de rebus divinis conciones habendo, ego homines cruci ſuffigendo victum quæro. Et per Beatam Virginem quæ Guadalupæ colitur, juro tibi, magis præclarum mihi & magnificum videri, vel unam facinoroſi manum aut pedem carnificis manu patibulo ſuſpendere, quam Ventoſillæ eſſe toparcham. Ego

De ſchola homines ad gubernationem inepti.

Magiſtratus ſeu Iudices quales eſſe debeant.

audito

Nota alluſionem.

audito Ventoſillæ nomine, Recte, inquam, dicis, optime Judex. Mihi quidem virtutes tuas conſideranti, non Ventoſillæ (ea enim te non capit) ſed Ventoſæ dominio dignus videris.

Cenſorum munus.

Sed, ut in orbitam redeamus, non abs re fuerit hoc loco indicare, qui apud nos (Hiſpanos) Corregidores ſive Correctores nominantur; Romanis olim cenſores appellatos. Ad hoc munus nemo eligebatur niſi qui quadraginta annos eſſet natus, quique uxorem & familiam haberet, cujus de virtutibus magna eſſet omnium exiſtimatio, qui mediocriter dives, & ab omni avaritiæ labe eſſet immunis, qui denique cætera Reipublicæ munera cum laude adminiſtraſſet. Munere hoc functi ſunt etiam mutata Republica in Principatum, C. Julius Cæſar, Octavianus Auguſtus, Titus Veſpaſianus, Nerva Cocceius, Trajanus juſtus, Antoninus Pius, ac M. Aurelius: adeo ut ne ſummo quidem faſtigio indignum officium hoc haberetur. Sed hoc nihil mirum iis temporibus, quum non officia perſonis, ſed perſonæ officiis quærerentur. Non dubito, tam hoc quàm ſimilia munera complures aut ſibi aut aliis à te petituros: ſed cave cuiquam facile quid annuas aut promittas. Pecuniam tuam aliaque ejuſmodi ei cui velis dare tibi licet: at juſtitiæ exercendæ munus non niſi dignis & ad id aptis concedere oportet. Allegabunt, ſat ſcio, nonnulli ſua merita, & compenſationis loco tale quid petent. Sed neque horum, ſi me audis, ac multo minus quam aliorum habebis rationem. Quanto enim major illorum erit ad populum auctoritas, ut quos ob merita percharos tibi eſſe non ignorant; tanto magis audacter quidvis illiſacere, nec injuria oppreſſi, ullam ad te querimoniam adferre audebunt. Querelam ad te adferentibus faciles da aditus & aures, omnia tamen diligenter excute. Quod ſi injuriam eis factam deprehenderis, jus illis contra judicem redde: at ſi abſque juſta cauſſa conqueri videbuntur, cauſſam omnem eis explica, & quod à judice factum eſt, jure factum pronucia. Vulgus enim quidquid à Principe pronunciatur, tanquam Evangelio fidem habet; at judicum ſive præfectorum dicta & facta ſuſpecta habet. Si judicibus, & præfectis turpe eſt, ſubditos ſive per vim ſive per fraudem expilare; multo turpius tibi erit, miſerorum damnis fiſcum augere. Mihi certe fas non videtur; ut quod publicæ juſtitiæ nomine exigitur, cameræ tuæ inferatur. Atrocibus delictis non mulctas pecuniarias, ſed capitis pœnam aut aliam, pro delicti modo, impone. Quomodo enim boni ſecuri eſſe poſſint in illa Republica, in qua homicidæ gladium in ſe diſtrictum, fures laqueum, latrones rotam, alii alia ſibi ſupplicia parata non vident? Sunt homines tam mali; tam audaces & ſcelerati, ut ſpe redimendæ pecuniâ vitæ propoſita, etiam per ludibrium & quaſi animi cauſſa nullum non ſcelus deſignaturi ſint. Quapropter illud ante omnia operam dabis, ut tribunalia tua præſidio ſint bonis, ac malis terrori.

Meritorum cōſcientia impune peccandi affert fiduciā.

Querimoniis quomodo occurrendum.

Atrocibus delictis atroces pœna.

Ad cætera officia quod attinet, curabis ſedulo, ut qui litibus dijudicandis ſunt propoſiti, caſte in iis ac integre verſentur, magiſque ſeduli ſint in expediendo, quam rigidi in eo, quod deberi ſibi putant, exigendo. Nam ſæpe ſæpius fit, ut judex oculos magis afferentium manibus quàm aures partium querelis intentas habeat; & non tam æquitatem cauſſæ, quam muneris ponderet gravitatem. Judicibus impera, ut cito & juſte lites expediant. Valde enim abſurdum eſt, quum homines mortales ſint, lites eſſe immortales: & iniquum ſane eſt, ut inferior diſcedat is, qui non ab æquitate cauſſæ, ſed à pecunia deſeritur. Scribis, tabellionibus, apparitoribus & cæteris magiſtratuum miniſtris ſevere injunge, ut adeuntes non modo injurioſe non repellant, ſed humaniter tam minimos quam maximos admittant. Multi enim repulſam aut aſperius verbum iniquiore animo ferunt quàm longam judicii moram. Id vero tantò diligentius curare debes; quod illo hominum genere nihil eſt ambitioſius, nihil ſuperbius: ut ſæpe ſcriba aliquis triobolaris cum pennula ſua magis ſe ſe circumſpiciat, magiſque metuendus videri velit, quam Rolandus cum ſuo gladio, aut Hercules cum ſua clava. Similiter provide, ne magiſtratus ac judices paſſim ſe ſe humilibus obſequiis & officiis, ut frequenti viſitatione, invitatione, deductione, demerendos proſtituant. Arcta enim judicis cum alterutra partium amicitia & familiaritas fieri non poteſt, quin in præjudicium alterius vergat: neque ob virtutis opinionem, ſed potentiæ metum aut ſpem favoris judices vulgo coluntur. Diſſenſiones & odia magiſtratuum inter ſe in ipſo ſtatim ortu extingue: quum ex iis privatorum factiones, ac magna inde Reipublicæ pericula naſcantur. Summa horum præce-

Cito, & juſtè ferēda ſententia.

Notate Clerici.

Digitized by Google

ptorum hæc ſit:ſi juſtitiam tuis adminiſtrari velis, ejus amantiſſimum in omnibus te oſtende, nec ullum ob reſpectum vel latum ab ea unguem deflecte. Ubi enim dominus juſtus eſt, miniſter injuſtus eſſe non audebit.

Affabilitatem & comitatem Principibus maxime convenire.

Ad feliciter adminiſtrandam Rempublicam non parum quoque refert, qualem te privatim erga ſubditos oſtendas. Illud omnino perſuaſum hab,e, ad imperij diuturnitatem nihil firmius eſſequam à ſubditis amari In eo tyrannus à bono Principe differt, quod hic amari vult, ille vero vulgatum illud uſurpat, Oderint, dum metuant: ille omnia ſua ſtudia ad Reipublicæ ſalutem confert, hic omnia ſua utilitate & voluptate metitur, adeoque omnia ſubditorum pro ſuis habet & utitur. Atqui ſapiens Princeps mavult à ſubditis ſe amari, quam metui; nec dubitat, qui cor ſibi tradere non dubitârint, nec facultates negaturos.

Comitas amorem, ſuperbia odiũ parit.

Vetus ille legislator Lycurgus inter alia inſtituta hoc quoque ſanxit, ut nemo juvenum permitteret ſenem ſtantem, aut aperto capite ſecum loqui. Quod eo dico, ne quidquam auctoritati tuæ & magnitudini decedere exiſtimes, ſi hunc caput tegere, illum conſidere jubeas. Tanta populi Romani atque aliorum erga Titum Imperatorem fuit benevolentia, ut humani generis delicias eum appellârint: quam ille non alia ratione ſibi conciliavit, quam quod ſenes patrum, juvenes ſodalium, alienos amicorum, ſuos fratrum nomine dignaretur. Comis & manſuetus Princeps ab alienis ſeu extraneis amatur, & à ſuis colitur. Honor enim non tam ad ipſum honoratum, quam honorantem redundat. Vehementer, fateor, mihi diſplicent quorundam noſtrorum magnatum mores, qui ſenem aliquem è vulgo vel totam horam aperto capite ante ſe ſtare pulchrum & magnitudini, ſcilicet, ſuæ valde conveniens putant: quin injuriam ſibi fieri ducunt, ſi non tertio quoque verbo, Clementiæ, Illuſtritatis, Dominationis, & alijs ſæpe ſupra fortunam & conditionem titulis adſpergantur. Tu vero memineris velim, Principis aut cujuſcunque domini magnitudinem in eo non eſſe poſitam, ut ab ſubditis in genua provolutis, aut pileum aſſidua manu tenentibus tamquam idola quædam adorentur, ſed potius ut ab ijſdem ob ſummam juſtitiæ & ceterarum virtutum admirationem amentur ſimul & colantur. Memini olim, quum in hominem quendam illuſtrem proſapia, ſed ſuperbis moribus incidiſſem, audiremquâ illum omnes indifferenter ſine ulla honoris præfatione, tamquam mancipia ſua compellantem, me ſtolidæ hujus arrogantiæ pertæſum, & rerum ejus non ignarum, paullatim verba eo deflexiſſe, ut dicerem, Quod minus clementer à Deo & Rege tractaretur, cauſſam mihi videri quod & ipſe homines parum comiter tractaret. Cujus ille dicti acrimoniam ita ſenſit, ut in ſermone erga omnes comem ſe & urbanum poſtea præbuerit. Sed hoc loco diligens tibi adhibenda eſt cautio, ut ſtatum & ætatis ſingulorum, qui negocij cauſſa ad te veniunt, aut ſermones tecum miſcent, diſcernas. Aliter enim ſenex tractandus eſt, aliter juvenis; aliter magnatum aut honoratiorum civium aliquis, aliter plebejus. Ætatis quidem eam habebis rationem, ut ſenes canis ſuis reverentiam haberi gaudeant, juvenes ætatem ſuam non contemni intelligant. Et quemadmodum omnes pro ſua quiſque conditione & ſtatu tamquam ſubditi debita tibi præſtare obſequia ultro cupient; ita tamquam mancipia tractari nequaquam ferent. Vidimus & videmus multos ſubditos dominis ſuis rebellantes, non tam ob gravia tributa quam contumelioſam tractationem. Cogita te cum ſubditis tuis, eumdem Deum adorare, eidem Regi ſervire, eandem fidem profiteri, eandem terram habitare, & ijſdem mortalitatis legibus ſubjectum eſſe: ac propterea æquum eſſe ut eos tamquam fratres alloquaris, & tamquam Chriſtianos tractes. Nihil æque fugiendum tibi eſſe moneo, quam ne contumelioſo verbo vel cujusquam perſonam lædas, vel genus infames. Vix enim quiſquam vel infimæ conditionis tam humilis eſt animi, quin dictum contumelioſum gravius quam factum injurioſum aut ipſam pœnam ferat. Ac tanto majus hic eſt periculum, quod hominis unius injuriam aut contumeliam omnes ex eadem gente aut conditione ſuam interpretantur: adeo ut ob unum aliquod petulans dictum tota commoveatur & perturbetur Reſpublica. Meum ergo conſilium eſt, ut eos, qui deliquequerint, verbis contumelioſis non proſcindas, ſed judicibus puniendos tradas. Si namque aſperius aliquid in reum dixeris, animi morbo; at ſi

Magnitudo Principis in quo poſita.

Vel infimus contumeliæ eſt impatiens.

Viri cordate nō eſt conviciari.

punire

Digitized by Google

punire eundem juſſeris, iuſtitiæ amore id facere plerique te exiſtimabunt. Iræ ita moderare, ut neminem per convicium nebulonem, Judæum; fatuum, aut alio ejuſmodi nomine appelles: iſta enim nautarum ſunt & ſtabulariorum: at Principis non minus quam virginis caſtam & ab omnibus ſordibus puram decet eſſe orationem. Impotens certe & contumelioſa oratio indicium eſt animi malè conſiderati & mulicbris. Mulieris enim eſt, linguâ; at viri fortis, gladio ſe ulciſci. Lamiæ ex Demetrio quærenti cur tacitus ita ſederet, nec hilarem ſe præberet? Tace, inquit ille, Lamia: Veſtrum eſt garrire ſimul & nere: at virorum, tacere & pugnare.

Ferula Principis manum nō decet. Domeſticis tuis, pueris, curſoribus, & cæteris miniſtris ut ipſe ora diverberes, tergum ferula concidas, aut alapas infligas, aut præſente te id fieri permittas, indignum plane judico. Magnatibus enim convenit verbis delinquentes corripere; at caſtigandos ad aulæ præfectum ablegare. Id vero in loco tam ſecreto ac remoto fieri debet, ut neque à domino videri, neque ploratus audiri poſſint: ne non tam ipſorum delictis offendi, quam pœnis delectari videatur. Laudatur ab hiſtoricis Auguſti Octaviani clementia dicam an prudentia, qui reorum ſupplicium non modo ſpectare noluit, verum etiam quamdiu ipſe Romę eſſet: nō paſſus eſt quemquam ad ſupplicium duci; eoque tempore ille peregre proficiſcebatur. Econtra M. Aurelius reprehenditur, quod ſe præſente ac vidente miniſtros ac domeſticos plagis cōcidi juſſerit: nihil enim Principis tam proprium eſt quam clementia; eoq; non modo à ſuppliciorum, ſed etiam reorū aſpectu ſubtrahere ſe debet.

Nec ſermones ſcurriles, joci &c. A nugis etiam, ridiculis fabulis, mimis, & id gen° hiſtrioniis tam actionibus quàm ſermonibus, abſtine. Stultus enim homo & Nobilis ridiculus ac nimis facetus eodem loco habetur. Familiam ita aſſuefac, ut omnes tam dictis quā factis ſingularē modeſtiam prę ſe ferant, non ſeditiones concitēt, nullius fores effringāt, nullius ædibus irrepāt, nullius uxorem corrumpant; nihil denique faciant, quod imperare ipſis dominus non auderet. Nobil. s pueri cura ut in divinis præceptis bene inſtituantur, ut tertio quoque menſe confiteantur & communicent, ut in vigilijs alijſque ſtatis diebus

Deo primum, deinde ſibi. jejunent, ut dies feſtos obſervent, & ſingulis Dominicis Miſſæ officio interſint. Neq; enim Deum propitium habebis, ſi tuos tibi diligentius quàm Deo ſervire ſinas. Qui inter eos aleæ cæteriſq; id genus luſibus dediti fuerint, non caſtiga tantum, ſed elimina: ut enim ſit de quo ludant, quidquid poſſunt, ſuffurari, aut alijs fraudibus uti non dubitabunt. Pueri cubicularij fac ut honeſti ſint, mundi, taciturni. Sordidi enim veſtes, at loquaces famam tuam inquinabunt. Cubiculi præfectum curare jube, ut pueri munditiei ſtudeant, omniaque munia decenter obeant. Caula enim potius quam aula, immo rus merum dicendum eſt, ubi dominus pudoris, miniſtri omnis diſciplinæ & elegantiæ expertes videntur. Si quem miniſtrorum habeas virtute, fide ac vitæ integritate præcipuum, tibique gratiſſimum, ei tu familiæ atque etiam perſonæ tuæ cuſtodiam tribue, & quo honeſte ſuſtentare ſe poſſit, ſalarium aſſigna: ſic tamen ut ſervire tibi, non imperare videatur. In Republica vero nemini uni tantam poteſtatem permitte, ut vel imponere tibi, vel ab obedientia ſubtrahere ſe queat. *Ne uni omnia.* Illud quoque cavebis, ut novo hoc tuo Principatu non facile quidquam novi introducas. Novationes enim quantopere auctoribus ſuis placent, tantopere ijs, quibus ferendæ ſunt, diſplicent. Lactantius Firmianus ſcribit, diutius ſtetiſſe Sicyoniorum quam Lacedæmoniorum, Ægyptiorum, aut etiam Romanorum Rempublicam, eam præcipue ob cauſſam, quod rotis ſeptingentis & quadraginta annis nullā novam legem pertulerint, aut veterem abrogârint. *Mutatio periculoſa.* Si qui ergo tibi ſuaſerint, ut judices aut cæteros magiſtratus mutes, ut novas leges feras, nova inſtituta ſancias; illud diligenter cogita, ſuas ne illi, an tuas utilitates in eo ſpectent. Apud Athenienſes lex fuit, ut nemo Senatorum ea in re ſententiam rogaretur, quæ ad pſius commodum aut incommodum pertineret. Et quidem ſub primis his imperij tui auſpicijs etiam atq; etiam attende, quib° fidas, aut quos ad cōſilium adhibeas. Pauci enim ſunt qui conſilia ſua ad privatas nō dirigant cupiditates: Avarus quidē ad lucrum; vindictæ cupidus, ad ultionē. *Non tibi, ſed ſibi.* Si quædam tam publice quā privatim emendanda tibi videbuntur, non ſtatim omnia uno & eodem momento aggredieris, ſed paulatim, modo hoc, modo illud: nōnulla etiamſi non probas, feres tamen. Nam quum pedetentim illa, quæcunque ſint, inolever nt, ſubito certe niſi cum periculo, atque etiam injuſtitia aliqua, tolli & aboleri non poſſunt. Veteres ergo conſuetudines, quibus nec Eccleſia nec Reſpublica offē-ditur, nec mutabis, nec abrogabis; idque non, tam *Paulatim in melius.*

 ipſarum

Digitized by Google

ipſorum conſuetudinum quam tuæ exiſtimationis reſpectu: quandoquidem ubi frequens eſt novitas, ibi multa eſt levitas.

Ad rei familiaris curam quod attinet, proventus ita diſpenſa, ut non illi tibi, ſed tu illis modum præſcribas. Novi tui ordinis homines, qui alienis fortunis ſuam fortunam illuſtriorem facere ſtudent. Qui multa habet, & paucis fruitur, avarus & ſordidus dici ſolet; qui vero pauca habet, & multū abſumit, ſtultus dici debet. Optimum ergo fuerit, modum ita tenere, ut nec ob tenacitatem avaritiæ, nec ob prodigalitatem ſtultitiæ notari poſſis. Ne ſis ex eorum numero, quibus multa millia ſunt in acceptis, ſed multo plura in expenſis: qui ut ſtultis ſuis cupiditatibus ſatisfaciant, pecunias non fœnori tantum accipiunt, ſed etiam dilata ſolutione, uſurarum uſuras pendunt: unde fit ut exhauſto ærario, & oppigneratis vectigalibus, graviſſima ſubditis tributa imponant; ſibi vero apud ſuos odium, apud alios contemtum pariant.

Nec parcè, nec prodigè.

Plura quidem hujus generis præcepta facile mihi eſſet colligere, ſed ne prudentiæ tuæ ſatis mihi ſuperque perſpectæ videar diffidere, deſino. Valladoleti III. Novembris, &c.

Ad

HIERONYMUM VIQUIUM

EPISTOLA,

In qua oſtenditur quam noxia ſit nimia libertas ſeu licentia.

Magnifice Domine, Cæſaree Orator:

LItteras tuas Granatæ XX. Julij datas, Valentiæ recentes admodum accepi, & magna cum exſpectatione legi. Nunc ex te illud quomodo valeas percontari nolo: quin potius gratulor, quod è terra tam longinqua, mare tam periculoſum, qualis ſinus eſt Narbonenſis, emenſus, vivus ad nos redieris: ſimulque opto ut animo & corpore tam ſanus reverſus ſis, quam à nobis diſceſſiſti. Lycurgus Lacedæmonijs legem tulit, ut neque ipſi peregre proficiſcerentur, neque peregrinis ad ſe aditum permitterent: non ignarus ſcilicet, exterorum commercijs opes fortaſſis augeri, at verum animi robur deſeri, & à patrijs inſtitutis ac morum integritate degenerari. Equidem, ut verum dicam, paucos adhuc ex Italia vidi reduces, in quibus non corruptos mores deprehenderim. Neque tamen hoc ego vitio loci, aut proborum ac bonorum virorum defectu, ſed nimia tantum licentia fieri judico, qua, ut vere Comicus ait, omnes deteriores ſumus. Ut enim campanæ homines ſonitu ſuo ad ſacra vocant & excitant, quibus tamen ipſæ nunquam interſunt: ita ego in Italia multa eſſe loca & alia, ad pietatem & devotionem incitantia, ſed homines parum devotos judico. Omnes Italiæ libertatem tamquam præcipuum ejus ornamentum & precium jactent, & ad cœlum extollant: contra mihi videtur, regioni tam opulentæ nihil eſſe perniciοſius; quandoquidem certum eſt, ubi hominibus licitum eſt facere quod volunt, facere eos plerumque quod non debent. A Trogo Pompejo Romani Bactris ob bonam Ruffo Conſuli contra Parthos navatam operam, libertatem dediſſe dicuntur, quam tamen accipere illi recuſarint, ne ſcilicet ab illa ipſa libertate vitiorum ſervituti ſubijcerentur. Negari profecto non poteſt, nullas corruptiores magiſque perditas eſſe Reſpublicas, quam quæ nimia libertate gaudent: quam omnes expetunt, ſed ea pauciſſimi recte utuntur. Ubi nemo eſt qui obedit, nemo eſt qui imperat; ubi nemo imperat, ibi nulla eſt diſciplina; ubi nulla eſt diſciplina, nullum ibi eſt jus; ubi nullum jus eſt, ibi pax eſſe non poteſt; ubi pax non eſt, ibi diſcordiæ ſunt & bella: quæ ubi ſunt, Reſpublica diu ſtare non poteſt. Roma à Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Gallis, Cimbris alijſque populis fruſtra tentata, tandem à ſe ipſa per imperandi ſuperbiam & peccandi licentiam victa, peſſum ivit. Plato, diſſolutos Athenienſium mores aliquando contemplatus, Videte, inquit, Athenienſes, ne libertatem majorum virtute partam, veſtra ignavia perdatis. Etenim non minus prudentiæ ad conſervandam, quam fortitudinis ad conſequendam libertatem requiritur. Teſtis eſt experientia, duos in Republica diſſolutos, ac licentia feroces juvenes plura flagitia deſignare, Remque publicam magis offendere, quam ducentos diſciplina adſtrictos & dicto audientes. Paucos carnifici tradi videmus, præter eos, qui tempus juventutis inutiliter conſumſerunt, & libertate abuſi, per omnia vitia ſeſe volutarunt. Verum eſt, nullam rem eſſe in hoc mundo, cujus precium cum

Moribus antiquis res ſtat Romana.

Quibuſdam ſervitus potior libertate.

Libertas multos perdit.

libertate

libertate comparari poſſit: ſed & illud conſtat, nihil tam periculoſum eſſe, ſi quis ea non recte utatur. In libertate comparanda nulli precio, in defendenda ne vitæ quidem parci volo: moneo tantum, ne hanc ipſam tam ingenuam tamque pulchram dominam turpiſſimis ſervis, vitiis & libidini, in ſervitutem tradamus: quo nihil indignius fieri poteſt, eò ſcilicet liberum eſſe, ut ſervias. Neque is liber cenſendus eſt, qui libere vivit, ſed qui liber moritur. Nimia libertate Roboamus impulſus Iſraelitis tributorum remiſſionem petentibus contemtim reſpondit, ſeque ipſum majori imperij parte evertit: nimia libertas Catilinæ & conjuratis ſcelerata contra patriam conſilia ſuggeſſit: nimia denique civium libertas tyrannis omnibus aditum ad imperij invaſionem aperuit, iiſque ipſis non multo poſt exitium attulit. Multi ſunt qui mala non faciunt, eo, quia facere nolunt; at multo plures qui mala non faciunt, eo, quia non poſſunt. Multi ſunt quos à flagitijs conſcientia retrahit, ſed multo plures infamia detenet. Sunt qui vitæ integritati ſtudent, ut boni ſint; at multo plures, ut habeantur. Sive autem pœnæ metu, ſive amore virtutis, ſive laudis cupiditate, ſive infamiæ deteſtatione, ſive ſimulatione ſeu conſcientiâ quis ducatur, omnes ego moneo atque hortor, ut libertatem tamquam equum indomitum caute tractent: cui ſi ſemel habenas permiſerint, inimicis riſum, dolorem amicis, ſibi ipſis exitium ſint parituri.

Non omnes boni ob bonum.

Peregrina miranda potius, quam imitanda.

Sed quorſum hæc, inquis? aut quid ad me? Quæ dixi, Domine, eo tantum pertinent, ut peregre venientem te moneam, ne peregrinos mores valde prædicandos, multo minus curandos tibi putes: quorum narratio jucunda quidem eſt, ſed imitatio parum utilis. Quod ſi quando in mentem tibi venit Romanæ urbis gloria, libertas civium, advenarum multitudo, gentium varietas, feminarū pulchritudo, ciborum delicatiſſimorum abundātia, præſtantia vini, feſtorum ſolennitas & lætitia; ſimul illud cogita, his ipſis rebus exhauriri facultates, vulnerari conſcientiam, atq; adeo animam ſæpè perdi. Indigenæ quidem & cives Romani probi fere ſunt; at peregrinis, qui ibi & in Italia paſſim nidulantur, vix quidquam eſt nequius. Multi enim religionis cauſſa Romam adeunt; qui libidini & vitijs ibi ſervire poſtea religioni non habent. Roma olim omnium virtutum mater fuit & officina; quibus cum imperio fere deletis, magna non minus ibi quam in aliorum Principū aulis vitiorum ſeges ſuccrevit. Romani Pontificis auctoritatem, poteſtatem & ſupereminentiam, rumpantur ut ilia hæreticis, fatemur, admittimus, & probamus, ut quem verè pro unius univerſæ Eccleſiæ paſtore & Chriſti in terris vicario agnoſcamus. At quis Romanæ civitatis vitia Pontifici imputare auſit? Fuerunt inter Romanos Pontifices viri ſanctitate, vitæ innocentia ac reliquis virtutibus præſtantiſſimi, fuerunt etiam in quibus deſiderari quid poſſit: nemo tamen unquam tam malus fuit, quin vitijs medendo, imperium ſibi ſtabilius reddere allaborarit. Equidem & ipſe Romam multaſque alias regiones perluſtravi: ubi ſane multa vidi quæ devotionem, plura quæ admirationem in animo meo pepererunt. In univerſum vero mundanam diſciplinam à Chriſtiana valde ſejunctam deprehendi.

Romani Pontificis dignitas.

Una enim facere jubet quod libet; altera non quod libet, ſed quod licet.

Differentia inter legem Chriſti & Mundi.

Una hortatur temporalia omnia abjicere, ut æterna acquiramus; altera æternis renunciare, ut temporalia conſequamur.

Una præcipit conſcientiam ſervare illæſam; altera nullam habere.

Una Chriſtiani officium eſſe dicit, theſauros ſibi in cœlis cumulare; altera in terris.

Una virtutum amplectendarum; altera cupiditatum explendarum ſtudium commendat.

Unius præceptum eſt, ut nullius rei cauſa Veritati vim adferas; alterius, ut quum de utilitate tua agitur, nullum mendacium recuſes.

Una præcipit ut tuo contentus vivas; altera, ut aliena etiam per fas & nefas rapias.

Una jugem mortis & æternæ damnationis memoriam; altera perpetuam ſecuritatem & peccandi licentiam proponit.

Una vivere jubet ut vivas; altera ut bibas.

Una operam dare hortatur, ut quotidie melior & ſapientior; altera ut major ac potentior evadas.

Una ut tua egentibus largiare; altera ut uſuris etiam eo quod habent evertas.

Una taciturnitatem; altera loquacitatem laudat & ſequendam monet.

Una vult ut in Jeſu Chriſti meritis; altera, ut in hujus mundi opibus fiduciam ponas.

Quod ſi eum tredecim hic conditionibus Oratorem Cæſaris Romæ agere velis, equidem ut bene ac feliciter munus hoc tibi eveniat, opto; ſed vereor profecto, ubi tempus illud venerit, quo unicui-

Digitized by Google

unicuique ratio reddenda erit, ne tu bubulcum in Hiſpania quàm Oratorem te Romæ fuiſſe malis, &c. Valentiæ MDXXV. menſe & die ſupra dictis, &c.

Ad

IOANNEM MONCADAM

EPISTOLA,

In qua Iræ proprietates & effectus explicantur, & Patientia commendatur.

SI tarde ad litteras tuas reſpondere tibi videor, culpam non mihi, quamvis, & fere infructuoſis, negocijs valde occupato, ſed miniſtro tuo Palamoco loripedi, aut ſi mavis, equo ipſius claudicanti, vel denique tibi ipſi, qui nec miniſtro, nec meliori equo utaris, imputabis. Scio allegari alia poſſe quæ Palamocum excuſent, loci ſcilicet diſtantiam, & rigorem hyemis; ſi tamen ille non citius illuc ad vos redierit, quàm ad nos huc venit, mòtæ cauſſam, niſi animus me fallit, jam jam deprehendi. In via in latronem, credo, incidit, eumque violentum admodum, Amorem ſcilicet, ac propterea non mirum, ſi amicæ, quam in pectore, majorem ſibi rationem habendam putavit, quam epiſtolæ, quam in pera geſtavit. Cenſeo ne poſthac hominis Cupidinis telo perculſi opera in negocijs tuis expediendis utaris. Amantium non eſt ſeria & ardua negocia tractare, ſed interdiu obambulare, & ædium angulos omnes obſervare, noctu Muſico carmine, ſuſpirijs, ſereatu feneſtras & amicæ limen frequentare, poſtpoſitis denique omnibus, id unum agere, ut amica potiantur.

Amāti ſeria negocia nō commēdanda.

Sed ut ad rem ipſam & epiſtolę tuę argumentum veniam, credas mihi velim, ſiniſtro tuo illo caſu me non minus quàm meo ipſius dolere, quod & ipſum hac epiſtola teſtatum tibi volo. Eſt enim amici officium, non tantum opem ferre laboranti, ſed & vultum ac cęteros effectus ad amici fortunam accommodare: ut qui alter ipſe ſit. Ego igitur qui nec præſens dolorem tibi meum teſtari, nec incommodo huic tuo mederi poſſum, quod unum poſſum, faciam, ut ſcilicet abſentem te litteris meis conſoler, & ſi non ipſum remedium afferam, tamen oſtendā. Neque vero id tibi conſilii do, ut hoc omne quidquid eſt, quod certe magnum eſt, plane ex animo deleas, & quaſi ad te non pertineat, contemnas. Neque enim mores mei tantum à generoſitate, vel tui ab humanitate abſunt, ut quidquam Nobilitate tua indignum vel ego tibi ſaudere auſim, vel tu in te admittere debeas. Illud tantum conſulo, ut tanquā homo dolorem hunc ſentias, at diſſimules ut prudens. Si quis exiſtimationem ſuam ab eo læſam ſentiat, de quo vindicare ſe non poſſit, ei auctor ſim, ut de vindictæ ſtudio ne cogitationem quidem ſuſcipiat. Quod ſi hac in re, ſepoſito Equitis & Nobilis officio, Chriſtiani munus implere velis, oculos animumque tuum convertes non in eum, qui te offendit, ſed in Deum qui fieri id permiſit: in cujus conſpectu tot iniquitatum te reum, velis nolis, ipſe agnoſces, ut faſſurus ipſe ultro ſis, quæ pateris exigua eſſe præ illis, quæ ſis meritus. Illud quoque cogita, ejuſmodi tribulationes Deum nobis immittere, non ut perdat nos, ſed ut probet. Contraria Deus & mundus ratione utuntur. Hic enim non niſi feroces, ille neminem niſi patientem & mitem caſtris ſuis aut militum albo adſcribit. Rogas ut doceam te, quid Ira ſit; quæq; ejus proprietates ſint & effectus. Hanc enim cognitionem ad id forte profuturam tibi putas, ut tam atrocem injuriam tanto facilius feras, minuſque ad vindictæ ſtudium rapiaris. Scire quid Ira ſit, unde ea oriatur, et quomodo tractanda ſit, non inutile judico: hæc enim qui ſciat, injuriam ſæpius diſſimulabit quàm vindicabit. Iram vero nonnulli deſcribunt, eſſe ſanguinis vel animi excandeſcentiam, & cordis motum ſive perturbationem. Ab *ire* quidam dictam volunt, quod ſcilicet à ſe quaſi eat, qui iraſcitur & furit. Unde & qui iram deponit, ad ſe redire dicitur. Poſſidonius ait, Iram brevem eſſe inſaniam. Cicero Iram definit libidinem puniendi ejus qui læſiſſe videatur injuria. Naturalium rerum indagatores Iram è flavæ bilis vaporibus aut ſanguinis cordi ſuffuſi calore exiſtere tradunt. Ira vero ab iracundia, inquit Seneca, in quo differat, appa-

Potentiorum diſſimulanda injuria.

Mundi milites feroces. Dei, mites.

Ira quid ſit.

Quid iracundia.

apparet: quo ſcilicet ebrius ab ebrioſo, timens à timido. Iratus poteſt eſſe non iracundus; & iracundus poteſt aliquando eſſe non iratus: ſic ut ira ſit de cauſſa; iracundia de vitio multum iraſcentis. Plato nō in ira, ſed in eo, propter quod iraſcimur, culpam eſſe putat. Ultionem ſive vindictam nonnulli à zelo ita diſtinguunt, quod in hoc culpa pœnam, in illa pœna culpam excedat. Vis ſcire quæ iram ſequantur? Senecam audi.

Ira effectus externus.

Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor, exaſtuante ab imis præcordiis ſanguine, labia quatiuntur, dētes comprimuntur, horrent ac ſubriguntur capilli, ſpiritus coactus ac ſtridens, articulorum ſeipſos torquentium ſonus, gemitus mugitusq., & parum explanatis vocibus ſermo præruptus, & cōploſæ ſæpius humus pedibus, & totum concitum corpus, magnaſque minas agens, fœda viſu & horrenda facies depravantium ſe atque intumeſcentium. Neſcias utrū magis deteſtabile vitium ſit, an deforme. Hæc Seneca. Sed illud omnium longe peſſimum eſt, quod iratus amicos pariter ac inimicos deſpicit, ac leves ob cauſſas, graviſſimas non veretur ſuſcipere offenſiones. Iram quidem deſcribere ac deteſtari facile eſt; at compeſcere, hoc opus, hic labor eſt. In cetera vitia multa mala, at in Iram omnia dici poſſunt: ut quæ non mentem tantum auferat, ſed & Deo hominibusq; exoſos reddat.

Ira mala beſtia.

Iram regere & frænare generoſum eſt; tutiſſimum, plane abjicere, non fibris modo tam noxij vitiis eliſis, ſed radicibus etiam funditus extirpatis. Multa primum in noſtra manu ſunt; at ubi inveteraverunt, ne pellentibus quidem cedunt, nec fugientes deſerunt. Ex horum numero Ira eſt, quę ſemel in animum admiſſa, ſtatim eum ſuum facit, ut homo jam non faciat quę ratio ſuadet, ſed quę Ira jubet. In Magiſtratibus non pœnarum, quas aliis infligunt, iniquitas, quam ultionis, quam oſtendunt, cupiditas reprehendi ſolet. Pœnam delicta merentur, ſed quæ omnis odij & vindictæ ſuſpicione careat. Nam vel infimus quiſque magis punientis injuriam, ſive veram ſeu fictam, quā pœnæ acerbitatem ſentit. Alapæ, verbera, vulnera, & ejuſmodi carni dolorem afferunt: ſed verbum contumelioſum ipſum cor & viſcera penetrat ac quaſi ſcindit. Heroica quædem & divina virtus eſt animum in ſua habere poteſtate: ſiquidem

Seneca lib. III. De Ira.

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſſima vincit
Mœnia: nec virtus altius ire poteſt.

Non potuit impetrare Plato à ſe tempus, quum ſervo ſuo iraſceretur, & præbere ſcapulas verberibus juſſit, ſua manu ipſe percuſſurus. Poſtquam intellexit iraſci ſe, ſicut ſuſtulerat manum, detinebat, & ſtabat percuſſuro ſimilis. Interrogatus deinde ab amico, qui forte intervenerat, quid ageret? Exigo, inquit, pœnas ab homine iracundo. Velut ſtupens, geſtum illum deformem ſapienti viro, ſervabat, oblitus jam ſervi, quia alium quem potius jam caſtigaret invenerat. Itaque abſtulit ſibi in ſuos poteſtatem, & ob peccatum quoddam commotior, Tu, inquit, Speuſippe, ſervum iſtum verberibus objurga: nā ego iraſcor. O notabile & imitatione digniſſimum exemplum! ut ſcilicet irati ab omnibus dictis & factis temperemus. Lycurgus præſides ac rectores civitatis de noxiis pœnas exigere, interim tamen ab omni iracundia, aut omni graviori affectu liberum animum habere juſſit, ratus, nihil calamitoſius Reipublicę cōtingere poſſe, quā Judicem iracundum & pœnę avidum. At quotuſquiſque Lycurgi præcepto obſequitur, aut conſilio utitur? Peccantibus magis quam peccatis plerique iraſcuntur. Mihi certe, credo etiam aliis, nihil difficilius, nihil moleſtius videtur, quàm cum iracundis converſari: ut qui in exigendis officiis moroſi admodum, ad in rependendis pigri ſint & lenti: unde fit, ut momento omnis apud eos gratia effundatur.

Quid ira, ac quam pernicioſa ſit, ex ijs, quæ dixi, aliquo modo intelligere potes. Reliquum eſt, ut frænandæ ejus rationem oſtendam: ſiquidem parum ſit morbum & vim noſſe, niſi etiam remedia cognita habeas. Optimum iræ remedium fuerit, linguam continere & vindictam differre. Irati enim lingua multa effundit, quæ mens tranquilla ne cogitare quidem auſit. Stultè etiam meo quidem judicio, faciunt, qui iratos tantum nō cogere volunt, ut eis, à quibus offenſi ſūt, è veſtigio porrecta manu ignoſcant. Prior n. cura iræ ſedandæ, altera deinde recōciliationis procurādæ eſſe debet. Poſtulare ut iratus rationem audiat, eſt cū ratione inſanire. Animus ira cōcitus tanquam auriga (ut Poeta ait) equis fertur, neque audit currus habenas: ergo, ab irato tibi cave; niſi convicijs perſequi velis, aut verberib⁹ depecti. Quantūcunq; amicus tibi ſit, factis aut verbis aggredi ipſum, aut corripere noli. Iratis enim freno magis quam calcaribus

Iratus comprime linguam.

Iratum caute tractādum.

caribus

caribus opus eſt. Indomita beſtia Ira eſt: violenter tractari non vult. Subito bilis effervescit, ſed non tam cito deſpumat. Trajano Plutarchus conſulit, ut in rebus adverſis conſtantia, in ſecundis moderatione utatur; in primis vero ut homines iratos ferat: quod ejuſmodi animi vitijs tempus ſæpius quam ratio medeatur. Vidimus ſæpe potentiorum iras, quæ nullis amicorum intercesſionibus leniri, nullis donis placari, nullis minis retundi, nullis incommodis ſedari potuerunt, paullatim abijſſe, ac gratiam inter hoſtes prius acerrimos, nullius opera quaſi ultro coiiſſe. Et quid mirum? quum tempus ferrum conſumat, flumina exſiccet, adeoque totam hanc machinam tandem ſit diſſoluturum. Ut paucis dicam, ſi de amico irato bene mereri, nec tibi ipſi nocere cupias, non ignem camino adde, ſed aquam reſtringuendæ flammæ adfer.

Sed hæc nimis multa: quæ tamen ad doloris tui magnitudinem nimis fortaſſe pauca ſunt. Dabis ergo mihi veniam, ſi antequam finem huic epiſtolæ imponam, paucis te hortatus fuero, ut quidquid illud eſt quod tibi accidit, patienter feras, diſſimules, & quaſi totum oblivioni tradas: hoc enim ſi feceris, ignem ab alijs oſtio tuo appoſitum, mox intra ipſorum viſcera ardentem videbis. Salomon ſapienti linguam in corde, at ſtulto cor in lingua eſſe dicit. Et Græcorum quidam ait, ſtultis gravia quæ patiantur, levia quæ dicant; ſapientibus vero levia quæ patiantur, gravia quæ dicant, videri. Jam tempus eſt, ut animi tui vim exſeras, & prudentiam oſtendas. Noſti ſtultorum eſſe alijs ſapere, non ſibi. Nondum animo meo exciderunt, quæ mihi ſororis obitum lugenti olim ſcripſeris: quibus ſi non ſublatum, levatum tamen dolorem meum aliquo modo ſenſi. Quæ eò dico, ut illa ipſa remedia tibi applices, & ut bonus medicus teipſum cures. De reliquis eadem fide miniſtro tuo reſpondi, qui illa mecum communicavit, è quo omnia intelliges; &c. Toleti VI. Aprilis Anno MDXXIII.

Ad

FRIDERICUM MANRIQUES

EPISTOLA,

In qua oſtenditur, annum ætatis LXIII. ſenibus periculoſum ac ferè fatalem eſſe.

Illuſtriſſime Domine Thalaſſiarche:

FAteor, epiſtola tua nihil jamdiu intempeſtivius mihi oblatum eſſe: quam ut in cellam meam inferri vidi, equidem ſtatim ridiculum argumentum aut novam aliquam quæſtionem mihi opinione finxi: quam non vanam fuiſſe, reipſa poſtea deprehendi. Plato tantam eſſe cordis excellentiam ait, ut quum cætera corporis membra ſenſibus inſervientia, etiam in ijs quæ prope ſunt, ſæpe fallantur; cor etiam longinqua attingat & quaſi divinet. Sylla quum Julium Cæſarem negligenter cultum vidiſſet, adſtantes monuit, ut à diſſoluto illo adoleſcente ſibi caverent. Athenis Ptolemæus quidam rogatus, cur cæteris omnibus poſthabitis, ſolius Alcibiadis tum adoleſcentis admodum conſuetudine uteretur? En, inquit, quod prævideam, ab hoc uno adoleſcente univerſam Græciam perturbatum iri. Optimus Imperator Trajanus vix unquam in deligendis amicis, aut inimicis dignoſcendis, corde quaſi utroſque prænotante, erravit. Nec Syllam etiam, nec Ptolemæum illum de Cæſare & Alcibiade feſellit opinio: quorum hic totam Græciam permiſcuit, ille Romanam Rempublicam libertate ſpoliavit. Quorſum hæc? inquis. Ut intelligas, me quoque in divinando epiſtolæ tuæ argumento minime fuiſſe allucinatum. *Animi praſag.*

Non quidem nego, eſſe nonnunquam in litteris tuis jocoſa quædam, quibus animus non parū recreetur; at multo plura quæſita, quibus ingenium meum fatigetur. Eſt enim in te lectio tam multiplex, memoria tam fida, judicium tam accuratum; mihi vero tempus tam exiguum, occupationes tam continuæ: vix ut quæſtionibus tuis, præſertim tam curioſis, ſolvendis ſuffíciam. Ante hac verſus aliquot Homeri expoſui, Antigoni Rhipheum produxi, Mithidæ Thebani hiſtoriam illuſtravi, Sertorij cervam erui: ſed, mihi crede, non ſine magno inveſtigandi ſtudio, & inveſtigata *Facilius eſt interrogare quam reſpondere.*

gata digerendi labore. Mihi quidem etiam non raro alii magnates tam indigenæ, quam extranei varias quæſtiones proponunt, ſed planas fere, & de rebus vulgaris; at ingenium tuum ſemper novi aliquid molitur, ac nihil vulgare ſapit. Ita ſubinde novis ac minime contritis diſceptationib' me provocas, ut Sibillynis mihi libris opus videatur.

Sed ut ad rem ipſam veniam: ais Mirandæ Comitem ad te ſcripſiſſe, Innigi Velaſc Com ſtabilis defuncti obitum undecim diebus à m præ dictum: rogans ut jocone, an ſerio tum iſtud dixerim, aut quibus conjecturis aut ſignis id deprehenderim, tibi aperiam. P mo verum illud eſt, me tam Mirandæ Comiti quam ipſi medico Carthagenæ tale quid dixiſſe; non tamen ut vatem divino, nec ut necromanticum malo ſpiritu afflatum; nec ut genethliacum ex horoſcopo, nec ut medicum è venæ pulſu deprehendiſſe, ſed ut Philoſophum è Sapientum placitis ipſaque experientia hauſiſſe. Quam primum enim intellexi Comeſtabilem annum vitæ LXIII. id eſt, climactericum, ut appellant, agere, ſtatim vitam ipſius in ſummo periculo eſſe animadverti.

Ut vero quod dicam, melius intelligas, ſic ſtatue, univerſam hominis vitam habere ſe ad inſtar longi & cõtinui morbi. Sicut vero in morbis ſeptimus & nonus dies, qui propterea Critici ſeu judiciarii dicuntur, magnam vim habent, quod iis de eventu morbi quodammodo judicari poſſit: ita quoque in vita hominis iidem numeri tam corpori quam animo mutationem quandam imprimunt, quemadmodum uſus ipſe, quo magiſtro nec melior quiſquam eſt nec certior, teſtatur. Hinc videmus è cholericis phlegmaticos, & e. è pigris alacres, è ferocibus manſuetos, è fortunatis infelices, è ſapientibus denique repente quaſi ſtultos factos. Numerum vero LXIII eò formidabilem putant, quod è ſeptenario & novenario in ſe multiplicatis conſtet. Septies quippe novem, aut novies ſeptem faciunt ſexaginta tria. De quo ita Agellius.

Dies Critici.

Obſervatum in multa hominum memoria, expertumque in ſenioribus pleriſque omnibus, ſexageſimum tertium vitæ annum cum periculo & clade aliqua venire aut corporis morbiq; gravioris, aut vitę interitus, aut animi ægritudinis. Propterea qui rerum verborumque ſtudio tenentur, eum ætatis annum appellant Climactericum. Et poſt pauca, epiſtolam Auguſti ad Cajum nepotem ſuper eodem anno ſcriptam ponit hanc.

Annus Climactericus

Ave mi Cai, meus ocellus jucundiſſimus, quem ſemper medius fidius deſidero, quum à me abes: ſed præcipuè diebus talibus qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Cajum, quem, ubicunq; hoc die fuiſti, ſpero lætum & bene valentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. Nam ut vides, κλιμακτῆρα communem ſeniorũ omnium, tertium ſexageſimum evaſimus, &c. Ex quibus omnibus apparet, annum hunc veteribus adeo periculoſum viſum fuiſſe, ut eo ſuperato, diis ſacra fecerint, ac templis dona intulerint, quaſi jã certa ſpe vitę longioris. Equidem ſi curioſius iſta conſectari vellem, poſſem quamplurimos non modo tenuium & infimorum, verum etiam illuſtrium virorum enumerare, qui annum tertiũ & ſexageſimum vitæ extremum habuerunt. Sed iſta aliis relinquamus. Quæ vero in mediũ protuli, eò pertinent, ut intelligas qua arte Comeſtabilis mortem præſagierem, illo eodem anno morbo correpti & defuncti.

Ante omnia Deo gratia agenda.

Plerique regni hujus proceres aut cognatione mihi aut amicitia & vicinitate conjuncti, omnes certè fere noti ſunt: ſed inter omnes jam dicto Comeſtabili nemo mihi erat familiarior, nemo amicior. Equidem illum non amabam tantum, verum etiam colebam & admirabar, tamquam ſingulare omnium virtutum ſpeculum & exemplar. Erat enim prudens in imperando, integer in converſando, in loquendo modeſtus, in donando liberalis, in rebus adverſis conſtans, ad ignoſcendum facilis, & ut verbo dicam, ipſa Chriſtianus erat. Sed quem locupletiorem hac in re teſtem dare poſſum quam teipſum, paribus honoribus tam in bello quam pace cum eo perfunctum? Quum ad Pampelonam bellum gereres, memini me petiiſſe, ut duas ſcedulas ſubſignares, quarum vna litem quandam, altera pecuniam concernebat. Tum te mihi reſpondiſſe, in te quidem moram nullam fore, ſed opus eſſe ut Comeſtabili prius rem omnem indicem: quem, ajebas, tu ipſe noſti in rationibus pecuniariis parparcum & frugalem, in rebus ad Juſtitiam pertinentibus, valde ſcrupoloſum eſſe. Mihi quidem ille intimos animi ſui ſenſus atque ea, quorum ſibi conſcius eſſet, communicare ſolebat, ex quibus omnibus ſingularem hominis integritatem, & de omnibus bene merendi ac nemini nocendi ſtudium deprehendi. Et ille quidem mortuus eſt memoria nihilominus ejus, ſpero, in meis libris vivet. Madriti XV. Octobris M D XXIX.

Laus verè Nobilis viri.

Digitized by Google

Ad
FR. NUNNESIUM MEDICUM,
EPISTOLA.
De ſenectutis moleſtiis & incommodis.

Literæ tuæ magnopere me delectarunt, ſed nihil æquè quam quod Ocagniam te rediiſſe intellexi. Continuis enim podagræ aliiſque, quos ſenectus ſecum adfert, doloribus & moleſtiis vexatus, ſtatui me totum tuæ curæ permittere; ſed hac lege, ut non verbis, ſed herbis & pharmacis morbo meo mederi ſtudeas. Equidem Ciceronis libellum de ſenectute pervolutavi, omneſque arculas diligenter excuſſi, conveniens morbo meo quærens remedium: ſed ſi non plus ille ſolatii in Dei experiatur miſericordia quam ego opis ex libro ipſius percepi, peſſime profecto cum ipſo agetur. Non nego, multa ibi ſpecioſe in laudem ſenectutis dici, at nullum contra ejus morbos remedium præſcribi, id moleſtè fero. Iam quidem ego unam ſalubrem potionem, aut dolorem leniens emplaſtrum omnibus Ciceronis ſententiis & rhethoricationibus anteponam. ſolatium enim dolorem non mitigans, ſolatium non eſt, ſed ſolatio carens dolor. Ejuſdem Tuſculanæ ipſius quæſtiones farinæ ſunt, quibus probare nititur, Sapientem dolores nullos ſentire; vel certe, etiamſi ſentit, Virtutis ope vincere. Demus hoc Ciceroni: ego tamen, quia ſapiens non ſum, dolores ſentio acerrimos; & quia virtute deſtituor, vincere eos non poſſum. Interim arbitror, ſi meo loco eſſet Cicero, ac eos quos ego doloris ſtimulos ſentiret, parum ei in omnibus ſuis virtutibus præſidii futurum. Quare ſenibus & ægris ego ſuaſerim, ut à perito medico emplaſtrum potius & pharmacum, quam à rhetore aut ſophiſta inane verborum ſolatium petant. Pro ſenectute Cato apud Ciceronem Metellos, Scipiones, Fabios aliosque illuſtres viros citat: at ego contra eandem innumerabiles teſtes producam: nec numero tantum teſtium, verum etiã teſtimoniorum veritate & evidentia Ciceronem facile vincam. Quæro ex te, Cicero: tum, quum percuſſori à M. Antonio in te ſummiſſo cervicem præbere juſſus es, quæ tibi mens fuerit? nonne jam olim quovis morbo abſumtum te, quam à ſenectute ad cruciatum hunc ſimul & ludibrium reſervatum maluiſſes? Adfers tu multorum exempla, qui per honeſtas voluptates & honores ſenectutem exegerint: at eorundem labores, dolores & ærumnas tacitus præteriiſti. Ut ſacras hiſtorias attingamus, Adam protoplaſtes ſumma ſapientia & auctoritate fuit præditus: ſed ad quid tam longa ei vita profuit, quàm ut filium à fratre interemtum videret. Noa juſtus erat; at idem Mundo ſuperſtes, & ſenex à filio ludibrio habitus, quas miſerias non ſenſit? Abraham Deo percharus fuit, ſed idem relicta Dei juſſu patria, vitam peregrinando fere inter ſummos labores exegit. Iſaac jam ſenex non modo viſum amiſit, ſed etiam ob filiorum diſcordiã, in ſumma ſemper vixit ſolicitudine. Jacobus magnas opes habuit; at chariſſimum ſibi filium fratrum malitia ereptum & vænum datum quàm graviter luxit? ipſe certe quum centeſimum & trigeſimum ætatis annum ageret, ait, Dies vitæ ſuæ paucos eſſe & malos. Quas moleſtias, labores & ærumnas Rex & vates David non foris tantum, ſed domi etiam ſuæ, in ſenectute expertus eſt? Heli jam decrepito nuncius de filiorum morte & arca fœderis ab hoſtibus capta in terrã proſtrato cervices fregit. Et hi quidem omnes viri ſanctiſſimi & Deo omnibus Fabiis, Metellis, & cæteris chariores fuerunt: quos tamen conſtat ſenectutem in multis laboribus, ærumnis & periculis traduxiſſe. Sed propoſitum mihi nequaquã eſt, Patriarcharum, martyrum, aliorumque ſanctiſſimorum virorũ certamina, tormenta, cruciatus, quibus Deo fidem ſuam & conſtantiam probarunt, nobis vero imitandi exemplum reliquerunt, cum vitæ noſtræ incommodis comparare: illud tantũ volo, quum horum ſenectus tot incommoda, labores & dolores experta fuerit, multo minus noſtram ab iiſdem immunem fore. Contra ſe D. Jobus ſententiã pronunciat, ſcilicet Dies vitæ ſuæ paucos, ſed dolores multos eſſe: quam quidem ſententiam omnes, ſed ſenes inprimis, quotidie in nobis exſequutioni demandari, reapſe ſentimus. Nam quis non videt, ſenum præcipuè vitam nihil aliud quam morborum & dolorum officinam, adeoque, ut non inſcite quiſpiam dixit, aram quandam eſſe ad quã omnia mala tamquam ad extremum aſylum cõfugiunt? qui, ut nihil aliud ſit, toties ſibi ipſis quaſi ſuperſtites vivere coguntur, quoties conjuges, liberos, amicos fato ſibi ereptos vident ac lugent.

Inane verborũ ſolatiũ.

Etiam piorum vita calamitatibus eſt ſubjecta

Quiſq; ſuos patimur manes.

Senectus ara calamitatum.

lugent. Ut de paupertate nihil dicam, quæ plerumque ſenecturis comes eſt & aſſectatrix. Laudat Cicero ſenectutẽ ob temperantiã, quod ſcilicet libidine ceteriſq; voluptatibus, quas adoleſcentia fert & perſequitur, careat. At ſi quis, Ciceronem roget, temperantia hæc voluntariane ſit *Senum temperantia qualis.* an involuntaria, quid reſponſurum putas? Equidem te & alios magnæ auctoritatis ſenes virtutem hanc veris laudibus ornantes, ſed & multos alios adoleſcentiæ ſuæ facinora & immodicas libidines jactantes audivi: ut ſatis appareat non ab eis vitia, ſed eos à vitiis deſertos, ac ſi genua eis adhuc, ut dicitur, virerent, non minus cupidè quam olim cupiditatibus ſuis eſſe indulturos. Quis ergo illam temperantiam laudandam putet, quæ vitium magis imbecillitati quam volũtaris rectitudini adſcribenda ſit? quæque non ob virtutis amorem, ſed vitæ amittendæ metum adhibetur? Libidinoſa enim & intemperãs adoleſcentia effœtum corpus ſenectuti; at intemperans ſenectus morti tradit. Pergit nobis laudare ſenectutem Cicero, quod dignitas & conſilium ſint in ſenibus, unde & ſapientum virorum concilium Senatus vocetur. *Qualis prudentia.* Ajo Ciceronem iterum fallere aut falli. Equidem multos vidi, quibus caput canis obſitum, ſed cerebri vix mica erat: quibus nec ſenectus auctoritatem, nec uſus prudentiam conciliarat, adeo ut à juvenibus diſcere cogerentur. Da mihi ſenem aliquem, qui injecto de adoleſcentia ſermone non illud dicat, ſi rejuveneſcere ſibi detur, multo aliter vitæ rationes inſtituturum eſſe? Ex quo patet, juvenes ut plurimum ignorantia labi, nec ſcire quæ recta & utilia ſint; at ſenes ſcire, facere tamen nolle. Senectutem denique Cicero commendat, eo quod haud procul abſit à morte, ac brevi nos amicis in illo beatorum concilio reddituta ſit. Quid ſenſerit Cicero, certum non habeo: illud certo ſcio, viam hanc ad veteres amicos perveniendi omnes averſari. Prodeat ipſe Cicero, & fateatur an viam hujus viſitationis non libenter declinaturus fuerit, niſi ab inimicis invitus admodũ in eam fuiſſet *Mors natura inimica.* pertractus, eamque ingredi coactus. Laudavit ergo Cicero quod minime deſideravit. Certe, ſi verũ fateri volumus, ſenes nihil æque ſollicitos & anxios habet, quàm mortis propinquitas. Quod nemini mirũ videbitur, hominis naturam conſideranti, quæ nihil magis quam perpetuam ſui incolumitatem expetit. Sed aliter Deo viſum eſt, ut ſcilicet vita noſtra creſcendo decreſcat, & progrediendo retroferatur. Quid verò ſene annos ſuos præteritos jactante odioſius? quid juventutis mores æmulante magis ridiculum? Nec ſenem ego mihi, nec ego ſeni ſervire cupiam. Viribus enim effœtus parum operæ aliis præſtabit; at moroſus, nimio plus ab aliis exiget. Nec juvenes tantum, verum etiam coæquales à ſenum conſuetudine fere abhorrent. Senum eſt tuſſire, *Senectutis incõmoda.* ſcreare, ſputare, ac ne cibum quidem ipſum ſine querelis capere. Idẽ, ſi pauperes ſint, contẽnuntur; ſi divites, vitam ſuam hæredibus odioſam eſſe ſentiunt. Quid de corporis membris dicam? caligant oculi, obſurdeſcunt aures, obbruteſcit palatum, flaccidæ ſunt genæ, dentes cadunt, tremunt manus, labant genua, totum denique corpus non infirmitatem modo, ſed deformitatem quoque præ ſe fert. Eſto, ſint aliqui quibus cor ſapit: at quanto plures ſunt deſipientes ac deliri? ut proverbium inde natum ſit, ſenes bis pueros eſſe. Sed nihil abſurdius mihi videtur, quã quod vita decreſcente, in ſenibus avaritiam creſcere videmus. Quid enim ſtultius, quàm tanto plus viatici quærere, quanto minus tibi viæ reſtat? Videat ergo Cicero, quàm verè Senectutẽ nobis laudarit, quam morborum omnium officinam, &, ut verbo dicam, vitæ fæcem eſſe quotidie experimur.

Si qua vitæ ætas laudanda eſt, juventutem ego potius quam ſenectutem laudandam putem. *Juventa & ſenectutis cõparatio.* Juvenes formoſi ſunt, ſenes deformes; juvenes valentes ſunt & vegeti, ſenes imbecilles; juvenes erecti, ſenes curvi incedunt; juvenes ad quoſvis labores & negocia obeunda idonei ſunt, at à ſenibus nihil niſi querelas exſpectes. Hæc quum ita ſe habere in me ipſo, pro dolor! experiar, à Ciceronis ſententia ad Franciſci Nunneſii conſilium ſolenniter provoco, rogans, non ut Ciceronis rationes & argumenta, ſed Celſi, Serapionis, aut cujuſuis alterius pyxides diligenter excutiat, & quæ morbo meo maxime idonea videbuntur, emplaſtra & medicamenta mihi depromat. Avilæ. xx. Maij.

MD.XXXVII.

Digitized by Google

Ad
FRIDERICUM ENRIQUES MARI PRÆFECTUM,
EPISTOLA:
In qua docet, cur Abraham & Ezechiel proni, ſed Heli ſacerdos & Iudas ad Chriſtum capiendum egreſſi ſupini in terram prociderint.

GRaviter mecum expoſtulas, quod & ſero ad literas tuas reſpondeam, & quæſtiones mihi propoſitas negligenter ſere explicem. At ſi rem, uti ſeſe habet, ſcias, credo facile me tibi excuſatum fore. Quia enim Manſillæ miniſtro tuo equus furto ablatus fuerat, ipſe vero viaticum omne alea perdiderat, circumcurſitando ille, & pecuniam mutuam, ut hoſpiti ſatisfaceret, quærendo tempus omne conſumſit, mei interim ac mearum literarum oblitus. Ego, vir illuſtriſſime, epiſtolas tuas & lubenter lego: eoque, ut verũ fatear, tua illa expoſtulatio parũ abfuit, quin ſtomachum mihi moverit: quum valde iniquum ſit, me tuorum miniſtrorum negligentiam & culpã luere. Sed nihil miror, qui ſciã puſillos homines ut plurimum eſſe iracundos. Suadeo tamen, ut animo, qui, ut videtur, corpuſculo iſto capi vix poteſt, poſthac fræñũ injicias, nec tam facile, non explorata cauſſa, in ſquerelas erũpas. Hoc enim niſi feceris, moroſitate tua & tibi ipſe moleſtus, & aliis odioſus ætatem ages. Nulla re Principes ac magnates æquè gloriari debent ac animi magnitudine: ſed ea nullibi magis elucet, quàm in leviter ferendis aliorum injuriis. Meum conſilium eſt, quum natura bilioſus ſis & levium etiam offenſionum impatiens, ut, ſi quando commotiorem te ſenſeris, ab omni abſtineas ſcriptione. Splendida enim bilis ea ſæpe iratis ſuggerit chartiſque illinit, quæ placati ne cogitare quidem auſint. Quod vero ais, parvi me te facere, eoque tardius ad literas tuas reſpondere, id vero pernego. Qui enim, quæſo, parvi te quis facit, qui tam multum poſſideas, ac tam multum poſſis? Uſque adeone me deſipere putas, ut generis ſplendorem, ſummam ingenii præſtantiã, doctrinam, armorum gloriam, omnia denique quę homines colere & admirari ſolent, in te non agnoſcam? ſed miſſa iſthæc faciamus, & controverſiam hanc ita inter nos componamus, ut tu jam quidem Manſillæ ignoſcas, & poſt hac iracundiam comprimas; ego vero & ad literas tuas reſpondeam, & quæſtionem ſolvam.

Excuſat ſe auctor.

Abſit à ſcriptione bilis.

Quos vulgo volumus

Quæris, cur S. Scriptura teſte, Patriarcha Abraham in valle Mambre, & vates Ezechiel ad torrentem Cobar proni; Heli econtra & Iudæi ad Chriſtum D. N. capiendum egreſſi, ſupini in terram ſint proſtrati. Nova hæc ſane eſt quæſtio, & à nemine, quod quidem ego ſciam, explicata. Si tamen mihi hic ſententiam dicere aut excogitare aliquid liceat, exiſtimo duplici hoc caſu duplex peccatorum genus deſignari. Nam quẽadmodum qui cadit, ſive pronus ſive ſupinus, aut quamcunque in partem cadat, cadit nihilominus: ita qui peccant, quocumque tandem modo, & quantũcunque peccent, peccant tamẽ. Qui ſupini cadunt, vultum cœlo apertum oſtendunt: tales ſunt qui omni abjecto divini numinis metu in peccata ruunt, quos tantum abeſt ut ullius flagitii pœniteat aut pudeat, ut etiam iis glorientur. At qui proni in faciem cadunt, ij ſunt qui ex naturæ imbecillitate in peccatum aliquando labuntur. Iam ſicut qui proni ceciderunt, aut genibus aut cubito innixi facile in pedes ſeſe erigunt, quibus præſidiis qui ſupini jacent, omnino deſtituuntur, ſic facilius ad frugem vitæque emendationem reducuntur, qui peccati turpitudinem & intelligunt & deteſtantur; qui vero omni pudore ac metu profligato, non vultum modo, ſed mediam, quod dicitur, cœlo digitum oſtendunt, vix, ac ne vix quidem à peccatis deſiſtunt. Apud priſcos quidem ac præſertim Romanos, tanta fuit pudoris æſtimatio, ut nemini, niſi coöperto vultu, infamem locum ingredi liceret: qui vero aperto vultu iniiſſe convictus erat, adulterii reus ageretur.

Pronum cadere quid.

Illud vero notandum eſt, eos omnes qui proni in faciem cecidiſſe perhibentur, ut Abraham & Ezechiel, viros ſanctos; qui vero ſupini proſtrati ſunt, ut Heli & Judæi, maximos peccatores fuiſſe. Inde ergo caute ambulare quiſque diſcat, ut ne cadat, immo ne ceſpitet quidem aut impingat. Neque enim ſcis an pronus, ut Abraham, vel ſupinus, ut infelix Heli, caſurus ſis. Verum eſt, quum è peccatoribus nati ſimus, inter peccatores vivamus, & peccatũ quaſi in ſinu geramus, tã lubrico loco nos conſiſtere, ut caſũ declinare vix, ac ne vix quidẽ valeamus, ſed aſſiduis votis rogãdus eſt Deus, ut ſi manu ipſius ſubtracta, labi

Qui ſtat videat ne cadat

nos

nos contingat, gratia ſua ſuffultos rurſus nos erigat. Iraſcitur Deus vehementer, quod tam facile, ſed multo vehementius, quod tam diu peccamus. Pleriq; enim tum peccare deſinunt, quum peccare amplius non poſſunt. Quantò plures ſunt, qui cum Heli ſupini, quam qui cum Abrahamo proni cadũt! Da mihi unum quem peccaſſe pudeat, centum dabo quos peccare juvet. Hac in re ſentiat quiſque & dicat quid velit, ego ſic ſtatuo, nullum pernicioſius eſſe peccatum quàm propriæ juſtitiæ, perſuaſionem; nec tutiorem juſtitiam, quam confeſſionem culpæ. Non ſenſus tantum noſtros omnes & cogitationes, ſed vires quoq; Deus exploratas habet: nec tam nobis iraſcitur quod peccatores ſumus; ſed multo magis, quod quum peccatores ſimus, juſti tamen velimus videri. Summa dictorum eſto, cum Heli & Judæis ſupinos in tergum cadere quotquot in peccatis ſecuri & quaſi cum voluptate, non ſecus ac in molli lecto volutãtur, & in rebus leviſſimis peccata habent. Equidem obſtupeſco, quoties ſtultitiam, noſtram dicam, an impietatem, conſidero quotidie peccata peccatis cumulantium, nec minus tamen ſecure agentium, quam ſi pro his ipſis à Deo cœlum eſſemus ſtipulari.

Peccator eſt qui juſtum, juſtus qui peccatorẽ ſe agnoſcit.

His ego ad literas tuas reſpondiſſe, propoſitam quæſtionem ſoluiſſe, me purgaſſe, & indignationem tuam placaſſe mihi videor, utinam ita tibi quoque videatur. Madrici, XI. Novembris. M. D. XXXVIII.

AD FRIDERICUM ENRIQUES, *EPISTOLA.*

In qua locus S. Scripturæ, Væ tibi Jeruſalem, quia bibiſti calicem Iræ uſq; ad fæces, *explicatur.*

Heus tu, ad Ronquillium in jus eamus, ut judicet is, utrum ego, & Nobilis & *Aulicus*, ad tuas omnes litteras reſpondere, & quaſcunq; à te propoſitas quæſtiones ſolvere debeam nec ne. Equidem quoties miniſtros tuos cellam meam irrumpentes video, fateor, aſſidua eorum importunitate victus, malam ipſis rem ſæpe tacitus imprecor, interim tamen Deum pro domino ipſorum deprecari non ceſſo. Vel heri eorum quidam miranti mihi & quærenti, cur toties me fatigaret, nec moleſtiæ finem faceret, reſpondit, Petere te, ut tamquam amicus ad litteras tuas reſpondeam, tanquam hiſtoriographus nouas res nunciem, tamquam Theologus quæſtiones ſolvam, & tamquam religioſus, conſcientiæ medicinam præſcribã. Tum ego, ſi à me uno, inquam, herus tuus tot officia exigit, par viciſſim erit, ut uni plura quoq; ſtipendia exolvat: noſti enim me, quamvis nobili natum genere, non tamen gladio ſed penna victum mihi quærere, Jocatum me putas? Serio, inquam, iſthuc dixi: non tamen ut quidquam à te peterem, ſed ut importunitati tuæ velut frænum aliquod injicerem. Mihi unde vivam, adeoq; aliis etiam communicem, Dei benignitate ac Cæſaris liberalitate ſatis ſuperque proviſum eſt. Illud ego ex omnibus aulicæ vitæ commodis maximum eſſe judico, quod ut nos Principi ſervire, ita ille ad honeſtum victum neceſſaria ſuppeditare nobis obligatus eſt. Quod eò dico, ne tu verba illa mea aliter interpreteris. Sed quid verbis aut altercatione opꝰ eſt? quum uterque aliter facere non poſſimus, quin tu meæ, ego tuæ obſequar voluntati.

Servitio merces debetur.

Quæris, quomodo intelligenda ſint verba illa Iſaiæ Prophetæ: *Væ tibi Hieruſalem! quia bibiſti calicem iræ Dei uſq; ad fæces.* Equidem non hæc tam facilis eſt quæſtio, quam prima fronte alicui videatur: de qua fateor alium diſſerẽtem audire, quam diſſerere, ac cogitatione eam ruminare, quàm ſcribendo illuſtrare malim. Primo illa dubitatio occurrit: quum Deus pater filio ſuo D.N. Jeſu Chriſto amaritudinis calicem miſcuerit, cur impiæ Hieroſolymæ hic minetur, fore ut Iræ calicem bibat; vel potius infelicitatem ejus deploret, quæ jam eum ebiberit? Uterq; calix dicitur; hic iræ, ille fellis vel amaritudinis; unus Judaicæ Synagogæ, alter Chriſtianæ Eccleſiæ miſtus fuit; unum Chriſtus Servator noſter, alterum Hieroſolyma ebibit: & quum uterq; ab immortali Deo infuſus ſit & propinatus, cur is quem Chriſtus D.N. epotavit tam ſalutaris: alter, quem Hieroſolyma ebibit, tam noxius & lethalis judicatur?

Duplex Calix.

Ut res tota penitus intelligatur, duplicem, uti dictum eſt, calicem cum Scriptura ponamus. Unus *Calix Dei*, alter cum gravi additamento, *Calix iræ Dei* appellatur: unde facile utriuſq; diverſitas intelligi poteſt. Ex uno enim cœleſte gaudium, ex altero æterna damnatio hauritur. Calix Chriſti ſunt tentationes, fames, ſitis, dolor, cruciatus,

Calix Chriſti quid.

Digitized by Google

bus, ſed operibus ſathanicis aſſiduè occupatur.

Habes meam de hôc loco ſententiam. Quod ſupereſt Deum veneror precorque, ut non illum iræ ſuæ, de quo Propheta loquitur, ſed ſalutarem hunc Chriſti calicem propinare nobis dignetur. Novarum rerum nihil, ut alias ſoleo, ſubnecto, ne profana ſacris miſcendo, S. Scripturę injuriam & contumeliam faciam. Madriti. xxv. Martij.

AD

DIDACUM GVEVARAM.

EPISTOLA.

In qua Auctor patruum cum diuturno morbo conflictantem conſolatur.

QUereris parvi te à me fieri, ut quem jam diu atque ut patruum inviſerim, neq; ut amicum litteris ſalutarim. Fateor, officiis te mihi dominũ, cognatione patruum, ſed educatione patrem eſſe, ut filius potius quam patruelis tuus cenſeri debeam: eoque culpam intermiſſi officij negare non poſſum, quamvis nec excuſatio mihi deſit, quã tu accipias uti voles: mihi nihilominus hoc velim credas, tot in hac aula occupationibus me obrui ac diſtineri, ut non dicam aliorũ, ſed mei ipſius mihi pæne videar oblitus. Neque hoc tam ad me excuſandum, quam ad vitæ meæ conditionem deplorandam à me dictum puta. O felicem priſtinam vitæ meæ conditionem! Tum, quum adhuc viverem, id eſt, in monaſterio eſſem, mane ad matutinas ſurgebam, inde ad ſacrum Miſſæ celebrandum officium me præparabam, poſtea ad libros redibam, concionabar ad populum, jejunia diligenter obſervabam, diſciplinæ me totum dedebam, peccata mea deplorabam, orabam pro peccatoribus, veſperi deniq; totius diei acta repetebam, & conſcientiam meam expurgabam. At poſtquam in aulam veni, & vivere quaſi deſij, jejunia valere juſſi, dies feſtos violavi, diſciplinę oblitus ſum, libros abjeci, & concionibus ſuperſedi, eam deniq; vitæ rationẽ amplexus, & quod malorum meorum caput eſt, iis neceſſitudinibus iiſque negociis illigatus ſum, quibus affectiones ſeu paſſiones animi mei irritantur magis quam ſedantur. Et hæc quidem cauſſa eſt, mi patrue, quamobrẽ nos aulici neq; officium noſtrum agnoſcere, neque cum amicis

Aulicæ vitæ miſeria.

converſari, neq; noſtrum ipſorum damnum ſentire, nec tempus bene collocare, nec ullam quietem capere poſſimꝰ: adeo ut cogitabundi, triſtes, moroſi ac velut mẽte capti quotidie incedamus. Sed his omiſſis, tu ſi hanc veniam mihi jam dederis, recipio me poſthac & ipſum, ſi occaſio tulerit, ad te venturum, & neminem ſine meis literis ad te ire paſſurum.

Latro filius tuus, quo in ſtatu res iſthic apud vos eſſent, mihi ſignificavit, ac petijt ut litteris te meis in hoc tam longo tuo & graviſſimo morbo conſolari vellem. Equidem vicem tuam doleo, tam diuturna febri conflictari, tantos dolores perpeſſi, tot medicamentis & pharmacis maceratri, argento deniq;, uti credibile eſt, non mediocri emuncti. Nam quũ multæ ſint morborũ moleſtię, tũ nulla fere gravior, quã quod è tãtis ſumtibus, quãti in pharmaca & medicos fiunt, ad ægros nihil plerumque præter corporis vexationẽ & doloris augmentũ redit. Inter Lycurgi inſtituta hoc quoq; fuit, ut nemo civiũ rei triſtis & calamitoſę nunciũ ad alterum perferret, ſed exſpectarẽt omnes, dum is, ad quẽ ea pertinet, aut ipſe reſciſceret, aut divinatione aſſequeretur. Plato civibꝰ ſuis conſuluit, ne quis vicinum in adverſitate conſtitutum viſitet aut conſoletur, quod frigidũ valde ſit tã ſolatiũ quam conſilium, quod non opem aliquã habet adjunctã. Cõſilium ſane & auxilium ita inter ſe diverſa & diſtincta ſunt, ut raro ab uno eodemq; proficiſcantur. Alterũ enim prudentis eſt, alterum potentis. Atq; utinam dolori tuo remedium adferre tam poſſem quam vellem! Mihi crede, nõ jam ægrotanti dolorem, ſed dudũ ſanitati reſtituto gaudium meum teſtatus eſſem. Equidẽ nec Paradrillam amœniſſimũ prædiũ, ubi habitas, nec novalia, nec molendina, nec quidquã eorum quæ habes, tibi invideo: ubi tamẽ vitam meã cum tua cõparo, fateor me quodammodo mei pœnitere ac tædere. Nam quum me tot negotiorum tumultus circũſtrepant, quibus animus à rerum ſalutarium & jucundiſſimarum contemplatione avocetur: econtra domum tuam tamquam ſanctiſſimum ſacrarium, à monaſtica diſciplina & tranquillitate parum abeſſe videam: facere non poſſum, quin & tuã tibi quodãmodo invideam, & meam cõditionem deplorem. Cato Cẽſorius in prædium ſuum inter Nolã & Caietam jam ſenex abiit, ibiq; procul ab omni turba & negociis trãquillè vixit: quod tranſeuntes Romani dicere ſolebant: *Iſte ſolus ſcit vivere.* Illum

Morborum moleſtia.

Non verbo, ſed ope.

Digitized by Google

Illum quidem ego ſenem felicem & Deo charũ puto, qui ſenẽ ſe eſſe agnoſcit. Qui enim intelligit, quouſq; in vitæ ſtadio progreſſus ſit, & quam prope ab extrema abſit linea, is profecto hoc unum aget, ut ad extremam illam horam ſeſe præparet. Tritum eſt ſermone proverbium, quo etiam Plato utitur, Juvenes cito mori, ſed ſenes diu vivere non poſſe: deficiente oleo, lumen extingui videmus. Abeunti Soli Nox ſuccedit. Flore ex arbore decuſſo, ſpes nulla fructus reliqua eſt. Et quisquam ſeoex vitæ potius agẽdæ, quam mortis recte, obeundęque præſidia ſibi comparabit? Diodorus Siculus teſtatur, apud Ægyptios legẽ olim fuiſſe, ut nec Regum aut Principum quisquam, qui liberos ſuſcepiſſet, nec quiſquam alius de plebe ſexageſimum ætatis annũ ſupergreſſus, domum ſibi ædificaret, niſi ſepulcrum prius ſibi conſtruxiſſet. Quod eo dico, ut pietatem tuam ac prudentiam laudem, qui non ut ſuperſtitioſus quidem Ægyptius, ſed vere religioſus Chriſtianus in Cuenca monaſterio ſepulchrum tibi delegeris, in quo oſſa tua conquieſcant, ſacram ædiculam fundaris ac dotaris, ubi pro anima tua aſſiduæ fierent deprecationes, & monumentum exſtruxeris, quo poſteri tui glorientur.

Calamitates quomodo ferendæ.

Narravit mihi inſuper Petrus Reinoſus vicinus & neceſſarius tuus, ſegeribus tibi apud vos & vineis grandinem plurimum nocuiſſe. Quam calamitatem ego ſuadeo ut tantò levius feras, quod tibi jam fere nonagenario vita citius quàm alimentum defuturum ſit. Iſtis feneratoribus triſtitiam relinque, qui annonam in horrea, & vina in cellas condunt, nec prius niſi aucto ad ſummũ pretio, depromunt ac vendunt. Qui ſi damnum ejuſmodi patiuntur, quis quæſo vicem eorum dolebit? Aut quis eorum fortunis bene precetur, qui publicam fortunam quaſi depeculantur: & pauperibus non modo non proſunt, ſed nocent? Stultum eſt ejuſmodi calamitatibus nimis angi, quas avertere non poſſis; at impium, Deo ordinem potius velle præſcribere, quàm vitam emendare. Cadant ædes, exoculentur vites, grandinentur ſegetes, pereant armenta gregeſque, fructus denique omnes malus auferat annus: nos tamen in Domino ſperabimus, nec de ablato queremur, ſed de reſiduo gratias agemus. Tanto ergo moleſtius fero, quod audio te querulum, triſtem, ac moroſum eſſe, tuiſque iſtis incommodis graviter angi. Senum iſta, fateor, ſunt propria: at non prudentum ſenum. Non tu malis omnes tibi agros & ſegetes aduſtas, quam cordis ſapientiam ereptam? Noſti procul dubio, Villadæ, Palentiæ, & ubique locorum frugum multos modios; at ne Medinæ quidem vel quocunque alio celeberrimo foro vel unciam Sapientiæ vænalem haberi. Pluris profecto eſt, qui ſapientiam, quàm qui pecuniam habet. Sapiens enim, quamvis pauper, pecuniã & alia facile ſibi comparabit: at dives inſipiens & rem & ſeipſum perdet. Hominis eſt dolores & ærumnas ſentire: at prudentis, diſſimulare. Quod ſi quis omnia vitæ adverſa ægro ac ſollicito animo excipiat ac ferat, is numquam cum Heraclito plorare, aut cum Timone vitam omnino deteſtari ceſſabit. Prometheus nullam ob cauſſam quàm in morte amici illachrymandum eſſe dixit: quum aliarum rerum jactura ad arcam, amici ad cor ipſum pertineat. Quid tu ergo hunc vineæ aut ſegeti grandine percuſſæ illachrymaturum, aut in aliis lachrymas ejuſcemodi probaturũ fuiſſe putas? E fortunarũ amiſſione homines plurimum ægritudinis, ſed minimum damni ſentiunt. Mihi quidẽ incerta vitæ humanæ reputanti, plura timẽda quã ſperanda videntur. Jamdudũ, credo, iſta didiciſti, nullã ſpem aut fiduciam in caducis iſtis rebus ponendã eſſe. Grandinantur vineę, uruntur ſegetes, ſteriles cũt arbores, ipſa terra fœcũda omnium mater exhauritur, moriuntur homines: ac denique in ipſo fine omnia habent finem. Quod ſi hæc ac multo acerbiora juvenibus etiã accidunt: quãto tu magis in provecta iſta tua ætate omnia æquo animo ferre debes? Erras enim, ſi aliis legibus te victurum putas, quàm iis, quas Natura ipſa ſenectuti præſcripſit: ut ſcilicet decreſcẽte vita, ſenes incõmoda quotidie ſua augeri videãt, amicis deſtituti, orbi liberis, privati facultatibus, morbis obnoxii, omnibus denique adverſitatum telis propoſiti. Hinc illud Plinii: Optimum eſſe non naſci; ſecundum, quam cito emori. Quam recte ergo monet divinus Plato, ut non diu vivere, ſed bene mori ſtudeamus.

Facilis jactura bonorũ Fortunæ.

Huius vitæ omnia incerta.

De his, mi patrue, monere te viſum eſt, ut tam multorum, quos vixiſti, annorum fructus percipere diſcas, & octuagenario major, mortem ad fores te præſtolantem ſemper in oculis habeas. Scio non egere te coſilio meo: hoc tamen potius quam quidquam aliud volui ſcribere, ut etiam in hoc vitæ ac negotiorum labyrintho, ea quæ recta ſunt, ſi non ſequi ſemper, videre tamen me intelligas: v. Madrici xi. Martij M. D. XXXIII.

Ad

Ad
MOSEN RUBINUM
EPISTOLA,
In qua amoris, ſenilis præcipuè, ſtultitia & incommoda oſtenduntur.

LItteras tuas Madrici IV. Sextilis accepi, lituris tam plenas tamque cancellatas, ut neque ipſam nominis tui ferme eraſi ſubſcriptionem legere, adeoque diu divinare non potuerim, unde illæ eſſent. Etiamſi enim Valentiæ, quum Inquiſitoris ibi munere fungerer, alter alterum familiariter noverit, nihil tamen mirum, tot annorum ſpatio tui mihi memoriam excidiſſe. Tandem lectis ſæpè ac relectis litteris, eas à Moſe Rubino vetere meo amico, vel ut verius dicam, Cupidinis ſervo ſcriptas eſſe ariolabar: ſimulque priſtinæ noſtræ conſuetudinis & familiaritatis memoriam recolebam. Multa ſimul hic mihi in mentem venerunt, ac præſertim ſingularis tua in ludo Schachorum peritia, vel mea potius imperitia, ut ſæpe etiam mihi Reginæ, quam vocant, gratia facta nihilominus viceris: at amicam te mihi tuam unquam commonſtraſſe, non memini. Memini, in Eſpadanis anguſtiis mihi tecum una iter facienti Mauros aliquot occurriſſe, & conflictu edito utrumque vulneratum, fruſtra chirurgi operam tum quæſiviſſe. Memini ob navatam tibi apud Reginam à me operam mulam mihi à te donatum, ſed à me id munus non acceptum. Memini, quum uterque Franciæ Regem domum redeuntem comitaremur, & ad ſeptem aquas perveniſſemus, me tibi conqueſtum, nihil mihi in victum ſuppetere; te vero, tibi hoſpitium non eſſe: tum te à me hoſpitio receptum, victum utrique noſtrum procuraſſe. Memini, mihi à Cæſare Toletum evocato litteras ad Uriam libellorum magiſtrum à te mihi datas: à me vero negotium, ſuper quo illæ ſcriptæ erant, ex animi tui ſententia confectum. Memini, quum Xativæ unà eſſemus, tuque amorem tuum mihi aperuiſſes, me tibi ſuaſiſſe, ut Amorem iſtum, utpote damnoſum & turpem, ad maximam malam rem faceſſere juberes. Memini etiam poſtea, te mihi non ſine lachrymis queſtum eſſe, ut omnia facias, non poſſe te Amorem iſtum ex animo ejicere; me nihilominus per omnia ſacra obteſtatum, ut Amoribus illis parum honeſtis & valde damnoſis nuncium remitteres. Memini multo poſt Tores-torris te de ſtatu & exitu illius amoris à me rogatum, reſpondiſſe, Te non ſine vulneribus, deceptum, exhauſtum, infamem tandem ægre è caſtris illis Veneriis transfugiſſe. Plura alia Valentiæ inter nos dicta ac facta memini, quæ ut à familiari ſermone non adhorrent, ita epiſtola parum digna ſunt.

Iucunda eſt priſtinæ conſuetudinis memoria.

Vincula amoris tenacia.

Sed omnem meam exſpectationem præſentis tuæ epiſtolæ argumentum fefellit: qua ſignificas, novis te amoribus irretitum, ac petis, ut quum antea recte tibi conſuluerim, nunc iterum conſilio te juvem; ut quem ex omnibus potiſſimum vulneri tuo primum exaſperando, deinde obligando aptum noris. Equidem à me quidvis aliud peti malim. Nec enim iſta vel tuam ætatem, vel meam profeſſionem decent. Quæſo te, mi Rubine, ut ſi quid à me petere velis, ea potius petas quæ caſus conſcientiæ, quàm quæ amoris remedia ſpectant. Mihi Summa Hoſtienſis magis trita eſt, quam Ovidii Ars amandi. Apage, apage rem tam à tua ætate quam mea profeſſione alieniſſimam. Tu ſenex es, ego religioſus. Tibi ætas, mihi votum & religio obſtat. Crede hoc tu mihi, non amorem, ſed dolorem: non lætitiam, ſed triſtitiam: non fomentum, ſed tormentum: non recreationem, ſed confuſionem eſſe, ſi eum tetigerit, qui non juvenis, ſed ſenex: non liber, ſed obſtrictus: non liberalis ſed tenax ſit. Senex qui quæ juvenum ſunt facit, & amoribus ſe dat, non ſenex amator, ſed ſtultus ſenex appellari & haberi ſolet. Et quidem non injuria. Quis enim ficus putridas non in ſimetum potius abjiciendas, quàm in penu condendas arbitretur? Venus & Cupido neminem ſuorum albo adſcribunt, niſi quibus ætas ad ſerviendum, pecunia ad ſumtus faciendos, libertas ad fruendum, patientia ad ferendum, prudentia ad reſpondendum, taciturnitas ad celandum, conſtantia ad perſeverandum, alia denique omnia ſuppetunt, quibus mutuus amor accenditur ac conſervatur. Quibus horum aliquid deeſt, magis è re ſua fecerint ſi à caſtris his omnino abſtineant, ne cum infamia è manipulo expungantur. Sene amatore nihil miſerius eſt, quem ludo & ioco habet amica, rident vicini, decipiunt miniſtri, expilant lenæ: interim fungus ille blandis verbis demulceri ſe ſinit, facultates tuas male collocat, facile

Religioſos de amoribus loqui non decet.

Turpe ſenilis amor.

Sic tractat cultores ſuos Venus.

credit, noctes inſomnes exigit, dies mille vanitatibus conſumit, ac tandem, licet nimis ſero, deceptum ſe animadvertit, nec queri tamen audet. Nulla ars, nulla ſcientia tam difficilis tamque intricata eſt, quin ab homine non ignavo comprehendi, & condiſci queat; unica excepta Amandi arte: quam nec Salomon deſcribere, nec pingere Apelles, nec docere Ovidius, nec enarrare Helena, nec Cleopatra exprimere ſatis poſſit. Nihil eſt in quo patientiam & modeſtiam magis deſideres quam in Amatore: cujus corpus etſi famem, ſitim, gelu patienter ſuſtinet & ultro provocat, crumena tamen aſſiduis largitionibus exhauritur, & cor ipſum continuis & irrequietis cogitationibus & imaginationibus pulſatur. Ut vero amor conſtans ſit & verus, neceſſe eſt ut inter amantes omnimoda ſit æqualitas. *Amor inter æquales optimus.* Si enim unus ſenex ſit, alter juvenis; unus ſapiens, alter inſipiens; unus caleat, alter frigeat, nihil certius eſt, amorem ejuſmodi tandem in odium verti. Si igitur amica tua tot quot tu, nempe annos ſexaginta & tres nata eſt, minus, credo, utriuſque amor periclitabitur. At focum enim ſedentes, tu illi amores tuos juveniles jactabis: illa viciſſim quot à procis expetita ſit, narrabit. Sed ut ad rem ipſam propius accedam, illud ego ſcire cupio, quid ſit, quod tu iſthac ætate, tam cano capite, membris omnibus ſcabie infectis, & arthritide debilitatis, juvenculam tam teneram ac formoſam procari audeas: quæ ſtudium omne magis in te expilando quàm tibi miniſtrando conſumet. At quid enim aliud tibi amicæ opera utilis ſit, quam ut caligas tibi ſubnectat & flabro muſcas abigat, aut tale quid faciat? An tu propterea amicam expetis, ut habeas cui narres, quàm parum eo die comederis, aut quoties horologii ſonum noctu audieris? *Quid ſeni ab amica expectandũ.* Ad quid tibi amica opus eſt, & viribus ad libidinem, & fortunis ad avaritiam ipſius explendam, & patientia ad ferendos ipſius mores, & juvenili vigore ad amore ipſius fruendum deſtituto? Quid tu talem amicam quæris, cui non labores & dolores, quos ipſius cauſa pertuleris, ſed illa tantum narres, jam ſtomachum tibi dolere, jam arthritidem manus, jam pedes, jam collum invaſiſſe? Cur eam tibi amicam adſciſcere cogitas, quæ quamprimum donare ipſi & in omnibus morem gerere deſieris, ſtatim te relictura ſit? Quid amica tibi opus eſt, cui nec petenti negare, nec delinquenti exprobrare quidquam auſis? Quid amicam expetis, cujus favor non grato tantum animo agnoſcendus, ſed ſtatim etiam compenſandus, aut injuria omnis muſſitanda eſt? Quid tu talem ambis amicam, cujus omnes blanditiæ nihil aliud ſpectant, quàm ut à te aliquid extorqueat? Quid amica tibi opus, cum qua, ſi vel ad inſaniam podagræ dolores te redigant, ridere ac lætum fingere vultum tum neceſſe habeas? Quid amica tibi opus eſt, cum qua citius rem omnem conſumpſeris, quam mores ipſius & ingenium pernoſcas? Quid deniq; eam amicam expetis, quam carè conciliatam, & dapſiliter habitam, mox non ſine odio deſerturus ſis? Talem amicam ſi tu quæris, age, fiat id bonis auſpiciis. At ſi me audis, amicum tu potius, cujus ſermone & conſuetudine recreeris, quam amicam cujus libidine interficiare, tibi comparabis. De remediis Amoris quum alii, tum Ovidius ſcripſit; *Medice cura teipſum.* tanto magis ridiculi, quod illis, quæ aliis præſcripſerant, ipſi uſi non ſunt. Sed quidquid illi dicant, mihi contra Amorem nullum præſentius aut efficacius remedium videtur, quam vitare occaſionem. Amoris enim retia facile vitabit, quiſquis voluerit; at qui ſemel iis ſeſe involverit, vix unquam, etiam quum voluerit, ſeſe explicabit. Cave ergo, cave mi Rubine, ne diaboli fraude iterum in amorem pelliciaris, qui & valetudini tuæ noceat, & generi infamiam inurat, & non modo arthritidem non leniat, verum etiam vitam ipſam auferat. Sed longius me profectum video, quam initio mihi propoſueram. Quod ſi tu iſta legens, unguem, quod dicitur, in ulcere ſenſeris; non mihi, ſed tibi, qui me provocaſti, imputabis. Ego interim te Dei immortalis tutelæ commendo: quem precor ut ab ejuſmodi amoribus & podagræ ſimul doloribus te liberet. Madriti III. Martii M D XXVII.

Ad ALPHONSUM SUARES, &c.

EPISTOLA,

In qua ad congratulationem reſpondet.

BEne mihi tuæ redditæ ſunt litteræ: quas à te eſſe, etſi nomen non præferebant, è ſtilo ſtatim agnovi, utpote grave inprimis ſententiarum pondus paucis verbis comprehendentes, & mira quadam urbanitate & lepore tinctas. Tria ajunt

Digitized by Google

ajunt eſſe, in quibus hominis ſapientia aut ſtultitia maximè eluceat, Iram ſcilicet, rei domeſticæ adminiſtrationem, & ſcriptionem. Hæc enim vix, ac ne vix quidem ita tractari poſſunt, quin certiſſima in hanc vel illam partem animi indicia ſeſe prodant. Ad me quidem multorum quotidie commeant litteræ, ſed mihi crede, nullæ me magis delectant quam tuæ, non tantum quod politiſſimi & admirandi tui ingenii, ſed & ſingularis erga me benevolentiæ teſtes ſint.

Nota ingenii, & quales.

Scribis mulum te mihi dono mittere, ſed & univerſas tuas fortunas communicare mecum paratum eſſe. Equidem hunc tuum erga me tam propenſum animum exoſculor, donum tamen nequaquam accipio. Ad uſus enim meos neceſſaria aliunde habeo; à te vero nihil præter bonum conſilium peto aut exſpecto. Nam quid ego plus optem, qui & duplex ſalarium à Cæſare, Inquiſitoris ſcilicet & hiſtoriographi, habeo, & Epiſcopatu nuper ſum auctus?

Non bene conveniunt nec in una ſede morantur Virtutes & Opes.

Liceat enim mihi duobus immutatis verbis, verſum hunc in re obvia & notiſſima uſurpare. Stultitiam namque, ut alius non minus ſeitè dixit, opes patiuntur, voluptatum miniſtræ. Sapiens neceſſariis contentus eſt; at vanus gaudet ſuperfluis: unde fit, ut è ſumma copia ſumma naſcatur inopia. Pauper magno labore neceſſaria ſibi quærit; at dives ſuperflua multo majori ſollicitudine cuſtodit: ut qui non libidine tantum ea augendi, ſed etiam amittendi metu cruciatur. Aliud prætcrea incommodum opulenta fortuna ſecum trahit, quod nimirum vel paullulum creſcente auctoritate, vanitas & ſtultitia in immenſum creſcit: ut omnis labor non in procuranda re domeſtica, ſed in vanis explendis cupiditatibus verſetur. Quilibet procurare debet, ut neceſſaria habeat; ſed multo magis, ut non neceſſaria non concupiſcat. Multi enim jamdudum à vitiis receſſiſſent, ſi divitiæ ab eis. Laudanda ſane eorum eſt induſtria, qui ſibi ac ſuis ad victum neceſſaria procurant: quum inopia ſemper anxia ſit & ſollicita. O quantum Deo debent, quibus ille neceſſaria ſuppeditat, ſic ut neque ad vitam quid deſit, nec ad perniciem quid ſuperſit.

Sapiens parvo contentus.

Opes alunt vitia.

Ad gratulationem tuam quod attinet, & incredibilem lætitiam, quam ais te ex hac dignitatis meæ acceſſione cepiſſe, animum itidem tuum laudo, ſed lætitiam non probo. Quin potius illud exſpectabam, ut condoleres mihi, quam ut congratulareris: & crede facturum fuiſſe, ſi muneris hujus vel oneris potius gravitas tibi eſſet explorata. Difficilis eſt Reipublicæ adminiſtratio; at multo difficilior Eccleſiarum. Utrumque munus multi ambiunt, pauci recte adminiſtrant. Gubernatorem tam ſæcularem quam Eccleſiaſticum oportet eſſe ſcientem & doctum, ut ſciat quid agendum ſit; prudentem & expertum, ut ſciat quando unumquodque agendum ſit; cordatum & juſtum, ut ſciat quomodo unumquodque agendum ſit; patientem denique, ut quæ emendare nequit, diſſimulet: ne & ſibi moleſtiam & Reipublicæ periculum creet. Hæc omnia in uno quidem optari poſſunt, at in pauciſſimis reperiuntur: quum etiam optimis & præſtantiſſimis multa ad ſummam perfectionem deſint. Ex omnibus titulis quos ſæculi hujus ambitio magno ſtudio affectat nullus mihi magnificentior videtur, quàm qui à virtute & honeſtate ſumitur: quem nemo non ſibi vindicat, ſed pauci merentur. Ridere ſatis non poſſum eorum ineptias vel ſtultam potius ambitionem, qui honori ſuo ſummam factam injuriam putant, ſi Honeſti, aut Virtute præditi appellentur: eoque litteras minus honorifice, ut ipſi putant, ſibi inſcriptas indignanter abjiciunt, ac ne legere quidem dignantur. Suus cuique ſtatui & dignitati debetur honos: at affectent illi quoſcunque velint titulos, mihi crede, nullum ex omnibus reperient, qui eum eo, quo quis Honeſtus aut Virtute præditus dicitur, comparari poſſit: quamvis hodieque is ad infimum fere vulgus relegatus ſit. Nam & virtus in hoc agnoſcitur, nec tamen dignitas negatur. Sed ut eo, unde digreſſus ſum, redeam: hoc mihi credas velim, non majori ſtudio alios dignitatem hanc ambire, quàm ego, ſi meo arbitratu mihi vivere liceat, renunciare ei paratus ſim: quum ad philoſophandum magis quam ad gubernandum indoles mea proclivis ſit.

Gubernator qualis eſſe debeat.

Virtutis titulus omnibus aliis præcellit.

Sed hic profecto ego vincta ipſemet mea cædere videbor; ut qui negare non poſſim, ex eorum me eſſe numero, qui non ſolum ſuis neceſſitatibus, ſed aliorum etiam ſermonibus ſerviendum ſibi exiſtimant: eoq; non tam ratione, quàm aliorum opinionibus regi ſe patiuntur. Multos videre eſt, quibus non modo ad honeſte vivendũ ſatis, verum etiam (modo cupiditatibus ſuis non

Opinionibus mundus regitur.

 nimis

Digitized by Google

nimis indulgeant") plus quàm ſatis eſt; iiſdem tamen, quum hominum magis de ſe exſpectationem quam ipſam officii rationem ſpectent, nec à parentibus relicta, nec ab amicis ſumta ſufficiunt. Difficilis, periculoſus & ſumptuoſus eſt Principum & magnatum ſtatus. Ipſis enim ſolis omnia accepta feruntur; at accepta multorum arbitratu expenduntur. Vix contineo me, quin publicanis eos hac in re comparem, ut quibus ex omnibus quæ capiunt, parum ad ſuum uſum relinquitur, tantum ſcilicet, quantum ad unum ventrem explendum ſatis eſt.

M. Aurelij Epiſtol. ad Pollionem pars.

M. Aurelius Imperator, inter alia ad Pollionem ſic ſcribit: Scire te volo, mi Pollio, bonum nonnunquam eſſe homini, ut faciat quod non vult; numquam vere bonum eſſe, ut faciat quod non debet. Contra homines bellum gerere, glorioſum ſæpè; at contra rationem, ſemper ſtultum eſt. Multa ſapientum genera ſunt, ſed plura ſtultorum. At ſtultiſſimus omnium eſt, qui, quum domi quiete & pace frui poſſit, turbas foris quærit; ſic ut è dignitate ſeu munere nihil ad ipſum redundet, quam moleſtia & labor. Quis non exiſtimet Imperatoriam dignitatem ſummum eſſe humanæ felicitatis apicem? At mihi crede, res longe aliter ſe habet. Et quia amicus mihi es, in ſinum tuum hoc totum effundam, non quod tu ſcire hoc expetas, ſed ut ſcribendo iſtæc tecumque communicando, moleſtias meas aliquantum levem. Poſtquam D. Antonius Pius me ſibi generum, ac pro dote mihi Imperium deſtinavit, duplici me ſtatim onere gravatum ſenſi. Nam quum Imperii adminiſtratio valde ſit difficilis, tum mihi Fauſtinæ conjugis meæ multo difficilior eſt cuſtodia. Non mirum tibi videatur quod ſcribo; ſed illud potius quomodo tantum onus tam longo tempore ferre potuerim. Imperii negotia mihi vitam conſumunt, at conjugis levitas honorem meum infamat. Quia enim Fauſtina ſe Imperatoris filiam, & Imperatoris conjugem, præterea divitem, formoſam, potentem ac nobilem eſſe meminit; iſtis rebus omnibus non ad libertatem, ſed ad licentiam abutitur: & quod peſſimum eſt, mihi ſine ſummo præjudicio, errores ejus corrigere non licet. Mihi quidem agriculturam exercere quam ejuſmodi vitam cum tali conjuge ducere ſatius eſſet. Nulla enim tam dura eſt atque aſpera terra quin aratro obſequentem ſe præbeat; nec quiſquam homo tam lenis, qui æquo animo imperium accipiat. Nunquam mihi melius fuit, quam quum unum tantum ſervum haberem; ſed multo melius, quum nullum haberem. Poſtquam Imperator factus ſum, omnes ſe ſervos meos ferunt, quum tamen ego omnium ſim ſervus. Obedientiam illi mihi præſtant; ego illis victum. Illa tantum, mi Pollio, inter id quod fui, & id quod modo ſum, eſt differentia, quod antea in Philoſophiæ ſtudiis totus acquieſcebam; at dignitate jam tumidus, & artes quas ſciebam oblitus ſum, & virtutem, qua gloriabar, poſthabui. Ante ſuſceptam à me Reipublicæ adminiſtrationem omnium oculi in me erant conjecti; nunc in me Principem omnium linguæ acuuntur: ut ſicut Principi nunquam deeſt quod caſtiget, ita malevolis nunquam deſit quod carpant. Hæc eò, mi Pollio, ad te ſcribo, ut præteritam illam meam fortunam mihi invideas, & ejus, in qua jam ſum, vicem doleas: ſi quidem omnis amicorum converſationis, & ſcientiarum, quas olim didici, fructu privatum me jam video, &c.

Levis femina difficilis eſt cuſtodia.

Regnū ſplendida eſt ſervitus.

Habes ad gratulationem tuam M. Aurelii pro me reſponſum: è quo facile intelligi poteſt quanto litteratis hominibus & Religioſis, qualis ego ſum, & tutius ſit & iucundius philoſophari quam gubernare. Cætera mea bene habent, niſi quod podagræ doloribus interdum vehementer crucior. Quis vero mihi ſub ejus ſignis contra voluntatem militanti animus ſit, Deus novit: præſertim quod quanto ego magis dolores meos apud Mexiam medicum deploro, tanto ille magis ridet. Caroli Guevaræ patrui mei, qui apud vos eſt, negotia ita tibi commendo, ut majori ſtudio & diligentia commendare non poſſim, par aut majus etiam, ſi occaſio ferat, officium tibi ac tuis præſtiturus. Granatæ IV. Decembris M D XXXI.

Bene qui latuit, bene vixit.

Ad MARCHIONEM VELESIUM *EPISTOLA*,

In qua nova quædam miro lepore nunciantur.

Illuſtriſſime Domine, cognate & amice obſervande.

GARſias Rodericus literas tuas VII. hujus menſis Velis ad Rubium ſcriptas mihi reddidit,

didit,

Digitized by Google

didit, tam recentes, ut ſalmones majori celeritate Bajonâ huc ad nos adferri non poſſint: quibus à me petis, ut ſi quid novarum rerum hic ſit, ad te perſcribam, & quo in ſtatu aulæ ſint negotia ſignificem. Ego vero ajo multum te decipi, ſi exiſtimes quidquam hic certum ſtatum obtinere, quum omnia non ſecus ac Luna, continuo vultum mutent, ipſique homines Proteo ſint inſtabiliores. Iſta jam olim in aulis trita ſunt, & velut jus ſuum habent, ut ſcilicet vocanti nemo reſpondeat, fugiant, amantes quærant fugientes, ſequãtur ignotos, ſerviant nihil ſolventibus, ſperent quod nemini datur, & ut verbo dicam, operam & oleum perdant. Hæc omnia ut corporis noſtri vires perferre poſſint, animus tamen ferre aut diſſimilare non poteſt. Cujus corpus doloribus affligitur, citius queri deſinet, quam animus anguſtiis incluſus ſuſpirare. Multi tam Philoſophi quam alii in ſummis corporis cruciatibus vix ullam vocem doloris indicem emiſiſſe, at ſupervenicnte aliqua animi triſtitia pæne ultra modum ingemuiſſe, perhibentur. Quocirca ſapienter admodum feciſſe mihi videris, quod relicta aula domum tuam, ad vitæ reliquum tranquille ibi exigendum, conferre te voluiſti; non ignarus, acerbiora eſſe quæ videmur, quam quæ audiuntur. Et profecto quum omnia aulæ vana ſint, ſimulata, inconſtantia, dubia, periculoſa; non mirum eſt, ſi cum riſu fere audiuntur, at ſummo cum dolore oculis cernuntur.

Aula vana omnia.

Graviora ſunt quæ animum, quam quæ corpus ferunt.

Petis ut tibi ſcribam, an Imperatricem cœnantem vel prandentem nonnunquam videam; & quibus illa cibis veſcatur. Equidem quum hoc tempore pauci admodum Prælati in aula ſint, quotidie ad prandium & cœnam eo venio, non quidem ſpectandi, ſed cibi conſectandi gratia. Interim dum menſæ benedico, fateor me mihi ipſi interdum maledicere; ſiquidem ex aula me domum ad cœnam recipienre, plerumque cœnandi tempus jamdudum præterit, adeoque jam cubitum eundi tempus eſt. Minori opera Deo ſervitur quam Regi. Rex enim nullum officium acceptum habet, niſi quod ſuo tempore præſtatur, & quod ipſe requirit: at Deus omnia noſtra obſequia grata habet, neque ea ſolum ad ſui præſcripti, ſed bonæ etiam noſtræ voluntatis & affectus lancem exigit. Quæris quid, & quomodo Imperatrix edat. Non eſt hic aliud quod dicam, niſi cibos quibus veſcitur, frigidos fere eſſe, ut & locum: illam vero ſedere ſolam & tacentem, omnium interim reliquorum oculis in eam defixis. Ni fallor quinque hæ ſunt conditiones, quarum unaquæque minus ſuave mihi prandium redditura ſit. Jam hyems eſt, quod tempus natura ſua frigidum eſt & triſte: atque eo tale mihi prandium aut cœna placet, quæ ad focum calentem inſtructa, inter amicorum confabulationes ſine ullis ſermonum arbitris peragatur. Qui enim eo tempore, quo alii in lætitiam ſolvuntur, nec ipſe edit, nec aliis edentibus miniſtrat, ſed tacitus & plenus cogitationum adſtat, eum ego inſidiatorem potius quam ſpectatorem dixerim. Frigidis vero cibis, ac præſertim hyberno tempore, veſci, & ſtomacho nocet, & orexin extinguit. Solum edere, animi parum generoſi mihi videtur: qui non tantum cibis, quantum commenſalium conſuetudine & ſermonibus delectatur. Sed Principibus hæc in re venia danda eſt, quos iſta à contemtu vindicant, & venerabiliores reddunt. Sed edat quiſque quod & quocunque modo volet: ego certe non tam cibos qui Imperatrici apponuntur, quam patientiam, quam illa inter veſcendum oſtendit, ei invideo. Fercula, ſi numerum ſpectes, multa ſunt, e quorum paucis illa parum aliquid delibat: ſicut Imperatrix mihi videatur optimæ conditionis, ſed teneræ complexionis. Quibus vero veſci ſolet, hæc fere ſunt: melopepones conditi, carnes vaccinæ recens ſalitæ, juſcula, exta ſuilla, columbæ domeſticæ, præpingues anſeres, capi aſſati: ſic ut iis delectetur, quæ multi faſtidiunt, & ab iis abhorreat, quæ vulgus in deliciis habet. Apponuntur etiam pavones, perdices, phaſiani, artocreæ, ſtriblitæ, placentæ, multaque alia varii generis edulia, quæ tamen illa non modo attingere, ſed vix etiam aſpicere dignatur. Adeo verum eſt, cupiditates cujuſque expleri non eo quod quis habet, ſive multum ſive parum id ſit, ſed quod naturæ quadam inclinatione deſiderat. Toto prandio vel cœna ſemel tantum bibit, non merum vinum, ſed aqua dilutum, vel ut verius dicam, aquam vino dilutam: ſic ut tam cibi quam vini reliquiæ ex orbe ejus ablatæ à nemine, cui palatum ſapit, expetantur. Miniſtratur ei more Luſitanico; nempe a tribus puellis, quæ genu innixæ cibum à maribus apportatum, præſecant, aliaque miniſteria obeunt. Reliquum gynæceum in orbem adſtat, aliæ erectæ, aliæ in parietem aut aliud quid reclinatæ, non tacitæ ſed garrientes, aulicis interim ſingularum mores obſervanti-

Facilius eſt Deo ſervire quam mundo.

Confabulatio cibo ſuavior.

vantibus, & è re nata ſermonibus unamquamque inter ſe celebrantibus. Utrique aliquando etiam tam clare tinniunt, ut ipſius Imperatricis aures offendant: ſed hæc Luſitanorum conſuetudine facile excuſantur.

Quod quæris, utrum in aula major juvenum procantium an puellarum, quibus illi ſerviunt, ſit numerus, cum Iſaia reſpondeo: Apprehendent mulieres ſeptem virum unum. Plerique Nobiles aulici gynæcei virgines aſſectantur, videre eas cupiunt, audire, colloqui; at uxorem ducere nemo: interim miſeræ illæ ſpe fruſtratæ, dolore & deſiderio contabeſcunt.

Rogas à quo galerus Cardinali ſit impoſitus. Scito ergo Franciſcum Mendozam Zamorenſem epiſcopum id muneris obiiſſe: & niſi me animus fallit, maluiſſet ille in genua provolutus pileum hunc ab illo accipere, quam ſedens illi imponere. Ceremoniæ hæ in templo S. Antolini peractæ ſunt: quo tempore tantus repente cœlo imber decidit, tamque vehemens ventus increbuit, ut ſi Cardinalis non Chriſtianus, ſed gentilis fuiſſet, honorem eum aut repudiaturus, aut rem in aliam diem dilaturus fuerit. Certe tanta fuit tempeſtas, ut Cardinali è templo deſcendenti cauſia, quam ante geſtare ſolitus fuerat, majori uſui fuerit, quam tum ei datus Cardinalitius galerus. De epulo quod ille præbuit, quid tibi ego dicam? Lauta omnia, ſplendida & magnifica fuerunt. Nullum generoſioris vini genus deerat, Torenſe, Sanmartinianum, Madrigalenſe, Arenate: ſed nec ſtrenui potatores, quorum nonnulli greſſu titubantes, quidam etiam in genua prolapſi, vim vini teſtabantur.

Ad hoſpitium meum quod attinet, ne tu quære an commodum, ſed an omnino hoſpitium habeam. Sæpe ego ad Joannem Aialam deſignatorem dixi, poſſe à Deo quæcunque velimus precibus obtineri, at ab ipſo etiam cum lachrymis bonum hoſpitium impetrare nos non poſſe. Memini in quodam ſermone, quem coram Imperatrice habueram, inter alia me dixiſſe, D. Joannem Baptiſtam in deſertum ſe contuliſſe, non tantum ut peccati occaſiones vitaret, verumetiam ut ne quid cum hoſpitiorum deſignatoribus negotii haberet, nec de hoſpitio laboraret.

Quæris an magna ſit aulicorum frequentia. Mihi quidem circumſpicienti pauci hic viri, ſed ingens mulierum turba occurrit: quarum multæ ab Avila aulam hucusq; ſequutæ ſunt, quamvis earum ante hic ſatis ſuperque eſſet. Sed & Taurus, Zamora, Salamanca neſcio quas negotiatrices huc ſubmiſerunt: adeo ut ſi Nobiles de ſeptenis ex gynæceo virginibus optionem habeant quibus ſerviant, miniſtris & equiſonibus octonæ ſint in urbe mulieres quas procentur. Interim nihilominus quum Imperator in Belgio adhuc moretur, hyems ſæviat, & magna ſit annonæ caritas, nemo aulam ſequitur niſi quem adigit neceſſitas.

Quæris etiam quid de Vejarenſi Duce ſentiam, qui vivus pecuniæ corradendæ tanto ſtudio incubuit, ut moriens quater centena Ducatorum millia in loculis reliquerit. Licet hac de re quidquam ſcribere periculoſum, & audire odioſum ſit, mihi tamen jam dictus Dux nihil aliud, quam ſibi curam, aliis invidiam, inimicis calcar, furibus inſidias, corpori moleſtias, conſcientiæ ſcrupulos, animæ pericula, lites filiis, & hæredibus execrationes quæſiiſſe videtur. Jam adeo inter viduam, Ducem novum, Comitem Mirandæ & alios de jure hæreditatis & ſucceſſionis magnæ lites agitantur; Fitque hic quod plerumque fieri ſolet, ut bonorum omnes hæredes eſſe, ſed nemo quidquam oneris in ſe ſuſcipere velit. Anno M D XXIII. Burgis me ægrotantem præfatus Dux (cujus animæ Deus ſit propitius) inviſerat, & quum forte fortuna de avaris incidiſſet mentio, me rogarat, quis proprie Avarus dici poſſit aut debeat: ajens multos ſuper ea re diſſerentes ſibi auditos, ſed à nemine ſatisfactum. Tum ego, Avarus eſt, inquam, qui quum ad luculentum ignem poſſit, ad fumum tamen calefacere ſe mavult; qui ex bonis vinis ad ſuum uſum mala eligit; qui pannoſus incedit quum ſatis in area habeat veſtium; qui pauper vivit, ut dives moriatur: hunc ego, aut neminem, avarum dicendum puto. Addidi inſuper, Mihi illum hominem pluris videri, qui divitias diſtribuit, & in quos par eſt uſus eroget, quam qui eaſdem ſine fine congerat. Ad eas enim cumulandas curam tantum & laborem, adeoque caſum ſæpe; ad erogandas vero, magnum & generoſum animum requiri.

Quis avarus dicendus.

Quid de Medina urbe, ubi jam ſumus, mihi videatur, quæris, Mihi quidem nec ſolum illa, nec cœlum habere videtur. Hoc enim nubibus, illud luto ita ſemper tectum eſt, ut neutrū cerni poſſit. Eoque urbs ipſa à civibus & vicinis Medina campi, ab aulicis Medina luti appellatur. Rivum habet

bet Caperdielem nomine, tam profundum & periculoſum, ut fundus ejus æſtate anſerum pedibus calcetur. Is quum tenui alveo feratur & cœnoſus ſit, magnam anguillarum copiam menſis ſuppeditat, ſed aerem plurimis nebulis obfuſcat, &c. Medinæ Campi XVIII. Julii MDXXXII.

Ad
CONSALVUM GILIUM
EPISTOLA,

In qua illud divini Regis & Pſaltæ, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem,* explicatur.

AN & quid ad litteras tuas reſpondere debeam, animi dubius hæreo. Is enim ſtatus jam noſtri imperii eſt, ut in acerbiſſimo multorum malorum ſenſu vix vocem doloris indicem emittere liceat. Injurias ferre difficile eſt, at multo difficilius diſſimulare. Magnum mœroris levamentum eſt, rem cum amico communicare, & triſtitiam omnem velut in ſinum ejus effundere. At ſi ſemel altius animo injuria inſedit, difficilius obliviſcaris quam ulciſcaris. Quod ſi lingua mea omnia, quæ memoria ei ſuggerit, effutire, aut penna chartis illinere velit: haberent præſentes quod obſtupeſcerent, & abſentes quo offenderentur. Jam enim alea jacta eſt: jam nobi omnia ſiunt, ut brevi ſuſque deque omnia latum & funditus everſum iri periculum ſit. Nobilitatis exercitus hic apud nos Medinæ, rebellantum, Villabraximæ, jam eſt. Non ut illis tamquam pro legitimo noſtro magiſtratu pugnantibus, victoriam optamus; ita horum vicem tamquam amicorum ex animo dolemus: quum præſertim plerique nec quid petant, intelligant; nec quid agant, ſciant. Si belli hujus civilis calamitates in eo tantum incumberent, qui ejus auctores ſunt, æquiori ſane animo nobis ſpectanda, & illis patienda omnia eſſent. Sed jam ita plerumque fit, ut anteſignani & præcipui auctores evadant, & miſerum vulgus plectatur. Monaſterium hic plenum eſt militibus, & monachorum cellas Nobiles jam ſuas fecerunt, ſic ut neque ad ſecedendum ullus nobis angulus, nec ad ſtudendum una hora ſupereſit; & quemadmodum libri mei disjecti ſunt, ita ſenſus & cogitationes omnes vagantur. Nam quid quæſo quemquam hoc tempore & hoc rerum ſtatu delectare poſſit? rege procul abſente, ſubditis tumultuantibus, bello undique perſtrepente, timore perculſis magiſtratibus, plebe exhauſta, eoque ad extrema omnia propendente. Singulis fere horis novos videmus affluentes milites, ſingulis horis ferè luſtrantur copiæ, conclamatur Ad arma, confligitur, & magnus ſauciorum numerus huc comportatur. Cardinalis & regii Præfecti injunxerunt mihi, ut ad populum habendis concionibus & paci procurandæ pro viribus operam darem. Facio quod in me eſt, & tertio quoque die inter utrumque commeo exercitum: ſed rebelles nec fidem mihi habere, nec reſipiſcere volunt, & habent vocem Iacob, ſed manus Eſau. In bello hoc civili ex aliis locis ea audio, eaque hic video, *ut poſuerim cuſtodiam ori meo, ut non delinquam in lingua mea.* Quod ſi meæ vel tuæ litteræ in aliorum inciderunt manus, multo ſane majori in periculo uterque verſaturus eſſet, apud eos præſertim, qui iſta aut non intelligunt, aut in malam partem omnia interpretantur.

Plectitur Achivi.

Tempore belli dicere, ſed ſcribere periculoſius eſt.

Expoſitio ſupradict. loci.

Ais, non ita pridem concioni te meæ interfuiſſe, in qua locum illum regii Prophetæ & Pſalmographi explicuerim, *Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum, propter retributionem*: ſimulque rogas, ut quæ tum dixi, ſcripto comprehenſa ad te transmittam. Equidem hoc facere non ſoleo; tibi tamen, cui omnia cupio, in hoc quoque non gratificari non poſſum. Veri enim amici officium puto, nec quidquam eorum quæ ſcit, celare, nec quicquam eorum quæ habet, alteri negare.

Primo ergo valde illud mirandum eſt, quod Propheta ait, *in æternum* Deo ſervire ſe paratum, quum tamen non ignoraverit, ſibi non minus quam aliis moriendum eſſe. Verum ut hæc recte intelligamus, operæ precium eſt illud perpendere quod Dominus Noſter Jeſus Chriſtus dicit: *Ibunt in ſupplicium mali, boni autem in vitam æternam.* Quum Chriſtus Dominus noſter ſumma ſit Veritas & ſumma Juſtitia; illud non immerito alicui mirum videatur, qui fiat, ut finitis meritis infinitum præmium Deus concedat, & econtra temporali culpæ æternam pœnam imponat. Idque tanto magis, quod Deus ipſe in Apocalypſi

Amici officium

lypſi teſtatur, pœnam improborum culpæ æqualem fore. Quod ſi nobis non conſtaret de divino judicio, hominibus forte juſtum videatur, ut qui centum annos Deo in hoc mundo ſervierunt, in altero illo ducentorum annorum gloria fruantur; & qui hic quinquaginta annis in peccatis & ſceleribus vixerunt, altero tanto plures ibi in tormentis exigant: atque ita meritis gloria, & pœna culpæ quodammodo reſpondeat. Magnum ergo hoc eſt myſterium, quod nempe Deus temporalibus meritis æternam gloriam pollicetur, & temporalibus delictis æternam pœnam comminatur, quod quivis facile proponere, at non facile quivis ſolvere queat.

Non facta, ſed fontem Deus ſpectat.

Ante omnia ſciendum eſt, nec præmium, nec pœnam alterius ſæculi numero aut qualitati operum reſpondere, ſed abundantiæ aut defectui charitatis. Non enim tam ad ea Deus reſpicit quæ facimus, quàm ad ea quæ facere deſideramus. Fieri poteſt, ut paucis operibus quis multum, & alius multis operibus parum mereatur: ſiquidem meritum aut demeritum non in gravitate aut levitate eorum, quæ patimur, ſed in animo, quo ea patimur, conſiſtit. Non ſine cauſa D. N. Chriſtus dicit, *In patientia veſtra*, non in labore veſtro, poſſidebitis animas veſtras. Et Auguſtini illud eſt: Non pœna ſed cauſa martyrem facit. Ea ergo cauſa eſt, cur Deus bonorum meritis æternam gloriam præmium conſtituerit, quod ſi in æternum hic vixiſſent, etiam Deo in æternum ſervituri erant. Atque eadem eſt ratio, cur impiis æternam ſit pœnam impoſiturus, quia ſcilicet ſi vivere nunquam deſiiſſent, etiam Deum nunquam offendere ceſſaſſent. Quod ergo Propheta dicit: *Inclinavi cor meum in æternum*, idem eſt ac ſi dicat: Ego Domine, ſervitio tuo in tantum me obligo quantum tibi vitam meam prorogare viſum fuerit: ita ut prius illa, quam tibi ſerviendi voluntas me defectura ſit. Quid amplius addam, ò Deus meus, niſi hoc, ut quum ſerviri tibi omnino à me velis, facias ut quum vitæ meæ dies pauci ſint & finiri, deſiderium nihilominus tibi ſerviendi immenſum ſit & infinitum: quia *in æternum inclinavi cor meum*. O quanto deſiderio Deo ſervire, ô quam certam ſalutis ſpem concipere debemus, quum ei Domino ſerviamus, cui ſine ullo ſcrupulo non id tantum quod fecimus, ſed etiam quod facere deſideravimus imputare, proque eo mercedem exſpectare nobis liceat, &c. Vale. Medinæ ad Rivum ſiccum XXII. Januarii M D XXXIII.

Servire Deo optimum.

Ad
INIGUM VELASCUM, &c.
EPISTOLA,
In qua docetur, ſapientis non eſſe quidquam arcani mulieri committere.

DIdacus Mendoza epiſtolam mihi reddidit & tua manu ſcriptam, & tuo ſigillo ſignatam. Utinam vero tam diligenter meæ à te aſſerventur litteræ, quam à me tuæ. Neſcio utrum tua incuria an meo malo fieri dicam, ut ſi vel minimum quid ad te ſcripſero, ſtatim lippis ſit & tonſoribus notum. Ego quantum amicitiam noſtram omnibus notam eſſe cupio, tantum incuriam tuam vel imprudentiam deteſtor, quæ inter nos ſecreto acta & ſcripta ſunt, aliis aperientis. Nam ſi uxor & liberi tui reſciscunt præcipua tua & ſecreta negoria mihi à te communicari, illud à me poſtulabunt, ut conſcientiam tuam non tam ad id quod rectum, quàm quod rebus ipſorum utile eſt, dirigam; ac niſi id fecero, de me querentur. Uxor tua vel jam ad me ſcripſit, mecum expoſtulans, quod in cauſſa Tovarenſi ipſi adverſer: quod quidem nunquam mihi in mentem venit. Illud ego ſemper docui, doceo, & docebo, inter bonos bene agier oportere; ſed inprimis Nobilium eſſe, ſuum cuique tribuere, nec pati ut primogenitorum jus deterius reddatur. Scis ipſe in ſacra Confeſſione & privatis conſiliis me tibi ſemper inculcaſſe, a magnatibus præcipue requiri, ut ſolvant quod debent, nec aliena involvent, iiſdem vero licere, ut ſua pro arbitrio diſtribuant; ad quorum illud conſcientia nos cogit, in altero ratio modum præſcribit. Quia vero hi & ejuſmodi ſermones inter nos ſolos habiti ſunt, nihil neceſſe fuerat eos aliis indicare. Graves enim & arduæ res ſecretum amant: quas ſi cavere non poſſumus quin alii ſuſpicentur, cavere tamen poſſumus, ne ſciant. Vetus eſt, Quod tribus manifeſtarum ſit, omnibus eſſe divulgatum. Fortè fortuna tibi aut verbum aliquod aut etiam litteræ exciderunt: quorum neutrum recte intelligens uxor tua, tanto majorem concepit & ſuſpicionem & contra me indignationem. Tu, ſi ſapis,

Quod ſolus ſcis, ne tu alteri.

Nobilium officium.

Digitized by Google

Mulieres ut multa ſcire videãtur, multa loquuntur.

ſapis, nulli mulieri poſthac nec joco nec ſerio quidquam rei quid ſecreto haberi cupias, concrede. Ut enim ab aliis majoris fiant, ac multum ſcire & ſapere videantur, quæ ſciunt, quæ neſciunt, juxta garriũt. Delirant, meo judicio, mariti, qui pecuniam clam uxoribus aſſervant, at cordis ſecreta eis indicant. Ut enim maxime argentum eis ab uxoribus ſurripiatur, exiguæ tantum rei facient jacturam; at ſi ſecreta ipſorum evulgentur, de honore periclitabuntur. Catilinariæ conjurationis indicia Romana mulier Fulvia Torquata, cui res communicata fuerat, alteri cuidã fœminæ, & hæc rurſus alteri fecit: donec res ab ipſo magiſtratu cognita fuit, & Catilina & ſocij ſuo ipſorum indicio perierunt. Ac tantum abeſt, ut ego rem ſecretam mulieri committendam putem, ut etiam præſente aut audiente hoc ſexu, ne minimam quidem ejus mentionem faciẽdam exiſtimem. Iniquum ſane fuerit illud cogitare, nedum dicere, Fœminas omnes iiſdem eſſe moribus, ut qui unam nõrit, omnes nõrit. Equidem novi fœminas tam prudentes, & fidei & ſecreti tenaces: & econtra earum maritos tam ſimplices & incircumſpectos, ut hos illarum, quam illas horum fidem ſequi ſatius ſit. De toto tamen hoc ſexu (abſit verbo contumelia) illud veriſſimè dici poſſe arbitror, aptiores eas à Natura factas ad ſobolẽ gignendam, quàm ad ſecreta continenda. In univerſum nunc ego te moneo, ut quæ inter nos dicta ac facta ſunt, nemini poſthac ſive viro ſive fœminæ indices: ne tibi moleſtiam, mihi invidiam, utrique odium concinnes. Novarum rerum nihil habeo quod ſcribam; illud tantum te tamquam dominum & Patronum rogo, & tamquam filio impero, ut in gratiam me apud Duciſſam conjugem tuam reſtituas, aut domo tua exulare omnino jubeas. Valadoleti VII. Sextilis M. D. XXVI.

AD EUNDEM VELASCUM, &c. EPISTOLA.

De ira penitus ex animo ejicienda.

IDẼ ego de te dicere poſſum quod Deus de Babylonia apud Prophetam. *Curavimus Babyloniam, inquit, & non curata eſt: relinquamus illam.* Nam quid tu conſilio meo ſic uſus, aut, ut verius dicam, omnino abuſus es? Suaſeram ego ſuperioribus meis litteris, ne conjugi tuæ quæ inter nos ſecreto dicta & conventa eſſent, aperires: at tu has ipſas litteras vix dum à te ipſo lectas ei tradidiſti, ſicque me uterque ludibrio habuiſtis. Sed bene me ultus ſum. Ego enim ut par pari referrem, à Naſſovio comite tum ad prandium invitatus, eam itidem epiſtolam expromſi, quæ Belgis, Luſitanis, Germanis & Hiſpanis, qui præſentes tum erant, audientibus, non ſine multorum riſu lecta fuit. Illud bene habuit, quod quæ ſuperioribus meis litteris de muliebri ſexu ſcripſeram, conjux tua velut joco dicta aut ad ſe non pertinentia accepit: ita ut meritò ejus ego laudare prudentiam, de tua vero inconſulta temeritate juſtiſſimè quæri poſſim. Quæſo te etiam atque etiam, Domine, ne poſt hac epiſtolas meas tam indignis modis habeas: ſed ſi minus tibi placebunt, laceres potius & Vulcano tradás. Quid enim, ſi forte eæ ab hominibus parum æquis legerentur, non tu honori & exiſtimationi meæ magnum periculum creatum iri exiſtimas? Sunt enim quidam animo tam livido, ut velut araneæ etiam è ſalutaribus herbis & floſculis venenum ſugant. Ab horum calumniis uterque noſtrûm ſe vindicabit, ſi quæ aliorum ſcire nihil refert, ea inter nos pereant.

Litteræ aſſervãdæ non vulgandæ.

Quod ſcribis, te mei cauſſa omnem ex animo iram & odium, quod contra Nobilem illum conceperas, ejeciſſe, equidem tam gratum mihi eſt, quàm ſi mea ipſius res ageretur. Nobilis enim ille eum apud me amicitiæ tenet locum, ut quod ipſi bene ac benigne fit, mihi factum putem, amemque omnes qui ipſum amant. Quod ergo eidem ignoviſti, non ſolum rem mihi gratiſſimam, ſed tibi quoque inprimis decoram, adeoque neceſſariam feciſti. Vobis enim, qui in Principum & Magnatum eſtis numero, non modo cuiquam injuriam facere, ſed nec acceptam injuriam ulciſci licet. Quod enim in privatis hominibus ira dicitur, id in Principibus Crudelitas vel tyrannis potius appellatur: & quod in infimis, pœnæ; in ſummis vindictæ loco habetur. Quoties generis tui Nobilitatem cum tua conſcientia æqua lance appendes, ac memineris non Ducem te modo, ſed etiam Chriſtianum eſſe; nulla magis tibi placebit quàm remiſſa injuria, nec magis ulla diſplicebit quam acerbe vindicata. Multi enim dum minuta quæque ulciſci ſtudent,

Regium eſt ignoſcere.

Digitized by Google

dent, ſeipſos atrociter lædunt. Sunt quædam injuriæ, quæ non modo non vindicandæ, ſed ne ſacerdoti quidem in Confeſſione aperiendæ ſunt. Honor enim & exiſtimatio tam delicata tamque tenera res eſt, ut læſum te ſæpè queri non poſſis, quin ſimul ad ultionem quodammodo te obſtringas. Præclara vox eſt Julii Cæſaris: Nulla ex re majorem voluptatem ſe capere quàm injurias condonando, & beneficio compenſando. Utinam vocem hanc Chriſtiani omnes, ſed Principes & magnates inprimis, non ſolum in pectus demittant, verum etiam imitatione exprimant. Fide Cæſar paganus fuit & gentilis, ſed hac in re fecit tamquam optimus Chriſtianus. Nos econtra verbis Chriſtianam fidem profitemur; at quantum opera noſtra à paganiſmo abſunt? Non fruſtra dico, credere nos ut Chriſtianos, ſed vivere ut paganos. ſiquidem eo proceſſit hominum malitia, ut animus ad ignoſcendum facilis tamquam degener & Nobili indignus contemnatur. Quaſi ſcilicet majoris animi ſit noxam vindicare quam oblivisci. Hinc fit ut multi, etiam quum volunt, offenſas remittere non audeant, ne à ſuis parum fortes & generoſi habeantur. Sed ſentiat & faciat hic quiſque quod volet, ego certe quod tu Nobili huic ignoviſti, & ad ſalutem & ad gloriam tuam maximopere pertinere puto: quum & boni erga ipſum Chriſtiani, & veri erga me amici officium expleveris. Quid ergo amplius ab homine requiri poſſit, quam ut Deo fidelem, hominibus mitem & benignum ſe præſtet?

Quæ honeſtiſſima voluptas.

Quæ ad conſcientiam tuam & fortunatum diſtributionem ſpectant, diligenter omnia prius excutiam, ac deinde id tibi conſilium dabo, quod nec in meo ipſius animo ullum ſcrupulum relinquat. Nimis cita enim & inconſulta reſponſio ſtultitiæ plerumque, levitatis ſemper eſt argumentum. Quæſtio ſeu dubitatio ab ignorantia proficiſcitur; at reſponſio è Sapientiæ fontibus derivari debet. Plato in Gorgia non minorem operam amicis conſulentibus, quàm ſuis auditoribus impendere ſe ſcribit. Conſilium vero petendum eſt ab homine Sapiente, ob bonum judicium; ab erudito, propter multiplicem lectionẽ; à ſene, propter experientiam, à patiente, qui multa tulerit; à miti & manſueto, ne ira rationis obſtet lumini; à liberali, ne ſuum ipſe lucrum & commodum magis quam amici ſalutem ſpectet. Et quemadmodum pecunia amicis cito & large; ita conſilium mature & graviter dandum eſt. Quod ſi tot tantæq. res, quas breviter attigi, in eo, qui conſilium utile dare velit, requirantur, recte quis dixerit, eorum, qui conſilia dant, infinitum, ſed qui recte & bene dent, exiguum eſſe numerum.

Conſiliũ mature dandũ.

A quo petendum.

Quod ad M. Aurelii librum attinet, eum ego in noſtram linguam traduci cœptum, nõdum tamen abſolutum, Cæſari dedi, cui eum Laxoa ſurripuit, Laxoæ Imperatrix, Imperatrici Tumbas, Tumbæ Aldonza, Aldonzæ tu: ſic ut vos omnes è ſudoribus & laboribus meis prædandi feceritis materiam. Novarum rerum nihil eſt quod ſcribam, niſi vetera illa forte ſcire expetis: Gobũ Cæſaris florere gratia, Breſæ gubernatorem tacere, Laxoam grunnire, Admirantem ſcribere, Ducem Veiarenſem colligere, Pliegi Marchionem ludere, Marchionem Villæ Francæ negociari, Comitem Oſornium ambire, Siruelæ Comitem orare, Bundiæ Comitem ſuſpirare, Gunteriũ Quixadam torneare, Ronquillium prætorem jus dicere. Madrici VI. Januarii MDXXIV.

AD ALPHONSUM FONSECAM, EPISCOPUM BURGENSEM, ET INDICI CONSILII PRÆSIDEM.

EPISTOLA.

In qua declaratur, quo tempore & quam ob cauſam Hiſpaniæ Reges Catholici dici cœperint.

IAm dies viginti ſunt, quum litteras tuas accepi; quindecim vero, quum ad eas reſcripſi: ſed qui tuas attulerat, ad me poſtea non rediit; nec ego per quem mitterem, certum habui hominem. Petis ut ſcribam tibi, qui his locis de te ſint ſermones. Ignoſce, ſi rem omnem, uti eſt, ad te perſcribam. Plerique aulici zeloſum te Chriſtianum, ſed Epiſcopum parum aptum eſſe ferunt. Addunt nonnulli, te tardum eſſe, negligentem, obliviosum; nec in litigantium cauſſis ea qua par eſt integri-

Mira Auctoris Parrheſia.

integritate verſari: eoque fieri, ut eorum complures non expeditis negociis, vacuis tamen cum loculis domum revertantur. Quin etiam pejora quidam adjungunt: Te ſcilicet ſuperbum, moroſum, arrogantiæ & faſtidii plenum eſſe: eoque multos inde rebus infectis diſcedere, malam ſcilicet tuam gratiam expertos.

De eodẽ alij bene alij male judicant.

Alii econtra dicunt, Veritatis te imprimis eſſe amantem, nec quidquam magis deteſtari quam mendacium & mendaces. Ajunt iidem, in mandando te prudentem, in ferenda ſententia juſtum, in exſequendo moderatum, & quæ præcipua laus eſt, in judicando omnis quaſi affectus eſſe expertem. Adjungunt, erga tenues & pauperes rara admodum & quaſi inaudita tam juſtitia quàm pietate te uti, ut quibus per jus a te abjudicata, è propriis tuis fortunis nonnumquam ſuppleas. Quum ego iis, quæ tu facis, non offendar, quæſo te ne iis, quæ ego ſcribo, tu offendi te patiaris. E tam diverſis namque judiciis & ſermonibus illud facile apparet, neminem tam bonum eſſe, in quo nihil mali, nec quemquam tam malum, in quo non aliquid boni reperiatur. Inter tot virtutes in Homero olim notata fuit vaniloquentia, in Alexandro Magno impotentia animi, in Julio Cæſare ambitio, in Pompeio ſuperbia, in Hannibale perfidia, avaritia in Veſpaſiano, in Traiano vinolentia, in M. Aurelio vani Amores. Horum tu collegio ſeu fraternitati adſcribi ne detrecta. Adſcribetis vero, ſi omnes intelligant, non tam hæc, quæ tam ſiniſtrè alii de te judicant, tua tibi culpa, quàm aliorum malevolentia & invidia evenire. Nulla virtus magiſtratibus magis neceſſaria eſt quam tolerantia. Magiſtratus enim, qui ipſe circumſpecte loquitur, aliorum vero acerbe dicta diſſimulat, deſcendere forte poteſt, cadere non poteſt.

Suus cuique navus.

Difficile regentium munus.

A vobis rerum publicarum rectoribus & Juſtitiæ miniſtris, à vobis, inquam, multo exactior vitæ norma, multoque major patientia requiritur, quam ab infimis quibuſque. De fortunis & rebus aliorum vos judicatis; at vitam veſtram & mores alii obſervant. Multos neceſſe eſt timeat, quem multi timent. Et utra pejor eſt conditio? Litigantis qui bonorum, an Judicis qui honoris jacturam facit? Sed illud tantum de ſuperbis, ambitioſis, & imperioſis magiſtratibus intelligendum eſt. Nam in manſuetis, benignis & æquis, quæ habent vitia, lubenter diſſimulamus, &, quos committunt, erroribus non gravate veniam damus. Quicunque cum laude Rempublicam adminiſtraturus eſt, eum tali animo eſſe decet, ut imbecillibus animum addat, laudet cordatos, defectus ſuppleat, injurias puniat, ſuccurrat paupertati, ſeditiones comprimat, concordiam alat & conſervet, mœrori ſolatium, lætitiæ temperamentum adhibeat, quæ luctum fere ſecum trahit. Si forte quod inſtituiſti, minus ad votum ſuccedat, immò in damnum etiam tibi vertat, ne tu tibi magnopere iraſcare. Qui enim facit quæ poteſt, feciſſe quoque cenſendus eſt quæ debet.

Magiſtratus officiũ.

Quum ergo cognatione propinquus, meritis pater, auctoritate Dominus, converſatione amicus mihi ſis: non tam te moneo quam rogo, ut mores comitate, ſermonem verò facilitate quadam & temperantia condias. Plerique enim vel uno aſperiori Judicis aut magiſtratus dicto gravius ſe læſos exiſtimant quam gladio alterius privari. Et quoniam à pleriſq, omnibus hujus Regni tam proceribus quam ſubditis pro homine probo & juſto Judice haberis: noli committere, ut qui tua facta laudant, ſermonem reprehendant. Hæc ego ad tantæ dignitatis virum nequaquam eſſem auſus ſcribere, niſi ut hoc facerem, tu mihi ipſe mandaſſes. Quod ſi aliquid in his ad guſtum tuum non erit, tibi ipſi imputabis, & ſi voles, mandatum tuum revocabis.

Tam facta quã verba à calumnia vindicanda.

Quando & quam ob cauſam Caſtiliæ Reges Catholici dici cœperint.

Quæris quam ob cauſam Caſtiliæ Reges Catholici appellentur, & quis primus hoc nomine fuerit nuncupatus. Hic quidem plures ſunt ætate provectiores, & in ſcribendo magis curioſi, à quibus iſthuc expiſcari potuiſſes. Sed doctius alii fortaſſe hæc præſtiterint; ego hac in re præcipuam veritatis rationem ſum habiturus.

Primo illud notandum eſt, Principes olim pleroſque ſingulari cognomento appellatos. Nabuchodonoſor *Rex regum*, Alexander Magnus *Rex Mundi*, Demetrius *Poliorcetes ſeu expugnator urbium*, Hannibal *Regnorum domitor*, Julius Cæſar *Princeps urbis*, rex Mithridates *Reſtaurator orbis*, Attila *Flagellum mundi*, Dionyſius *Hoſtis omniũ*, Cyrus *Vltor deorũ*, & apud nos Angliæ rex *Defenſor fidei*, Galliæ Rex *Chriſtianiſſimus*, & Hiſpaniæ Rex *Catholicus* appellati ſunt. Si cauſas & occaſiones ex quib⁹ hi omnes ita dicti ſint, expli-

Cognomenta aliquot Regum.

Digitized by Google

care velim, me ſcribendi moleſtia, te legendi faſtidio fatigato: mihi ſatis jam fuerit, quæ ad præſentem quæſtionem pertinet, breviter exponere.

Anno poſt Chriſtum natum DCCLIII. quinto die Julij qui Dominicus erat, ad flumen Bedalacum circa Xeres oppidũ, quod Emitaneum dicitur, albeſcente jam cœlo magnum illud & memorabile prœlium inter Gothos, qui Hiſpaniam tum tenebant, & Alarauos, qui ex Africa trajecerant, commiſſum fuit, in quo Roderico Rege cæſo, universum regnum Mauris infidelibus ceſſit. Muca enim eorum Imperator victoria hac ita uſus eſt, ut octo menſium ſpacio quidquid intra ſupradictum oppidum & Horodatas montes continetur, ſuo ſubjecerit imperio: quod deinde totis octingentis annis ægre a noſtris ac non niſi multo ſaguine potuit recuperari. Iis, qui è prœlio evaſerant, ſaluti fuerunt dictorum montium juga & ſaltus, & quamvis Mauri ad ipſam uſque Horodatam rupem Chriſtianos perſequerentur, ulterius tamen locorum aſperitate & frequenti ſuorum clade territi, progredi non audebant.

Amiſſo Roderico rege, & Gothis ad internecionem fere deletis, Hiſpani, ut formam aliquam imperii facerent, tantoque fa ilius hoſti reſiſterent, Pelagium quendam non minus bello ſtrenuum quàm felicem, & omnibus valde charum, ducem creant. Ejus rei fama poſtquam in Hiſpania percrebuit, ingens ſtatim ad eum bellicoſorum hominum concurſus factus eſt, quorum ille opera fortiter & prudenter uſus, Mauros magnis cladibus affecit, & victorias complures eſt adeptus. Tribus poſt annis Pelagius filiam ſuam Petro Navarræ Comitis filio in matrimonium collocavit, cujus filius fuit Alphonſus. Petrus hic genus ex ſtirpe Recaredi Gothorum regis ducebat, quo regnante Gothi, deſerta Arianorum hæreſi, ad Catholicam Eccleſiam redierunt, à ſanctiſſimo viro Leandro Archiepiſcopo, perſuaſi.

Decimooctavo poſt obitum Pelagii anno, Caſtulonenſes filiorum ejus unum Favilam nomine, Regem ſibi elegerunt, in venatione non multo poſt ab urſo interemtum: quum regnum vix biennium adminiſtraſſet.

Mortuo ſine hæredibus Favila, Caſtulonenſes ad Alphonſum, qui Favilæ ſororem in matrimonio habebat, regnum detulerunt. Regni ejus initium incidit in annum DCCLXXII. quod ille duodeviginti annis adminiſtravit, tanta cum laude & felicitate, ut notatum ſit, eos Reges omnes, qui nomine hoc, quod ille inter Hiſpaniæ Reges primus geſſit, appellati fuerint, à pietate & virtutibus ejus vix unquam degeneraſſe.

De hoc Alphonſo in hiſtoriis paſſim multa tam ſcitu quàm imitatione digna commemorantur. Primus hic è Navarræ regno Mauris in Galæcia arma intulit, ac multis prælijs victos, Aſtorga, Ponferrada, Villafranca, Toyo & Lugo expulit. Idem hic Alphonſus urbem Legionenſem Mauris eripuit, & regio palatio exornatam, in habitaculum ſibi delegit; quem ſequuti deinde complures Caſtiliæ reges, ibidem vixerunt & ſepulti ſunt. Primus idem poſt ſubactam & vaſtatam ab infidelibus Hiſpaniam, tẽpla, monaſteria, ptochotrophea, atque id genus quamplurima ædificia, Aſtorgæ præſertim, Tuyi, & Ribadei, tum etiam in via quæ Compoſtellam ducit, in uſum religionis ergò S. Apoſtoli Jacobi reliquias ibi viſentium inſtauravit, ut etiam paſſim in Navarra & Iberia: quæ omnia magnis proventibus dotavit. Idem libros omnes ſacros à Mauris occultatos aut ſurreptos, magna diligentia conquiri juſſit; deinde celeberrimos ejus ætatis ſcriptores & cantores Legionem evocavit, ut & divinis ibi decantandis officiis & libris ſacris exſcribendis vacarent: quos poſtea per univerſas Hiſpaniæ Eccleſias & conventus diſtribuit. Tantum enim fuerat Maurorum erga Chriſtianam religionem odium, ut vix ullum templum reſtaret, aut ullus ad religionis uſum conſecratus liber reliquus eſſet, qui ſacrilegas ipſorum manus evaſiſſet. Idem Epiſcoporum ædes templis contiguas eſſe voluit, ut tanto commodius divinis interesse officiis poſſent. Mortuus autem eſt Alphonſus anno ætatis LXXIV. poſt Chriſtum natum anno DCCXCIII. in urbe Legionenſi, incredibili bonis omnibus tam mærore quam deſiderio relicto. Quam vero charus Deo acceptuſq; fuerit, ſuaviſſima cœleſtium angelorum melodia eo ipſo momento, quo animam ille agebat, ad lecti caput exaudita teſtatum fecit, illud canentium: *Ecce, moritur juſtus, & nemo conſiderat: finiti ſunt dies ejus, anima ejus requiem inveniet.* Hiſpania certe omnis regis hujus Alphonſi memoriam in tanta veneratione habuit, ut tam fœminæ quàm viri vel nomen ejus numquam ſine geſtu aliquo & cultu externo uſurparent.

Alphonſi pietas.

Mors glorioſa & miraculo clara.

Tertio

Digitized by Google

Catholici cognomento honeſtatur. Tertio menſe poſt exceſſum regis Alphonſi, in conventu procerum decreto CATHOLICI cognomen ei tributum eſt, ad teſtificandum ſingularem ejus pietatem, & mirificum in Chriſtiana promovenda religione ſtudium & zelum.

Sic ergo Alphonſus Pelagii gener, tertius Caſtiliæ, ſed primus hujus nominis Rex fuit: idem primus templa Chriſtianæ religionis in Hiſpania reſtauravit: primus idem fuit, cujus mortem Angelicus chorus cantu celebravit: primus CATHOLICUS eſt appellatus, & primus tam glorioſum cognomentum Caſtiliæ regibus ſucceſſoribus ſuis quaſi per manus tradidit, quod ut illi hodieque uſurpant, ita ſane æquum fuerit, ut ejuſdem virtutes imitentur, in eo præſertim, ut Mauros & infideles oppugnent, & Eccleſiam defendant, nutriant & propagent. Hiſce valere te jubeo: & quemadmodum è principio hujus epiſtolæ ſincerum minimèque fucatum animum, ita è fine ejuſdem ſummam gratificandi tibi voluntatem deprehenſurum te ſpero. Segoviæ ix. Maij Anno MDXXIII.

Ad MOSEN PUCHIUM, *EPISTOLA.*

In qua mariti & uxoris officia prolixè deſcribuntur.

Quod Moſes Puchius Marinam Grallam uxorem duxit, & Marina Gralla Moſi Puchio nupta eſt, Deum ego immortalem precor veneror que, utrique ut bene feliciterque eveniat, utque illis hæc felicitas perpetua ſit. Quum enim Puchius uxorem quindecim, & illa maritum ſeptemdecim annos natum nacta ſit, verendum non erit, ne utrique vel ad capiendos matrimonii fructus, vel ad ejuſdem deploranda incommoda ſatis temporis futurum ſit. *Cito nubentes, cito pœnitentes.* Solon Athenienſibus ante viceſimum, Lycurgus Lacedæmoniis ante viceſimum quintum, Prometheus Ægyptiis ante trigeſimum ætatis annum matrimonii uſum interdixit: quod ſi contra quis feciſſet, tam ipſe quàm liberi ex eo matrimonio prognati inteſtabiles habebantur. Sed bene habet, quod uterque vos non Ægyptii, ſed Hiſpani, non Athenis, ſed Valentia oriundi eſtis: ne & vos pœnam, & liberi è vobis nati infamiam incurrant. Ego tamen, mi Puchi, quoties parentum tuorum in me beneficia, & quæ mihi cum illis intercedit, amicitiam recordor, non poſſum non vicem tuam, in tam tenera ætate tam gravi jugo ſubjecti, dolere: quod quum per ætatē per ferre non valeas, abjicere tamen aut excutere nullo modo liceat. Quod ſi pater tuus ad matrimonium te hoc adegit, ſane duriter ab eo atque immiſericorditer factum puto: ſin vero tu ipſo neſciente aut invito, uxorem ipſe duxiſti, quomodo imprudentiæ ac temeritatis notam effugies, qui ſeptemdecim annorum matrimonium inire & propriam familiam inſtituere non dubitaſti? *Adoleſcentes inconſulti & temerarii.* Nec vero tam veſtram ego temeritatem, qui hoc facere auſi eſtis, quam aliorum, qui fieri iſthoc paſſi ſunt, indulgentiam admiror. Ætatula quippe veſtra neque oneris quod ſuſcipitis, neque damni quod facitis, magnitudinem intelligit.

Libet hoc loco paullo accuratius ea explicare, quæ, ut matrimonium felix fortunatumque ſit, tam in marito quam uxore requiruntur: quæ ſi in vobis erunt, cauſſam non dico, quin inſcitiæ meo ipſius judicio condemnatus, recte & ſapienter à vobis contractum matrimonium pronunciem.

Officia matrisfamilias. Ac primo conditionum, quæ in uxore requiruntur, hæ ſunt præcipuæ: ut foris omnibus in rebus gravem quandam honeſtatem, & honeſtam gravitatem præ ſe ferat, domi tem familiarem prudenter adminiſtret, mariti mores ferat, liberos ſollicitè ducet, erga vicinos comem ac humanam ſe præbeat, ad uſum parcè, ad honorem liberaliter ſumtum faciat, cum bonis & probis converſetur, leves & famoſos homines fugiat, non loquax, non obtrectatrix, non vagabunda, ſed inſtar teſtudinis domi aſſiduè maneat.

Boni mariti. In maritis requiritur, ut ſint in ſermone ſedati, comes in converſatione, in ſuorum defenſione fideles, in conſilio dando & accipiendo prudentes, in procurandis rebus neceſſariis ſeduli, in regenda familia circumſpecti, in ferenda uxoris importunitate patientes, in liberorum educatione curioſi, erga omnes benigni, in rebus ſecundis moderati, in adverſis conſtantes: ceu

Digitized by Google

vivum denique exemplar quod univerſa familia intueatur & imitetur.

Jam ego illud quæro, utrum in ſeptendecim Moſis Puchii, & quindecim Marinæ Grallæ annis iſthæc reperiantur; imo utrum illis hæc vel fando ſint cognita, aut umquam in mentem venerint. Equidem ſic ſentio, tam teneræ ætatis homines, nec quot & quanta ſint iſta, intelligere, nec ſi vel intelligant, valde ea deſiderare: ſimulque moneo & prædico, ſi hæc illi non habeant, aut opere ipſo non expleant, fore ut annis labentibus aut oneri ſuccumbant, aut novis amoribus irretiantur. Meliori conditione eſt novitius Monachus quam adoleſcens uxoratus. Illi enim exitus patet; apud hunc ne pœnitentiæ quidem locus eſt relictus. Pauci illi, nimirum ſeptemdecim mariti, & quindecim uxoris anni, quanto multa plura ſecum incommoda allatura ſint, Moſi Puchio & Marinæ Grallæ olim facilius erit narrare, quam mihi nunc ſcribere. Ego enim, ſi quid hac de re dixero aut ſcripſero, fides penes auctorem erit: at utrique non niſi comperta affirmanti, & velut ocularis teſtibus, quis non credat? Præmaturæ iſtiuſmodi nuptiæ nihil aliud afferunt, quam pariendi difficultatem, imbecillitatem virium, copioſam prolem, detrimentum rei familiaris, zelotypiam, ignoratioñe officii & honoris. Decreſcit amor, creſcunt curæ, & quanto facilius tenera ætate coiit, tanto facilius provecta jam, diſſolvitur matrimonium. Monet cives ſuos divinus Plato, ne liberos prius in matrimonium elocent, quam ipſi diſcernendi habeant ſenſum. Quid enim facilius adoleſcenti quam uxorem ducere? aut puellæ, quam nubere? At mihi crede, longe majoris eſt operæ familiam alere & gubernare. Uxoratus numquam fui, nec forraſſis intelligo, quæ ad rem familiarem pertinent: illud tamen aliorum exemplo edoctus, pro comperto habeo, quibus felix contigit matrimonium, quaſi paradiſum quendam; quibus infelix, ipſum infernum domi ſuæ habere. Quis vero umquam maritus talem uxorem; aut quæ mulier talem maritum nacta fuit, in quo uterque non aliquid deſiderarit? principio quidem dum novi amantes ſe mutuo audiunt, vident, tangunt, dum tractantur ſponſalia, Amor mirum in modum calet; at matrimonio conſummato, quam cito tepet, ac plane refrigeſcit! Illud vero certo certius eſt, conſumta dote nihil præter curas,

Quod cito fit, cito perit.

Nemo ſine vitio.

rixas, odia, domi reſtare. Sed miſerrima inpriſmis eſt mariti conditio, cui ſi nobilis contigerit uxor, ſtultitia ejus ferenda eſt. Si proba & pudica; certe indotatam eam duxit. Si dives; non jam uxorem, ſed dominam habet. Si formoſa; Argo oculatiorem in ea cuſtodienda ſeſe optabit. Si deformis; domum, quantum poterit, fugiet, aut alienum thorum ſequitur. Si parca & ſobria; brevi ſervos omnes & ancillas eliminatos videbit. Et quid multa dicam? O miſerum maritum! qui ſi uxorem domi tuæ includas, aſſiduas ejus audies querelas; ſi domo pro lubitu egredi permittas, pudicitiam ejus periculo, & honorem tuum malevolorum voculis objicies. Si eam objurges, eetouam aut caperata fronte torvum obtuentem videbis, nec ut voles, cœnabis; ſin taceas, tanto feceris arrogantiorem. Si pecuniam illi des tractandam, ilicet jam res tua mortua eſt; ſin tu ipſe tractes, aut crumenam tibi expilabit, aut domum expoliabit. Si domi ſis aſſiduus, zelotypum te credet, ſin foras ſæpe prodeas, ac tardius domum revertaris, commeſſationibus aliisque illicitis voluptatibus deditum te exiſtimabit. Si bene veſtitam & ornatam habeas, ut ſpectetur, plateas omnes peretrabit; ſin male, non eſt ut lætam cum ea cœnam ſperes. Si te ejus amantiſſimum oſtendas, formæ ſuæ & doti eam gratiam deberi putabit; ſin eam neglias, ſibi tibi animum eſſe arbitrabitur. Si quæ rogaverit, celes, numquam importuna tibi eſſe deſinet, dum ea exſculpat; ſin ſecreta aperias, non diutius tacebit, quam cui narret nacta fuerit. Quis igitur dubitat, ſi in urbe aliqua dena ſint conjugum paria, in pare bene ac feliciter viventium, quin centena ſint eorum, quos conditionis ſuæ pœniteat ac tædeat, quique ſtatim alter alterum res ſuas habere juſſuri ſint, modo tam facile cum parocho quam cum ſua conſcientia diſpenſare poſſent. Certe ſi apud Chriſtianos eadem eſſet matrimoniorum, quæ apud Gentiles ratio, ut ſcilicet tam leves, aut nullas etiam ob cauſſas divortium facere liceret; credo ego multo plures Quadrageſimæ tempus ad diſſolvendum, quam Saturnalia ad copulandum matrimonium deſideraturos.

Nullum commodum ſine incommodo.

Capti volare, liberi capi expetunt.

Cum paribus contrahendum eſſe matrimonium.

PRæcepta & conſilia quæ tam iis, qui matrimonium ineunt, quam qui inituri ſunt, hic

hic daturus ſum, etſi ad tollendas omnes matrimonii moleſtias ſatis non ſunt, ad eaſdem tamen leniendas aliquid habebunt momenti. Primum illud meum conſilium eſt, ut tam vir quàm uxor conditione parem ſibi quærat, nobilis ſcilicet nobilem, civis civem: & ſic de ceteris. Nam ſi hic quædam ſit inæqualitas, inferior animum ſemper contrahet, ſuperior deſpondebit. Mercatoris filia ſi nobili nupſerit, aut dives ruſticus primarii civis filiam uxorem duxerit, uterque domi ſuæ alet præconem infamiæ, fortunarum calamitatem, & vitæ peſtem. Male auſpicatas facit nuptias, quisquis talem ſibi adſciſcit generum aut nurum, qui ſocerum patrem, aut ſocrum matrem appellare erubeſcat. Talis non generum ſed malum genium, non nurum, ſed furiam, non vitæ comitem, ſed litis fomitem, non laudis præconem, ſed fortunarum prædonem, domi ſuæ habebit. Et ô felicem, ſi filium aut filiam extuliſſet potius, quam in tales nuptias collocaſſet! Mortuos enim cognati unum & alterum diem luxiſſent; at male nuptarum fortunam quotidie deplorant. Diviti mercatori, pauperi Nobili, ruſtico diligenti, ſedulo opifici nihil opus eſt tali nuru, cujus omnis labor & induſtria in expolienda forma & conquirendo ornatu conſumitur. Quæ enim iſta re occupantur, propediem domi, quam curent, rem nullam habituræ ſunt. Nec minus ſtulte facit plebejus, in domum ſuam talem generum introducens, qui nihil aliud ſciat quàm jactare ſuam nobilitatem, equum in gyrum agere, aulicum extra aulam agere, ludere alea, guſtatique ſemel ſibi dicere litus echini. Tum enim miſer ſocer genium ſuum defraudabit, ut genero ſit, unde dapſiles faciat ſumptus, & nobilitatem ſuam, ſcilicet, tueatur. Omnibus itaque id unum hac in re ſpectandum puto, ut liberis ſuis paria quærant matrimonia: quod conſilium qui negligent, eis ego vereor, ne ut in conjugio ineundo ſtultitia dux fuit, ita in tota vita degenda mœror futurus ſit comes.

Æqualē elige.

Malum matrimonii perpetua miſeria.

Illud quoque ſuadeo, ut quiſque conjugem ſibi ipſe capiat moribus ſuis congruentem. Qui enim à parentibus inviti collocantur, non conjugium ſed carcerem iniiſſe cenſendi ſunt. Ut firmum & ſtabile ſit matrimonium, corda prius quam manus copulari oportet. Recte fecerit pater, ſi liberis, quod ſibi placeat, quod diſpliceat matrimonium, oſtenderit: ſed cavebit, ne invitos ad nuptias, quas cordi non habent, cogat: Tales enim nuptiæ nihil aliud pariunt, quam inter conjuges odium, inter ſoceros rixas, apud vicinos ſcandala, inter cognatos lites, inter affines calumnias & obtrectationes. Nec minùs filios filiaſque monitos volo, ne ſubito aut clam matrimonium contrahant, quod multos in juventute temere facere videmus, cæci cujusdam & inconſulti amoris calore: qui ubi deferbuit, triſtitia, mœror, atque adeo odium ſuccedunt. Ecce tibi juvenem aliquem licentia corruptum, qui nec quid amet, nec quid ſequatur, ſciat: ſi forte puellam viderit, cujus forma aut quid aliud ipſi placeat, ſtatim illam deperit, ac dicto citius uxorem ducit; quam tamen vix primo guſtato amoris fructu averſari, immo cane pejus & angue odiſſe incipit. In matrimonio illud omnibus rebus præverti debet, ut amor inter conjuges ſartus tectus conſervetur: qui ſi vitium faciat, adeoque perpluat, vix ulla amicorum aut vicinorum opera ſarciri poteſt. O quæ ibi vita eſt, ubi alter alterum vix voce dignatur! adeo ut ad aſpectum eorum vel lac aceſcat. Quare ut amor verus ſit & ſtabilis, neceſſe eſt, ut in ipſum cor ſenſim ſeſe inſinuet, ibique radices agat, in primis vero, ut Timorem Domini habeat fundamentum. Hoc enim niſi nixus fuerit, eadem celeritate, qua venit, avolabit. Multi ſubitò amare mutuo occœperunt, at ſenſim odiſſe ſe mutuo didicerunt. Inter vitæ hujus ærumnas poſtrema illa non eſt, quod matrimonii jugum plerique ita ferunt, ut in diverſa tendentes, non modo mutuo ſeſe impediant moleſtiaque afficiant, verum etiam infeſtis animis tamquam obverſis capitibus concurrant atque arietentur.

Hoſtis eſt uxor quæ invita ad virum nuptum datur.

Quemadmodum vero parentibus ſuaſi, ne invitos filios aut filias ad nuptias extrudant; ita viciſſim liberis auctor ſum, ne inſciis parentibus contrahant matrimonium, ne plus ipſis parentum noceat exſecratio, quam vel ampliſſima dos ſit profutura. Et quæſo, cur non hac in re cumprimis parentum conſilio juvenes utantur? qui nihil aliud ferè penſi habent, quàm ut formoſa conjuge potiantur: at parentes non ignari quàm fragilis & jejuna res forma ſit, filiis ſuis talem eligent, quæ honeſtis natalibus orta, pudicè educata, virtutibus potius quàm

Clandeſtina fuge matrimonia.

formæ

Digitized by Google

Formæ gratia fluxa.

formæ venuſtate ornata ſit. Clandeſtina contrahentes matrimonia & leves & crudeles exiſtimandi ſunt, ut qui ſibi ipſis probrum, parentibus luctum, amicis mœrorem, & malevolis gaudium concinnent. Fit ſæpenumero, ut poſt multos tam in liberorum educatione, quam dotis acquiſitione, inſumtos labores, dum parentes in eo ſunt, ut filio vel filiæ de honeſto matrimonio proſpiciant, eos jam clanculum cum aliis copulatos experiantur: ex quo ſequitur, ut mater ingemiſcat, pater mœrore & pudore contabeſcat, ſperati affines indignentur, amici ringantur. Sæpe etiam filius talem uxorem ducit, ut parentis & dotis pœniteat, & nurus pudeat. Interdum quoque parentes filio opulentam quærunt uxorem, ut ex ejus dote filiæ quoque ſubveniant: at quia ille pluris amorem facit quam dotem, & magis hac in re formam quam fortunam ſpectat, fit, ut ſeipſum ille decipiat, ſororem, dum deſertam eam patitur, quantum in ſe, proſtituat, & parentes ingentibus curis & miſeriis involvat. Græci olim, teſte Plutarcho, eos qui inſciis aut invitis parentibus uxores duxerant, publica afficere ſolebant ignominia; & apud Lacedæmonios iidem non intestabiles ſolum, ſed etiam deteſtabiles omnibus habebantur. Sed talibus nihil magis timendum eſt, quam parentum execratio: quam qui flocci faciunt, non minus errant quam qui eorundem benedictionem & fauſta pro filiis vota aſpernantur. Hebræi certe parentum benedictiones omnibus majorum titulis aut fortunis potiores judicabant.

Paterni imperii ſpreti pœna.

Mulierem verecundam, ac minimè loquacem eſſe debere.

IN eligenda uxore non minus utile quam neceſſarium conſilium eſt ut, pudica & verecunda quæratur. Ut enim omnes virtutes mulieri deſint, pudor tamen nullo modo deeſſe debet, qui in hoc ſexu utramque, quod dicitur, paginam facit. Periculoſiora quidem conſcientiæ ſunt occulta mulieris flagitia; ſed honorem magis lædit aperta ejusdem inverecundia & impudicitia. Multa ſexus muliebris vitia unus pudor velat & tegit; at vultus & mores inverecundi etiam majora vero ſuſpicandi anſam præbent. Sic ego ſentio, parum eſſe in pudica muliere quod reprehendi, at in impudica nihil quod laudari poſſit. Caſtitatis, honoris, ac fortunarum etiam unicum munimentum fœminis Natura dedit, Pudorem ſcilicet, quo amiſſo, nullum in eis flagitium incredibile videbitur. Qui matrimonia tractant, præcipuam non divitiarum, ſed pudicitiæ rationem habere debent. Illæ enim diligentia & labore acquiri poſſunt, at hæc nec ignota diſcitur, nec perdita recuperatur. optima dos eſt Pudicitia: qua deſtitutam pater filiam mœroricum dolore ad ſepulturam efferet, quam nuptum dabit.

Impudica muliere nihil pejus.

Sunt quædam mulieres dicaces vel mordaces potius, quæ omni ſtudio urbanitatem quandam, ut ſibi videntur, affectant, nugivendulæ, dicaces, ineptæ, garrulæ. Nullam ego autem paraſitica hac honeſtæ mulieri minus decoram judico.

Quod enim in viris urbanitatis, in fœminis levitatis ſpeciem habet. Fœminam, ſive matronam ſive virginem, nihil magis dedecet quàm nugæ, & inanes aut ſcurriles ioci, quos non modo non narrare, ſed ne audire quidem eis fas eſt. Gravis & honeſta matrona non illud operam dat, ut ſciola & iocoſa, ſed ut taciturna & honeſta videatur. Quod ſi linguæ habenas laxare, & urbana ac dicax eſſe cœperit, audientibus quidem riſum movebit, ſed digreſſis calumniandi non quod dictum eſt, ſed eam, quę dixit, occaſionem dabit. Tam tenera res eſt muliebris verecundia, ut quæ viris facere, eis ne cogitare quidem liceat. Fœmina honoris ſui amans non dictu modo turpia, ſed etiam minus neceſſaria ſilentio premit. Tacendo enim raro peccat; loquendo, ferè ſemper. Quis ejus mariti fortunam ſatis deplorare poſſit, qui uxorem nactus eſt dicacem, nugigerulam, & impudentem? quæ ſi ſemel aut queri, aut narrare quid inſtituerit, nec rationi, nec blandis verbis ullum locum dabit. Quod nonnullæ mulieres à viris male tractantur, virulentæ & effrænis linguæ culpâ ut plurimum evenit; quam ſi ſubigere & continere poſſent, viri ſuavius pranſuri, & ipſæ jucundius cœnaturæ eſſent. Sed quid fit? Vix grunnire incipienti marito ſtatim oggannit, ac deinde, quantum poteſt, occlamat uxor. Hinc rixæ, & manuum etiam concertationes: ad quas dirimendas tota vicinia concurrit.

Sed taciturna.

Mulie-

Digitized by Google

Mulierem tam verbis quam factis verecundam & domi aſſiduam eſſe debere.

NOn minus neceſſaria mulieri virtus eſt, ut domi ſit aſſidua, ac tam verbis quàm factis ſexui ſuo decentem modeſtiam præ ſe ferat. Qui enim domi quaſi omni imperio ſolutæ vivunt, foris diſſolutæ videantur neceſſe eſt. Mulierem oportet cautam eſſe in eo quod dicit, magis vero timidam & circumſpectam in eo quod facit. Quæ vero ſuſque deque habent quid dicant, parum etiam curabunt quid faciant. Nemo tam ſtupidus eſt qui non intelligat, quanto tenerior ſit mulieris honor quàm viri. Hic enim non niſi commiſſo, & quidem teſtibus probato flagitio, infamis habetur: at mulieris fama & ipſa occaſione periclitatur, & vel levi ſuſpicione vulneratur. Mulier quæ pudica eſt, quæque pudica haberi vult, tanto magis erit pudica, quanto minus ſibi ipſa confiſa fuerit, in eo ſcilicet, ut nec aures levibus verbis, nec animum fictis cujuſquam promiſſis præbeat, multo minus muneribus captari ſe ſinat. Quæcunque fœmina, ſeu virgo ſeu nupta, ſi vel Lucretia ipſa ſit caſtior, ſi procantium verbis aures accommodare aut eorum ſervitia acceptare velit, jam ego actum de ejus pudicitia exiſtimo. Quod ſi qua dicat, joco hæc tantum & quaſi per ludum à ſe fieri; ei ego prædico, fore ut ex hoc ludo in ludibrium incidat. Eoque omnes cujuſcunque ſtatus fœminas moneo & hortor, ut nec affinibus aut cognatis nimis ſe familiares faciant, aut ſolæ cum ſolis converſentur. Quod enim timetur, ne cum peregrinis familiariter converſando fiat; id timendum eſt, ne, ſi cum affinibus ſolæ ſint, ſuſpicetur quis aut dicat. Ne ſibi illud perſuadeant honeſtæ fœminæ, ob cognationis propinquitatem neminem quidquam mali de ipſis ſuſpicare poſſe, etiam ſi ſolæ cum ſolis congrediantur. Quum enim tanta hominum ſit malignitas, ut etiam de cogitationibus judicium & ſententiam ferre non dubitent; quanto magis de iis quę in oculos incurrunt, judicare ac pronunciare audebunt. Utinam quod dicturus ſum, fœminæ omnes & recte intelligant, & animo quam altiſſimè infigant! Hoc ſcilicet: Viro, quia vir eſt, ſatis eſſe ut probus ſit, etiamſi non videatur; at mulieri, quia mulier eſt, non ſufficere ut honeſta ſit, ſed requiri etiam, ut talis omnibus videatur. Et quemadmodum rerum ad victum & uſum familiæ pertinentium procuratio ab uno marito, ita univerſæ domus honor à ſola muliere dependet: quæ tantum honeſtatis habere creditur, quantum in matrefamilias apparebit. Honorem hic eũ intelligo, non qui mulieri vel ob formam, vel generis nobilitatem, vel etiam œconomicam prudentiam & frugalitatem vulgo habetur, ſed qui vitæ integritati, & tam verborum quam factorum modeſtiæ jure debetur. Primarii cujuſdam inter Græcos uxor à marito reprehenſa, quod oris ſibi graveolentiam non indicaſſet, Ego vero, inquit, ſic olere viros omnes putabam. O pudiciſſimæ mulieris dignum imitatione exemplum! quæ ne oſculum quidem viro alieno dedit, quàm ſanctè in reliquis pudorem cuſtodiviſſe exiſtimanda eſt.

Facilius læditur mulieris quā viri honor.

Superbiam & iracundiam fœminis fugiendam eſſe.

MUlierem itidem comprimis decet, ut ſuperbiam & ambitionem procul à ſe habeat, & manſuetudinem patientiaq; omnibus in rebus præ ſe ferat. Duæ res ſunt quæ pleraſque mulieres corrumpunt & deturpant. Una, quod multa loqui; altera, quod pauca ferre amant: quæ ſi tacerent, laudem ab omnibus; & ſi pati aliquid in animum inducerent, bonam à marito gratiam facile ſint conſequuturæ. O miſerum hominem, cui ferox & iracunda obtigit conjux. Non Ætna mons tantas eructat flammas, quantum os iracundæ mulieris evomit veneni. Magis timenda eſt mulieris ferocia quàm viri iracundia. Hic enim ſtomachans jurgabit forte; at illa quidquid probri & convicii in buccam venerit, effundet. Nec vir cordatus, nec prudens mulier cum ſtomachante muliere quidquam rei habebit. Ubi enim illa ſemel verecundiæ limites tranſgreſſa, iracundiæ habenas permiſerit, non ea ſolum, quæ vidit aut audivit, ſed & quæ ſomniavit, effutiet, & quemquem aſpexerit, omnia mala ingeret. Volupe eſt videre mulierem ira æſtuantem, parum ſui compotem, nec ſeipſam videre, nec alios audire, nec ullam admittere excuſationem, nec ulli conſilio locum dare, ac tandem eo, quicum jurgare cœpit, relicto, tamquam rabioſam canem eos, qui bono animo medios ſeſe interponunt, in-

vadere & mordere. Mulieri Natura feroci & iracundæ nunquam quiſquam perſuaſerit, ſine cauſſa illam iraſci: eoque ſatius eſt furentem ferre, quàm adverſando ex inſana inſaniorem facere. O infelicem domum quam mulier iracunda incolit! quæ & ſolers eſt ad fingendas, & velox ad arripiendas cauſſas furoris, tum in ſuis pervidendis vitjis plus quam cæca, & corrigendis plus quam tarda. Periculoſa res eſt ferox mulier: ut quæ mariti amorem deſpicit, juſſa negligit, iram contemnit, atque etiam ultro provocat, cognatis opprobrium, ſibi odium conciliat: ex quo ſæpè fit, ut maritus pedibus ipſi corpus metiri, & manibus capillos depectere cogatur. Quis ſine riſu mulierem ſtomachantem, ac inſtar Herculis aut Orlandi furioſi paratragœdiantem aſpiciat? at quis non obſtupeſcat, eadem plenis buccis convicia fundente, & quæ ſunt, quæque non ſunt, objiciente? Aio tibi, quiſquis es, ſi umquam ejuſmodi litigii proceſſionem cum tali muliere inſtitueris, longiſſima tibi inauditorum etiam conviciorum litania erit audienda. Marito illa dicet, nihili eſſe hominem, & negligentem rei familiaris; filiis, lurcones eſſe, & inutilia terræ pondera; filiabus, jam lupanar olere; amicos, homines ingratiſſimos; inimicos, ſceleſtiſſimos proditores; vicinos, invidos nebulones appellabit: tum miſeram deplorabit fœminarum conditionem, quod ſcilicet nullus omnino vir uxori fidelis reperiatur. Ut paucis dicam, muliebris lingua tale flagellum eſt, quod nemini hominum parcit. Memini inter virum & uxorem, cæteroqui honeſtos homines, de divortio aliquando tractatum fuiſſe, eam tantum ob cauſſam, quod maritus triſtis interdum cœnaret, & noctem per frequentia ſuſpiria exigeret. Uxor enim ajebat, maritum in menſa ipſi mali aliquid machinari, in lecto vero formoſæ alicujus pellicis amore ſuſpirare quum tamen miſer ille nullam aliam triſtitiæ cauſſam haberet, quam quod pro amico de magna pecuniæ ſumma ſpopondiſſet; quæ ſponſio omnem illi lætitiam expectorabat. Quamvis autem ego monendo, rogando, objurgando omnia conatus eſſem, non tamen prius eos in gratiam reducere potui, quam mihi ille ſancte promiſiſſet, nec in menſa triſtem ſe fore, & in lecto ab omnibus ſuſpiriis temperaturum, & cum uxore amicabiliter potius converſaturum, Mulier

Mulier iracunda quid lucri faciat.

Muliebris lingua peſſimum flagellũ.

quæ miti eſt & æquo animo, à marito amatur, ab ancillis & famulis colitur, à vicinis ſuſpicitur, ab affinibus laudatur: at ſuperbam & ferocem domeſtici deteſtantur, vicini oderunt, amici fugiunt, omnes denique limen ejus tamquam Orci oſtium averſantur, & tamquam ſtrigi occurrere ei metuunt: maritus interim, etiamſi illa nobilis aut formoſa ſit, remque familiarem bene & frugaliter adminiſtret, diem illum, quo matrimonium cum illa contraxit, aut prima verba habuit, exſecratur, & miſerrimam ducit vitam.

De virorum erga uxores officio: ac primum ne rigide eas tractent, maximè noviter nuptas.

IAm ut maritorum erga uxores præcipua officia explicemus, ordo monet. Ac primum illud ego cuivis marito conſulo, ne conjuges, præſertim nuper domum deductas, rigide tractet. Neque enim pax in illa domo conſiſtere poterit, in qua nec mulier racere, nec vir quid quam ferre poteſt. Stultorum potius ego coloniam quam familiam illam dixero, in qua prudentia patri & patientia matrifamilias deeſt: nec ibi quidquam aliud exſpectandum, quàm ut mox alter ab altero profugiat, aut quotidie ad manus veniant. Mulieris natura tenera eſt & fragilis: eoque viri eſt mulieris vitia, quantum fieri poteſt, ferre & diſſimulare, inprimis verò operam dare, ut quidquid in illa ſibi diſplicuerit, vel patientia vincat, vel leniter corripiendo aut etiam blandiendo emendet. Quod ſi viri conditionem commiſeramur, cui ferox & ſuperba mulier nupta eſt: quanto magis miſeræ condolendum eſt mulierculæ, cui rigidus & auſterus obtigit maritus. Sunt enim viri quidam tam feroci, iracundo & turbulento ingenio, ut nec mores eorũ quiſquam ferre, nec uxores, quidquid egerint, recte aliquid & ex ipſorum ſententia agere, aut gratiam ipſorum demereri poſſint. Multa quidem ſæpe incidere non ignoro, quæ conjugum pacem interturbent, at tum maxime ſapientiam ſuam oſtendet, & quæ uxor per iram dixerit aut fecerit, vel joco excipiet, vel ſilentio eludet. Nam ſi ad ea omnia, de quibus uxor conqueritur, animum advertere voluerit, crede mihi, nec Samſonis vires, nec Salomonis ſapientia ipſi ſatis erunt.

Mulier tacere, vir ferre diſcant.

Heic ego maritos omnes rogo, ut, quæ dicturus ſum, probe perpendant, ut memori animo re-

Mulier bona verbo, mala ne facto quidem domatur.

mo recondant. Aut prudentem, aut fatuam mulierem nactus es. Fatuam ſi objurgaveris, laterem lavabis, vel Camarinam potius movebis: at prudenti aſperius aliquanto verbum ſat eſt. Erras, ſi quæ verbis in muliere corrigere nequis, minis & verberibus te correcturum ſperas. Mulier dum iraſcitur, ferenda; at ubi ad ſe rediit, prout res requiſiverit, monenda, & vel leniter, vel aſpere etiam objurganda eſt. Si enim maritus ſemel ei manus injecerit, vix poſtea umquam abſtinebit. Qui prudentis viri & boni mariti officio fungi velit, non tam vim & rigorem, quam rationem & æquitatem in corrigenda uxore adhibebit. Ea eſt quippe fœminarum natura, ut duci potius quam cogi velint: tum etiam, ut poſt triceſimum annum mores & ſtudia omnibus in rebus mutent.

E principio finis.

Illud inprimis cavebit maritus, ne in ipſo, quod dicitur, limine impingat, & prima matrimonii auſpicia turbis & rixis inauſpicata reddat. Si enim initio ſtatim mulier ipſum odiſſe cœperit, ſero admodum aut numquam poſtea amabit. Quin potius novam nuptam quam poterit blandiſſime tractabit, ex quo fiet, ut ſi poſtea diſcordiæ aut rixæ aliquid intervenerit, tanto facilius malo huic remedium invenire poſſit, ut cujus origo non ex inveterato odio, ſed recenti offenſione trahatur. Non magis aqua & ignis contraria ſunt, quàm amor & odium: quorum alterutrum ſi cor & animum ſemel occupaverit, excluſo altero, perpetuam ibi ſedem figet; quemadmodum videmus, primos quidem amores ab homine abſcedere, ſed eorum memoriam è corde expelli non poſſe. Quod ſi initio matrimonii uxor odii erga maritum ſemina conceperit, nihil aliud reliquum eſt, quam ut ætatem ipſa male exigit, & maritus, in ſenectute præſertim, ſemper miſer vivat.

Satius eſt marito amari quam metui.

Quidquid enim fecerit, ut ipſum metuat, fortaſſe uxorem ſubiget; at ut ipſum amet, numquam impetrabit. Jactant nonnulli mariti, quantopere à domeſticis, uxore præſertim, obſerventur & metuantur: quorum ego fortunæ condolendum potius quam invidendum exiſtimo. Quæ enim maritum meruit, revera eum odit, ſed ſimulatè colit; at quæ à marito amatur, viciſſim eum amat, & veris officiis proſequitur ac demulcet.

Quæ maritū odit alios adamabit.

Mariti gratiam & amorem captet uxor; ſed maritus uxoris odium vitet. Si enim illa oculos in alium conjecerit, numquam cavebit maritus, quin illa ſuis amoribus potiatur. Enitatur igitur potius, ut pro decerpto virginitatis flore dignum aliquem fructum & mercedem uxori rependat, cujus ſolatio tam longum tamque ſalebroſum matrimonii iter facile & jucundè cum ipſo emeriatur. Quid enim, quæſo, in conjugio boni ineſt, niſi uterque operam det, ut nec maritus uxorem, nec uxor maritum meliorem optare ſibi poſſit? Inviſi uxori viri facultates direptioni patent, honor infamiæ proximus, vita periculo propoſita, tota deniq; domus ſuſpicionibus, rixis, turbis, & miſeriis plena eſt. Neque enim mulier cum quo male vivit, eum diu vivere expetet.

Cavendam eſſe maritis nimiam erga uxores zelotypiam.

ADdo jam aliud non minus ſalutare conſilium, quàm neceſſarium præceptum, ne ſcilicet maritus nimia zelotypia tam vicinos quàm alios offendat. Duo ſunt hominum genera, qui hoc morbo vehementer laborant. Primum eorum, qui natura invidi ſunt & malitioſi: alterum eorum, qui ipſi per libidines ſuperiorem ætatem egerunt. Et hi quidem mirum non eſt ſi ſuſpicentur, quæ aliorum mulieres cum ipſis olim fecerint, eadem ſuas cum alienis viris facturas. Sed ſtultè faciunt, qui hæc cogitant; imptobe, qui dicunt. Eſto, ſint fœminæ quædam leves, & pudoris prodigæ; nemo tamen, opinor, negabit, multas quoq; honeſtas, pudicas & caſtas reperiri. Ut falſo quiſquam dixerit, mulieres omnes probas eſſe; ita minus rectè, omnes eſſe improbas. Convenientius ergo eſt & verius ut dicamus, in utroq; ſexu nec quod laudemus, nec quod vituperemus deeſſe. Ego fœminæ levi & vanæ non modo frænum injiciendū, verum etiā omnem occaſionem præcidendam arbitror, eatenus tamen, ne dum pudori ipſius nimis dura cuſtodia ponitur, ipſa ad deſperationem redigatur. Negari non poteſt eſſe quaſdam ingenio mulieres, ut nec minis nec pœnis à turpi & libidinoſa vita adduci ſe patiantur: immò quædam in hoc natæ videntur, ut oneri ſint maritis, & cognatis probro. E contra quædam tam caſtis, tam puris, tamq; limpidis ſunt moribus, ut & ſingulari ſuæ familiæ ſint ornamento, & omnibus admirationi, utque adeo natura ipſa eas tamquam luci diſ-

Ex ſuo ingenio quiſque alios æſtimat.

Digitized by Google

finium omnis elegantiæ & virtutis ſpeculum cæteris ad imitandum propoſuiſſe videatur. Ut ad propoſitum redeam, uxorem ſi quis intra limen continuerit, à feneſtris interdum abſcedere, & à ſuſpectorum hominum ſocietate abſtinere juſſerit, meo judicio non peccabit; ea tamen cautione, ut magis ipſius pudicitiæ, quam à ſe poſitæ cuſtodiæ fidere videatur. Ut ſollicitè viri uxores ſuas habeant & cuſtodiant, laudo; ut zelotypia eas proſequantur, non probo. Nititur enim in vetitum ſemper fœmina, & negata ardentiſſimè concupiſcit. Suſpectam ergo uxorem obſervabit quidem diligenter maritus, id tamen quam poteſt maximo ſtudio celabit. Si enim mulier id agi ſenſerit, mille fraudes, dolos & aſtutias comminiſcetur, nec prius quieſcet, quam ex incerta ſuſpicione rem certam fecerit, non tam libidinis pruritu, quam injuriæ, ut ipſi videtur, vindicandæ ſtudio. Nec vires Samſonis, nec Homeri eruditio, nec Cæſaris Auguſti prudentia, nec Pyrrhi ſolertia, nec Jobi patientia, nec Hannibalis ſagacitas, nec Argi vigilantia ad unam domandam & pro lubitu regendam mulierem ſatis ſunt. Nulla humana vis tanta eſt, quæ mulierem bonam eſſe nolentem, ut proba ſit, ſubigere queat.

Fide, ſed vide.

Omnia vincit muliebris aſtutia.

Porro vitia quæ maritus in uxore animadverterit, nequaquam divulgabit, aut verberibus ſtatim vindicabit, ſed commonefaciendo, monendo, hortando, blandiendo, objurgando ac diſſimulando vel emendabit, vel leviora ſibi ad ferendum reddet. Da mihi vel ſapientiſſimam ac patientiſſimam mulierem: eadem tamen ſi vel formam ſuam contemni, vel pudicitiam ſugillari ſenſerit, quàm vehementiſſimè excandeſcet. Nam mulier, etſi impudica ſit, pudica tamen haberi; & ſi vel maximè deformis ſit, formoſa tamen videri volet.

Spreta injuria formæ.

Quocirca, ſi maritus talem habeat uxorem, quam certum habeat nec corpus ſuum, nec mariti honorem proſtituere, nec fortunas dilapidare; zelotypiam ei omnem tam in verbis quam factis ſegregandam ac fugiendam exiſtimo, quamvis ſæpè nonnulla palato minus grata uſuveniant. Quanto enim magis uxoris pudicitiæ confidet maritus, tanto illam arctius, ut talis ſit, qualis marito videtur, obſtringet.

Conjugum rixas ad vicinorum aut aliorum notitiam minimè eſſe deferendas.

RECte etiam atque utiliter conjuges fecerint, ſi rixas inter ipſos ortas, vicinos, quantum poſſunt, celârint, nec alter de altero apud alios conqueratur. Quo quid aliud efficiunt, quam quod invidis ridendi, & vicinis obtrectandi materiam ſubminiſtrant? Sunt mariti quidam adeo imprudentes ac male conſulti, & uxores tam impatientes, ut nec illi ſine ſtomacho objurgare, nec hæ ſine vociferatione objurgantibus reſpondere poſſint: adeò ut vicini totam ſeptimanam eorum ſedandis diſcordiis & componendis rixis, & dies feſtos eorum audiendis querelis conſumant. Conqueritur maritus, uxorem ſuam inſolentem eſſe, ſuperbam, iracundam, maledicam, rixoſam, ſuſpicioſam, quavis tempeſtate atrociorem, quovis turbine incitatiorem, pigram inſuper, temulentam, in medios uſque dies ſtertere, rem familiarem ſuſque deque habere, cognatarum, vicinarum & compotatricum domos frequentare, ac limen ſemel egreſſam, vix demum cum noctiluca domum reverti; facultatum denique ſuarum carcinoma, & certiſſimam vitæ eſſe peſtem. Econtra mulieres, quia viribus non poſſunt, tanto magis lingua ſolent ulciſcuntur, obviis quibuſque conquerentes; aliæ, maritum ſe habere triſtem, melancholicum, taciturnum, cujus mores nec domeſtici, nec ipſe vicinorum mores ferre poſſit; aliæ cerebroſum, & turbulentum ſe nactas eſſe, qui cholera incenſus famulos & famulas fuſtigare; & uxori calanticam è capite deripere, eaque os obverberare non vereatur. Conqueruntur aliæ variis à marito ſe conviciis proſcindi: jam deformes, bliteas, inſulſas, ſordidas, aliiſque ejuſmodi nominibus appellari, quæ & lachrymas ſibi exprimant, & ipſa viſcera pænè rumpant. Conqueruntur etiam cognatorum & amicorum viſitatione à marito ſe prohiberi, immò vix divina adire officia ſibi permitti, & quamvis nullam male ſuſpicandi marito anſam dederint, domo tamquam captivas includi & aſſervari, foribus, feneſtris ſummoveri, non verbum cum quoquã commutare, non nitidiori veſtimento uti licere, ne forſan aliis placeant: non ſecus denique quam Palladium aliquod aut Deo dicatas virgines cuſtodiri.

Rixa ne limen egrediantur.

Quæ mariti uxoribus objicere ſoleant.

Quæ uxores de maritis.

Conque-

Conqueruntur item, nec verbis ſuis apud maritos fidē, nec factis ullam gratiam conſtare: quinimmo eoſdem ira percitos probra queq; & convicia oggerere, & quidquid ad manum fuerit, in caput ipſarum jacere. Conqueritur alia maritum Venerium eſſe nepotulum, alienis inſidiari thoris, viduas procari, cum puellis ludere, propria vero uxore ad nullam aliam rem quam ad latrinam lavandam & id genus viliſſima miniſteria uti. Alia conqueritur, maritum penum omnem ad ſuæ ſarinæ homines clanculū congerere, immo uxori veſtes & ornamenta, quæque alia ſua ipſa manu ſibi nevit aut labore acquiſivit ex arcis ſuppilare, & ad amicas deferre. Alia queritur maritum totas dies & noctes ludere, & non modo quidquid vel ex patrimonio vel ſuo labore habuerit, ſed & uxoris dotem & mundum aleâ prodigere: Alia queritur maritum ſæpe domum redire ira furentem, liberos cædere, ancillas inclamare, famulos verberare, miſeræ uxori crines involare, ſic denique turbis omnia miſcere, ut domo omnes profugiant, nec quiſquam in conſpectum ejus venire auſit.

Hæc & infinita alia uxores de maritis, & mariti de uxoribus conqueri ſolent: quod ſi fiat apud eos qui his rebus remedium afferre nec poſſunt nec volunt, aut quos etiam neſcire iſta melius eſt, nihil ego vel à marito imprudentius, vel à muliere levius fieri poſſe puto. Quid enim? Arcam non facile cuiquam aperis, & quæ inſunt oſtendis; & intima animi tui ſecreta vel obviis narras? Amico etiamſi quidquid in arca aut cella habes reconditum, monſtraveris, damni nihil facis: at ſi ea quæ amas diligis, colis, quæque in ipſis quaſi animi tui viſceribus incluſa ſunt, alteri oſtenderis, periculo certe & incommodo non carebis. Tam amor quam odium in cordis penetralibus diligenter cuſtodienda, & quaſi conſignanda ſunt. Quid enim ei quem amas, & cui bene vis, reſervabis, ſi pectus tuum obvio cuique recludas, & infima animi ſenſa ac cogitationes etiam communices? ſic ego ſentio, illi tantum cujus erga nos amor & benevolentia, veris argumentis nobis perſpecta eſt, & cui tuto fidere poſſimus, pectoris ſecreta revelenda eſſe. In curarum ſuarum & ſolicitudinum conſcientiam ſapiens neminem aſſumet niſi eum, à quo vel paratum ſibi auxilium, vel certe ſolatium, ſciet. Eſt vero non leve ſolatium, ſi amicus noſtris rebus æquè ac ſuis afficiatur, ſuasque lachrymas cum noſtris conjungat. Quid vero, ô leves & inconſiderati homines, veſtram fortunam apud eos deploratis, quibus inde riſui & ludibrio futuri ſitis, quique non modo non leviores veſtras miſerias, ſed graviores etiam ſint facturi? Sultitia hæc tam in marito quam uxore non ferenda eſt, ut alter alterius vitia & errata eis, qui neſciunt, indicet: quę ut ſuſpicentur alii minus malum eſt, quam ut noſtro ipſorum indicio propalentur.

Secreta quibus revelanda.

A marito ea, quæ familiæ neceſſaria ſunt, providenda & procuranda eſſe.

AD maritorum præcipue officium pertinet, ut rei familiaris curam habeant, & uxori, liberis ac ceteris domeſticis de victu, veſtitu aliiſque rebus neceſſariis proſpiciant. Tametſi enim in reliquis rebus non tam accurata ab eis ratio requiratur; hac tamen in re ipſorum negligentiæ ignoſci non poteſt. Patrisfamilias eſt, rem facere & parare; matrisfamilias, tueri. Mariti eſt foris victum quærere; uxoris, domum ſervare. Mariti eſt pecuniam domum adferre; uxoris parcè & frugaliter eandem erogare. Mariti eſt cum omnibus res rationesque contrahere: uxoris, cū paucis loqui. Mariti eſt negociis occupari; uxoris, ſolitudini ſtudere. Maritum decet eloquentia; uxorem taciturnitas. Mariti eſt honorem ſuum & familiæ mordicus defendere; uxoris pudicitiam ſuam cuſtodire. In marito laudatur liberalitas; in uxore parcimonia. Maritus veſtiet ſe ut placuerit; uxor ut decebit. Maritus in ſua poteſtate omnia habebit; uxor vero de omnibus rationē reddet. Maritus omnia domui neceſſaria procurabit; uxor omnia, quę in domo fiunt, obſervabit. Ut paucis dicam, Mariti eſt victum familiæ quærere; uxoris, familiam regere & gubernare. Ex quibus omnibus intelligi poteſt, bene conſtitutam domum ſive familiam, ubi ſcilicet quisque, quod debet, facit, monaſterii inſtar eſſe, at in qua quisque facit quod vult, eam domum infernum appellari poſſe &c.

Diverſa Mariti & uxoris officia.

Ad AGNETEM MANRIQUE, &c.

EPISTOLA.

Qua pleraque tam Matronis quam Virginibus decora virtutes explicantur.

OCtriduum eſt, quum mihi commoranti apud agnatum tuum Garciam Manrique, famulus tuus Alphonſus Roys, vnà cum literis tuis mulum tradidit abs re dono miſſum: pro quo ingentes tibi gratias humiliter ago. Ad literas autem tuas quod attinet, quaſque in eis deſcribis honeſtatem atque modeſtiam, & ceteras virtutes in virginibus requiſitas, de quibus mihi quid videatur, quæris; quum tibi inter inſignes præ ceteris matronas tuus quoque locus debeatur, ſisquè inter nobiles Hiſpaniæ fœminas nobiliſſima, nec quisquam vel ignoret vel inficietur, palatium tuum eſſe ſacrum quoddam honeſtiſſimarum matronarum virginumq; collegium, te vero ipſam ſpeculum atque ornamentum ſexus muliebris; quum denique & Græcas & Latinas literas docta ſis: res mihi eſſe videtur minus neceſſaria & laboris ſupervacui, me tenuioris & conditionis & doctrinæ Monachùm, tam ſubtilis atque ardui, addo etiam à profeſſione mea alieni argumenti tractationem ſuſcipere. Verum enimvero, quando mihi à juſſis tuis appellare non licet, morem geram, eaque conquiram, quæ vel in libris veterum, vel apud ſacros ſcriptores hac de re literarum monumentis conſignata invenero.

Exemplum rara fœmina.

In veteris Teſtamenti hiſtoriis ſcriptum legimus, honeſtam fœminam Ruth olim ſpicarum manipulos in agro colligere inſtituiſſe; ex cujus ſpicilegii modo ab ipſa obſervato non difficile eſt colligere, quanta honeſtate atq; modeſtia fœminas, & virgines in primis ornatas eſſe par ſit. Nam manipulos, ſurſum erectos, ſtans legitur collegiſſe; ad humi jacentes vero ſedendo ſeſe demiſiſſe, ne forte, ſi ſe prona incurvaſſet, aliqua corporis pars nuda aſpectui exponeretur: quo viſo Booz adeo delectatus eſt, ut ex eo tempore amore mulieris correptus, eam ſibi matrimonio poſtea copularit.

Etiã in levibus honeſtas apparet.

Quod exemplum diligenter conſiderandum eſt fœminis honeſtis, maxime vero virginibus, ac omni ſtudio elaborandum, ut in intuitu, in veſtitu, in greſſu, in ſermone illarum rebusque omnibus modeſtia inſit. Nam hoc mihi credere tuto illis licet, citius placituras eas viris, ſi honeſtæ ſint & verecundæ, quam ſi protervæ, procaces, leves aut immodeſtæ: magisque illis decorum eſſe, ut ſe domi contineant, taciturnæ ſint, & vultu pudico, quam ut ſint loquaculæ, oculis emiſſitiis vagabundæ, perpetuoque proſpectent è feneſtris.

Veſtitu quoque ſe viris magis commendabunt honeſto, totumque corpus obtegente, quam luxurioſo & levi, nudumque pectus non ſine ſcandolo & turpitudine oſtentante: quo quæ ſunt amictæ, ſive nuptæ, ſive virgines, Venereæ & libidinoſæ, eoque ut plurimum (ſit verbo venia) pro ſcortis & minus pudicis haberi ſolent. Ante omnia oportet virgines eſſe aſpectu modeſto, & oculis in terram dejectis. Inceſſus ſit honeſtus & moderatus, paucus ſermo & tardus, & ſi ſint interrogatæ, verecunda & ſimplex reſponſio. In amictu obſervent decorum, vitent luxum, ſitque uſquequaque velata cutis. Anilibus & ſcandaloſis fabulis aures non accommodent, ſed eas cane & angue pejus fugiant. *Colloquia* enim *prava corrumpunt bonos mores*, auctore D. Paulo, in 1. ad Corint. 15. Conſortia quoque inprimis & ſermocinationes vetularum & lenarum, non ſecus ac peſtis quædam præſentiſſima declinandæ ſunt virgini honeſtæ. Fere enim illarum inſtinctu ad laſciviam & libidinem provocantur, clandeſtinis conventiculis, literarum miſſitationibus aliisque id genus illaudatis modis & parum honeſtis. Solitudinem amet virgo, fugiat conſortia noxia & impudica. Dedita ſit contemplationi, devotioni, & precibus, ſacrarum literarum lectione delectetur, & cum Chriſto ſponſo ſuo confabuletur frequenter. Nam ipſe inquit: *Perſuaſam eam deducam in deſertum, & blande cum ea colloquar.* Si enim, quam ſit amabilis Dominus, vera virgo ſenſerit, & divinis contemplationibus dedita, divinarum & cœleſtium rerum guſtum cœperit percipere; continuo mundum contemnet, mundanarumque vanitatum cura omni abjecta cum regio vate dicere ei licebit: *Quid mihi eſt in cœlo, & in terra, quid petii à te niſi te? Exaruit caro mea &*

Veſtitus honeſt⁹.

Fuge lenam Virgo.

cor

cor meum. Deus eſt robur cordis mei, & portio mea in ſeculum.

Virginitas vita contemplativa.

Virginitas, quum primum in caſtitate gradum obtineat, vitæ contemplativæ reſpondet. Caſtitas enim omni carnali cogitatione animam liberat: quæ ut ad veritatis contemplationem intellectum diſponit, ita ex adverſo libidine anima opprimitur, & confunditur intellectus. Quæ cauſſa fuit Philoſopho, in Ethicis vitam incontinentem pecuniam appellandi. Quæ quum ita ſint, par eſt, ut omnis virginum cogitatio ac deſiderium in verum ſponſum ſuum Chriſtum & ſolum quidem feratur, corpore puro, & ſpiritu incontaminato.

Quales eſſe debeant veræ Virgines.

Virgo & corpore & animo pura.

SEd ut diſtinctius cognoſcant virgines, quid ſit officii ſui, attingam in ſpecie quaſdam adhuc virtutes & qualitates, quibus decet eas eſſe ornatas. Ut igitur ea, quæ virgo audit, reipſa ſit quod dicitur, neceſſe eſt, ut corpus habeat caſtum & purum: ſiquidem ipſe Chriſtus hanc virginitatis caſtitatem puritatemque tanti facit, ut naſci non niſi ex virgine voluit. Animadvertendum eſt autem, virginitatis eſſe duo genera: quarum alteram ſibi Deus ipſe reſervat, animæ nimirum virginitatem, per quam virgo pravis cupiditatibus, & cogitationibus impudicis vacat; eaque eſt animæ virtus præſtantiſſima. Altera non ad Deum ſed ad virum refertur, eaq; eſt, quum ſponſa ad nuptialem thorum illibatam virginitatem adfert. Utraque, Scriptura teſtante; Rebeccæ inerat. Ait enim: *puella autem iſta erat forma bona valde, & virgo, quam vir non cognoverat.* Quæ verba, in laudem Rebeccæ, ponderantur ab Origine, dicente: Rebecca virgo erat, & non cognoverat eam vir: quaſi quæ virum habeat, poſſit eſſe virgo. Et quid videtur de hoc additamento, *Quam vir non cognoverat?* Num forte poteſt virgo cognoſci à viro, & virgo eſſe? Dixi ſæpius, & adhuc dico, multa & magna myſteria hic ſubeſſe. Nam quemadmodum Chriſtus maritus & ſponſus appellatur, quicum homo copulatur per fidem; ita ei adverſatur vir cui anima jungitur, quando relicto Chriſto, viam peccatorum ingreditur. Hic eſt ille maritus, de quo Scriptura dicit, veniſſe inimicum (Satanam) & ſeminaviſſe zizaniũ inter bonum ſemen. Non ſufficit animæ corpus virginis eſſe purum, ſed requiritur etiam, ut maius ille vir atque inimicus animam non ſubagitarit.

Rebecca caſtitas & laus.

Nam profectò non raro contiegit, corpore aliquam eſſe virginem, quam ſi cognoſcit improbus ille maritus, Satan, ejusque pectus ſauciet jaculis libidinũ, illico actum eſt de vera eius virginitate animæque caſtitate. Rebecca igitur, quum corpore pariter atque anima virgo fuerit, merito quoq; hoc encomio à ſcriptura ornatur, quod virgo fuerit, & quod vir eam non cognoverit. Ex quo diſcendum eſt virginibus, ſi puræ virgines eſſe & haberi voluerint, oportere eas Rebeccæ eſſe ſimiles, hoc eſt, & corpore & animo ſanctas, virginesque. Iter facturo, ſedemque in peregrino aliquo loco fixuro, neceſſe eſt, ut ejus gnarus ſit, utque ante omnia eius regionis, quam petit, conſuetudinem moremque perſpectum cognitumque habeat, ut ad eum ſe componere tanto melius, quum eò pervenerit, poſſit. Pari ratione virginem ad cœlum tendentem edoceri in primis oportet viam, quæ illuc ducit, & mores, quibus ibi vivitur. Vivitur autem in æterna illa & ſumma patria, pure & caſte. De qua beata habitatione ſcriptum eſt in Apocalypſi, capite XXI. Civitatem Dei eſſe ex auro puro, ſimilem vitro puro: nec intraturum in eam quidquam inquinatum aut impurum, ſed tantum eos, qui ſcripti ſunt in libro vitæ Agni. Hinc Sara uxor Tobiæ, inquit: *Cuſtodivi animam meam puram perpetuo.* Quapropter opera danda eſt virginibus omni ſtudio, ut ſpiritum conſcientiamque puram habeant, & corpus diligenti diſciplina coërceant, atque ita tum corporis tum animæ virginitatem integram conſervent.

Satanicæ ſubagitationes.

Humilitas gemma in annullo virginitatis.

Humilem quoque virginem eſſe oportet, eoque humiliorem, quo magis virgo eſt caſta. Nam (ut dicit Ambroſius) humilitas ornamentum eſt virginis, non ſecus ac margarita auro incluſa. Nõ poteſt tutius conſervari ſancti amoris ignis, quã ſub favilla humilitatis. Hinc D. Bernardus in homilia quadam ſic ait: præclara eſt mixtura humilitatis, perplacetque Deo anima, in qua regnat humilitas, & triumphat virginitas, cui virginitas decori eſt, & humilitas ornamento. Et alibi: Virginitas, inquit, deſtitua humilitate gloriam habet fortaſſe, ſed non apud Deum. Qui ſedet in ſupremo throno magis reſpicit ad humilia, quam ad ſublimia; humilibus dat gratiam; & reſiſtit ſuperbis. Heſter, quum humilis eſſet, nupſit Aſſuero centum & viginti ſeptem provinciarum Domino & Regi, à finibus Judææ ad Æthiopiam, atque ex adverſo Vaſti regina ob ſuperbiam

& animi

Digitized by Google

& animi elationem de regio faſtigio dejecta eſt. Non eſt quod virgo jactet vel formæ excellentiam, vel opum affluentiam, vel dignitatem generis, aut his rebus confidat: ſed ſi interno ornatu fulgeat, ſi dotata ſit divinis dotibus, ſat habet. *Vera dos virginis* Illud memoria repetat, quod evenit illis virginibus fatuis, de quibus eſt apud Matthæū quæ quâvis elegantibus lampadibus inſtructæ ſponſo obviam procederent, tamen quod de oleo ſibi non proſpexiſſent, neglectæ ſunt à ſponſo, & ab epuli nuptialis participatione excluſæ. Sint igitur humiles virgines, ut divinis donis repleantur, quandoquidem (S. Iacobo teſte) Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Prætærea inſit virgini pudor: ut qui ſupra modum eam deceat. Non unio, quantivis pretii, tanto ornamento eſt torqui aut diademati regio, quanto virgini pudor. Incedat ergo capite dimiſſo, & oculis in terram dejectis, non exſerto colle, oculisque patulis & vagabundis: id enim proterviam virginitatisque defectum ſignificat. *Pudor pudicitia cuſtos.* Unde Eccleſiaſticus ait: *Ex oculorum ſuperciliorumque elatione cognoſcitur mulieris fornicatio*: innuens videlicet, petulanti oculorū geſtu prodi laſciviam & levitatem. Perdifficile eſt illæſam manere pudicitiam virginitatemque, ſi pudor abſit. Nihil eſt magis virginibus decorū, aut quod Deo hominibusque eas commendet magis, quam pudor.

Pudore nulla poteſt virgini precioſior eſſe aut carior poſſeſſio. Unde rurſus Eccleſiaſticus, Donum, inquit, pudoris ipſius cuivis auro præſtat, hoc eſt, non argentum, non aurum tantæ æſtimationis eſt, quantæ pudica Virgo & modeſta. Ut virgo, cui coma præciditur, erubeſcit & ignominiam accipit: ita Deo hominibusque abominabilis eſt fœmina, cui periit pudor. Propterea Deus inquit apud Eſaiam: Eo quod altæ ſunt filiæ Zionis, & ambulant extento gutture, & nutantes oculis; indeſinenter minutis paſſibus incedunt, pedibusque ſuis compeditas agunt, idcirco ſcabie afficiet Dominus verticem filiarum Zionis, & Jehova pudendum earū nudabit. Pudor virginis præſentiſſimum eſt adverſus omne genus peccatorum remedium, quo ſublato, de remediis quoque iſtorum peccatorum actum eſt. Hinc Ieremias inquit capite tertio: Frons mulieris ſcortantis fuit tibi, renuiſti pudore ſuffundi. Samſon, quamdiu comam alebat, diſrupit quævis vincula & reſtes, quibus vinciebatur: qua abraſa, receſſit ab ipſo omnis vis ipſius. Pari ratione virgo pudore (qui per comā ſignificatur) velata, facile omnis carnis illecebras frāgit ac proculcat: ſed amiſſo pudore, vna perit omnis ejus vis, ut ſine renſu ruat de libidine in libidinem, de peccato in peccatū. *Timor virgines decet.* De veris virginibus ſic ſcribit Bernardus: Solent virgines, quæ quidem verè ſunt virgines, perpetuo eſſe timidæ, nunquam ſecuræ. Cavent enim ſibi ab iis quæ timenda ſunt, & timent ea, quæ tuta ſunt, ſcientes, non modo pretioſiſſimum theſaurum à ſe geſtari in vaſis fictilibus, ſed etiam rem eſſe peraiduā, inter mortales vitam agere angelicam. Hanc ob cauſſam ſuſpectum eſt virgini quidquid novum eſt & ſubito exoritur, tanquam quod ad ignominiam ſeductionemque ſui ſit comparatum. Et venerabilis Beda, proprium, inquit, eſt virginum timere. Nam ad ignotorum in ædes ipſarum introitum metu percelluntur, & ad viri alloquium pudore ſuffunduntur. Hæc omnia conſideranda ſunt pudicis virginibus, animoque infigenda, ſiquidem pudorem, virginitatisque præclariſſimum theſaurum conſervare ſtudent. Veſtitus virginis ſit honeſtus. Non quod reprehendam amictum decorum & patrium, ſed profanum tantum & levem, non neceſſarium, ſed ſuperfluum, non morem uſitatum, ſed ſuperintroductum immoderatum abuſum. *Veſtitus qualis eſſe debeat.* Scimus ipſi, pro conditione cujusque, alium veſtitum convenire Eccleſiaſticis, alium laicis, alium dominis, alium ſubditis; alium Principibus, Comitibus, Baronibus, alium civibus, & his, qui artes mechanicas exercent; alium matronis deſponſaris, alium puellis innuptis. Damno autem non uſum, ſed abuſum, exceſſum, & nimiam in veſtitu curioſitatem. Fere enim videas clericos ornatu laicorum proprio incedere, ſubditos Dominorum veſtitum imitarii, Nobiles Comitum Baronumque ornatum æquare, cives denique & famulos Nobilibus veſtimentorum elegantiâ nihil concedere: eoque jam deventum eſt, ut inter dominum & ſubditos, inter civem & Nobilem, ſi veſtes ſpectes, vix quidquam amplius interſit.

Illud quoque hoc loco à me culpatur, quod in veſtium multitudine & laxitate uſque adeo modus exceditur, ut peculiares famulæ (quas cubicularias appellant) alendæ ſint, quarum hoc unicum officium eſt, veſtimenta expurgare, complicare, excutere, aeri, ne exedantur à tineis,

exponere.

exponere. Nec minus exquiſitas veſtimentorum formas hic noto, varios eorundem colores, precium ingens, calceamentorum precioſos ornatus, eximii valoris torques, armillas, & lacinias, catenulas tortas, myrothecia, inaures, monilia fronti impoſita, multiplicem tunicarum varietatem, quas ſegmentatas conciſaſque, & variis modis ocellatas geſtant: earumque alias anguſtas & breves nimis, alias rurſus ſupra modum laxas & longas, quæque tam longas caudas trahunt, ut eæ ſolæ ſufficiant equino aut famulo veſtiendo, quarum nullus alius eſt uſus niſi ad verrendum ſolum, ad onerandum conſcientiam, animamque in gehennam præcipitandā. Diſcant autem ex me & diligenter hoc teneant illæ ſive matronæ ſive virgines, quas tam prolixæ caudæ ſequūtur, avibus, quibus longę ſunt caudæ, exigua eſſe capita, exemplo pavonis & picæ. Quid velim, non dubito quin intelligant. Nam (ut eſt in proverbio) dictum ſapienti ſat eſt. Quæ quum ita ſint, par eſt, ut matrona ſimul & virgo decoro habitu, cum pudore & verecundia amiciatur atque exornetur, non intorſionibus crinium, aut in auro, aut in margaritis, aut veſtibus pulchris, ſed in operibus bonis, cum omni ſubjectione, honeſtate & munditia.

Ante omnia vero diligenter conſiderabunt virgines, quibuſcum vivant aut converſentur: eoque anus illas ſeu vetulas, quæ amatorias litteras hinc inde circumferunt, vel aliis modis turpes amores conglutinant, non ſecus ac barathrum aliquod fugient & deteſtabuntur. Mihi quidem lenæ ejusmodi fictilium teſtarum ſimiles videntur, quæ confractæ, nulli deinde amplius, ut in eis coquatur aliquid, ſunt uſui; ſed igni tantum circumferendo inſerviunt. Ita peſſimæ iſtæ vetulę, poſtquam ætate exoletæ, ut ipſæ amentur minus ſunt idoneæ, puellas ſimplices circumeunt, & verbis, blanditiis, munuſculis irretitas, incomparabili virginitatis theſauro flagitioſiſſime ſpoliant, ut miſeræ poſtea & infames ſemper vivant. Quocirca nō mun⁹ modo, ſed ne carmen quidē à procis miſſum acceptabit virgo; ne illud ſervitutis vel infamiæ potius fiat auctoramentum. Meo arbitratu ſi conſtituatur Reſpublica, lenones omnes, lenæ, & perductrices non modo ejiciantur, verum etiam ſeveriſſimis pœnis coerceantur. Honeſtæ certe virginis eſt, id genus hominum ne per tranſennam quidem aſpicere, vel ad colloquium admittere, ſed precibus aut convitio etiam à ſe abigere; tum omnia munuſcula amantium, tamquam acutiſſimos pudicitiæ hamos ſpernere ac repudiare. Omnis fucus à veris abſit Virginibus. Deum enim offendit ceruſſata facies; nec tamen procum facilius invenit. Eſther regina ſine iſta arte Aſſueri nuptias conſequuta eſt: qua qui utuntur, vitia ſua magis produnt quam tegunt. Mulierem nihil magis commendat, quam timor Domini. Sus etiamſi annulum roſtro inſertum habeat, ne terram fodiat vel proſcindat, in luto nihilominus ſeſe volutabit. Idem faciunt eæ fœminæ, quæ formæ decus morum turpitudine & impudicitia coinquinant, & fœdāt. Meminerint virgines quā fluxa & fragilis res ſit formæ venuſtas, quā Boetius vento comparat, & Salomon bulla magis inanem eſſe dicit: nec ullam fœminam merito laudari poſſe, niſi, quæ Deum timeat.

Ad extremum dico, Virginem cæcam, ſurdam, claudam & mutam eſſe debere. Cæca ſit, ne oculos circum ferat; ſurda, ne lenarum blanditiis vel turpibus verbis aures præbeat; clauda pedibus, ne hinc inde vagetur; manibus ne ullas procorum litteras aut munera accepret. Quæ hoc modo vitam inſtituerit virgo, nō corporis modo ſed animæ quoque integritatem facile conſervabit, & tandem æternæ gloriæ immarceſſibilem coronam adipiſcetur.

Hæc quidem, Matrona illuſtriſſima, in præſenti hac de re ſcribere volui: quæ tuo arbitratu gynæcei tui virginibus ad legendum proponi, & ad imitandum inculcari poſſunt. Madrici xv. Martii.

M D.LXI.

Ad

FRIDERICUM TOLETANUM, ALBÆ DUCEM, &c.

EPISTOLA.

In qua locus quidam Paulinus, & Antiquitates aliquot explicantur.

Litteras tuas cum adjuncta ſcheda memoriali à Roderico noſtro Enrique accepi. Vehementer miratus ſum, te, Cæſaris Conſiliarium primarium, à me conſilium

Digitized by Google

petere. Quam meam admirationem non eſt quod admireris. Nam & tuam humilitatem oſtendis, & agnoſcis ſolertiam meam. Quid reſponderem, & quod potius conſilium ſuggererem, diu hæſitavi. Aliud enim honor tuus, aliud conſcientia poſtulare videbatur. Itaque ſatis expẽſis atq; examinatis rei momentis, ejuſmodi explicationem tibi do qua arbitror & conſcientiæ tuæ & honori ſatisfieri poſſe. Homini Ethnico & veræ Religionis ignaro, unice in votis eſt, ut equæſtrem dignitatem adipiſcatur, ſed ut virtutes equite dignas habeat, ſuſque deque habet. Non repugnant iſta aliquem ſimul, & Equitem eſſe, & Chriſtianum. Nam in vero Equite hæc requiruntur, ut ſit animo magno, manu promtus, in verbis verax, in largiendo liberalis, patiens in adverſis, ad condemnandum facilis, quæ omnia in lege Chriſti non modo permittuntur ſed jubentur. Crede mihi, in cœlo meri ſunt Equites; apud inferos meri ſtulti.

Cõſcientia honori præferenda.

Paulus Apoſtolus, ad Timotheum ſcribens, *Labora*, inquit, *ut bonus miles.* Non dicit, Labora ut agricola, ut piſcator, ut molitor, ut nauta: ſed ut bonus Miles. Non enim minore opus eſt fortitudine ad reſiſtendum vitiis, quam ad manus conſerendum cum hoſte. Stulti habentur, qui quod ſciendum ipſis erat, neſciunt; & puſillanimes, qui quod poſſunt, non audent. At ſapiens & fortis Eques aggreditur quod poteſt, &, quod ignorat, diſcit. Laborare Apoſtolus jubet Timotheum, non ſimpliciter, ut militem, ſed, ut bonum militem. Bonitas autem Chriſtiani militis non in pompa & magno comitatu poſita eſt, ſed in bona & pura conſcientia. Aulæorum magnificentia, nobilium puerorum miniſterium, famulitium numeroſum, copia præſtantium equorum, & falconum, & quæ ſunt his ſimilia, honori eſſe poſſunt, non ſaluti. Honorem autem quum appello, non damnationem intelligo. Laudo enim viros principales ob id, quod quam plurimos juvenes honeſto loco natos alunt: damno autem, quod iiſdem vivendi licentiam, & vitiorum impunitatem indulgent. Qui ad famulorum ſuorum mendacia, imprecationes, luſus, comeſſationes, ſcortationes & ocia conniver, quamvis Dominus appelletur aut miles, non eſt tamen bonus miles. Bonorum enim militum domos oportet eſſe ſcholas virtutum, non vero ſpeluncas latronum. Vulgo, quem vident ſumptuoſam familiam alere, ſumptuoſe epulare, & cujus domi aleæ & chartæ aſſidue verſantur, homineſque improbi & nihili tanquam in aſylum recipiuntur, eum gentilem Equitem indigitant. Nec male, quamvis aliud agentes, loquuntur. Magis enim hominis Gentilis, hoc eſt, Ethnici, ea, quæ commemoravimus, propria ſunt, quam militis Chriſtiani, docente Apoſtolo, eum ſtudere bonæ militiæ, qui hoc agit, ut ſi bonus Chriſtianus; ſiquidem ſub Lege Chriſti nulli licet eſſe vitioſo.

Militia Chriſtiano licita

Qui olim fuerint honoratiſſimi

QUæris præterea, cui hominum generi antiquitus in comitiis primus & honoratior locus deferri ſolitus fuerit. Quæſtio hæc multiplex eſt, nec tamen explicatu difficilis, etſi hic non poſſum dare generalem Regulam, quæ omni tempore & ubique locorum obſervata fuerit. Conſuetudo enim ea in re pro temporum regionumque diverſitate diverſa fuit. Lycurgus iis primum honorem deferri juſſit, qui capitis albedine & canitie barbæ præ reliquis eſſent inſignes. Solon præcepit Atheniensibus, eos magis honorare, quibus numeroſior proles eſſet. Ægyptii ex inſtituto Promethei, eos magno honore affecerunt, qui aliquam Reipubl. partem gubernarent. Apud Sicyones quidam Rex rerum divinarum antiſtites honoratiores eſſe voluit. Argivorum Rex Brias decrevit, ut Philoſophi in ſcholis docentes, honore ceteros antecent. Romanis auctor fuit Numa Pompilius, ut illis honoris tribueretur prærogativa, qui nobili aliquo prœlio victores fuiſſent. Anacharſis Philoſophus illi ſummum honorem exhiberi mandavit, qui togatus conſilio, & armatus manu plurimum patriam juviſſet.

Quibus maxim' honor delatus apud varias gentes.

His poſitis, infero, omnes iſtos, quos commemoravi, dignos eſſe honore: ſed hos digniſſimos, qui cum prudentia conjunctam habent patientiam. Animum enim vere magnum duo illa perpetuo comitantur, prudentia in ſecundis, & patientia in adverſis. Sed, quæ noſtrorum temporum eſt perverſitas, arbitror, operam te inutilem & ſupervacuam ſumſiſſe, quum hoc, de quo agimus, quæſiviſti. Vis enim noſſe noſtri ſæculi mores? Senes ludibrio habemus, parentibus immorigeri ſumus, judicibus nos opponimus, ſacerdotes contemtui habemus, fortes milites negligimus, viros doctos laceſſimus,

Temporum noſtri perverſitas

& pios

& pios odiis exercemus. Ferreo iſto, inhumano & ingrato ſæculo nullius precii habetur, qui virtutem colit. Olim tanti erat quisque, quãta erat ejus ſcientia & virtus: nunc pluris eſt, qui plures nummos habet: & tanti ęſtimamur, quantum eſt nobis pecuniæ in arca. Olim honore afficiebantur, qui honorem recuſabant; nunc honorem tribuimus his, non qui eum merentur, ſed qui affectant. Olim apud exteros, homines virtutis aliqua laude inſignes quærebamus: nũc etiam pulſantibus fores occluſæ ſunt. Olim nulla erat curia, in qua non Philoſophus aliquis reſponſa daret: nunc omnes aulæ à ſcurris occupatæ ſunt. Olim Jus erat bonis coercendi pœnis improbos: nunc mali omni injuriarum genere divexant probos. Olim bonis tantum loqui fas erat: nunc improborum nemo ſcit tacere. Deniq; priſcis aureis temporibus bonum erat in precio, & malum odio habebatur: at noſtro hoc ſeculo boni deſpiciuntur, peſſimus autem quiſque dignitatis primum locum obtinet.

Qui fures olim

Scire etiam deſideras, quinam olim habiti fuerint pro furibus, & quæ fuerit furti pœna. Quæ mihi quæſtio curioſa magis, quam neceſſaria videtur. Nam & tua parum intereſt, utrũ id ſcias, an neſcias: & mihi perdifficilis eſt huj[9] rei veſtigatio, qui in tã ſubtilis argumenti conſideratione ſtudium nunquam poſui. Diligens antiquitatum inveſtigator, Aulus Gellius, multus eſt in hac materia deſcribenda, multa furtorum, & pœnarum, quibus furta coercebantur, genera recenſens. Nunc vero quamvis multa ejuſmodi furta aliquis committat, id tamen pro exiguo tantum peccato, & (ut loquuntur) peccatillo hodie habetur.

Fur olim habebatur, qui rem alienam in agro, ſive in urbe, clam, invito Domino alienaret: item, qui equo, quem in unum diem commodato accepiſſet, biduum uteretur: nec non is qui re apud ſe depoſita uteretur, ut ſua: tum is quoque, qui mutuum acceptum in dies decem, ante diem viceſimum non redderet. Omnes iſti & habebantur, & dicebantur fures, & furti pœnam luebant. Ea vero non erat uniusmodi. Græci enim cauterio frontem furum ſignabant, ut dignoſcerentur ab omnibus. Naſum iis præcidebat Lycurgus. Phoroneus pueris & ſervulis coercendos tradebat. Numa Pompilius manus furibus amputari inſtituit. Primi Gothi auribus fures mutilarunt, & laqueo ſuffocarunt, cetera quidem barbari, ſed furtum penitus deteſtantes. Sed ut rem in pauca conferam, hodie ſi omnes hujus criminis rei ſuſpendio plectendi forent, patibula citius deeſſent, quàm fures. Nam (ut ait Diogenes) parvos fures in crucem agimus, at magnos pæne adoramus.

Ad

CORONELIUM DOCTOREM

EPISTOLA,

Ad quæſita quædam reſpondens.

QUæ in literis tuis, à famulo tuo mihi redditis, à me petiiſti officia, iis apud Cancellarium defunctus ſum. Cui animadverti res & commoda tua omnia & ſingula vehementer curæ eſſe: ut equo ſua ſponte ad currendum prompto non fuerint addenda calcaria. Quod ſupereſt, quàm breviſſime tibi reſpondebo, ne vel tibi, vel mihi ipſi ſim importunus. De cognato tuo, ſermonem contuli cum tribuno Cerrato, rogans, ut eum ordinum ductorem faceret: ſed quia ſemel atque iterum frigide admodum mihi reſpondit, ſtatui hominem amplius non urgere, nec meipſum pudefacere. *Nam quis faciem frigoris ejus ſuſtinebit?* Dici non poteſt, quam graviter afficiatur animus generoſus & verecundus, ſi cogatur ſupplicare indigno Nam qui rogatus fuit, eam rem ſibi gloriæ ducit: at qui rogavit, pudore ſuffunditur. Nihil emitur carius, quam quod precario obtinetur. Plus enim elargitur multo, qui vel ad horam pudorem vultus ſui præſtat, quàm qui majorem ſubſtantiæ ſuæ portionem donat. Plato dicere ſolitus fuit, quanto qui donat, gaudio afficitur, tanto affici dolore eum qui rogat. Dando enim aliorum libertatem emimus, accipiendo vẽdimus noſtram. Romæ ne fœminæ pudefactæ abortum præ pudore facerent, lata lex eſt, & ſtrenuè obſervata, ne quid negaretur prægnantibus. Libros, quos apud me reliquiſti, curavi impingi. Preciũ eo nomine abs te miſſum remitto. Æquum non eſt, ut officia amicorum mutua, pecunia compẽſentur. Nã quæ uſuræ & lucri cauſſa contractæ ſunt amicitiæ, eæ ob eandem cauſſam diſſolvuntur. Oportet eos, inter quos ſincera viget amicitia, amare

Nihil indignius quã indigne ſupplicare.

ſinemodo, & erogare ſine fine. Quare quũ impactio librorum tuorum XXIV. ſolummodo nummis regalibus conſtet, & tu eam pecuniam iſthinc huc miſeris, id argumento eſſe videtur, exiguum eſſe vel amorem erga me tuum, vel de me & liberalitate mea fiduciam.

Ad Abbatem Complutenſem quod attinet, ſcias licet, rem eſſe moleſtia plenam, cum iis hominibus negocium habere, qui nec tacere norunt, nec quieſcere volunt. Nã & proximum ſuum offendunt atque inficiunt, & ſibi ipſis moleſtiam creant, quorum ſermo eſt confidens, & vita inquieta. Nullum eſt onus æquè tædioſum ac noxium, atque ejus qui ſibi ipſe diſplicet, & ſecum bellum gerit. Non contingit, fateor, in hoc ſæculo, ut nunquam non ſimus animo bono: ſed ut ipſi nos aliqua ratione ad quietem & tranquillitatem componamus, id certe, modo non deſit nobis voluntas, poſſumus aſſequi. Quod propterea dico, quia Abbas iſte fortunam averſam non aliter fert, quam fera beſtia, quæ ut onus ipſi imponas, tolerat, ſed ſi idẽ demas, calce percutit. Eſt genus hominum, qui laborem moleſtiamque non modo non fugiunt, ſed & ipſi, quaſi extra data, acceſſunt. Hos in quiete retinere, majoris negocii eſt, quam alios ad laborem adigere.

Amici jactura magna. Franciſcus Mercatus, ſe, domum & rem ſuam perdidit, & nos in ipſo hominem amiciſſimum & equitem præſtantiſſimum amiſimus, adeo ut nos majore jacturæ ipſius ſenſu afficiamur, quam ipſe proprii exilii. Quem ſi, ut olim potui conſilio, ita jam poſſem te juvare, profecto non minus me experiretur ſibi amicum, quam ego doleo ipſum amiſſum. Non periiſſet, ſi meo conſilio uſus fuiſſet. Non enim ſemel à me eſt monitus, rebellionem iſtam atque tumultum, non eſſe aliud quam Echo ſonoram, ſed inanem. Qui magna aggrediuntur, iis non eſt contemnendum conſilium amicorum. Eum enim, qui fidelem ad monitionem flocci penderit, neceſſario, unà cum pœnitentia, calamitas ſequitur. Quod ſupereſt, dabo operam, ut reipſa intelligas, nihil fruſtra te ſcripſiſſe.

AD

JOANNEM PARELLOSUM, &c.

EPISTOLA.

Abſentium virorum mulieres non eſſe viſitandas.

ALexander Magnus, quum in Ægypto verſaretur, cuidam tenuioris fortunæ homini, ſtipem in dotem filiæ ſuæ roganti, civitatem opulentam & magnam dono dedit. Cui obſtupeſcenti, dicentique, Vide, Rex inviċtiſſime, quid des, & cui. Nam forte alium me eſſe opinaris, quam qui ſum; aut quid petierim, non ſatis es aſſequutus, reſpondit: Non ita ſum ignarus, ut tu me eſſe arbitraris: ſcio enim & qui ſis, & quid dederim. Tu accipe, quod dedi, & tace. Nam ut petere, quod petiiſti, eſt Biantii: ita donare, quod donavi, eſt Alexandri. Cleopatra Regina, quamvis parum pudica eſſet, ingenio tamen liberali & munifico fuit. Nullum enim unquam tam exile beneficium præſtitit, ut id accipienti non ſufficeret ad vitæ neceſſitates. Quod propterea commemoro, quia mihi petenti abs te Luſitanica tragemata, præmium nunciati reditus Imperatoris, tumulum Loſanum peregregium dono miſiſti. Qua quidem petitione mea ego Biantium refero, tu donatione tua Alexandrum. Utrumque laudabunt, qui rem norint, aut ſcriptum hoc meũ legerint. Mulum ipſũ vidi, qui vehementer mihi placuit, & dignus viſus eſt, quo non modo Epiſcopus, ſed Papa veheretur. Eum tibi familiaris hic meus, at gratias pro illo præſens epiſtola reddet. Ita nec mulo tuo carebis, & me nihilominus obligatum tibi obſtriċtumque habebis. Sed decet amicum, verbis parum, at re multum præſtare. Itaque hoc ſolum addam, quam primum ab Imperatore præmium navatæ ipſi operæ accepero, me quoque beneficium abs te datum compenſaturum, nec commiſſurum ut benevolentia me viciſſe videaris.

Quod petis, ut tibi ſignificem, quis ſit ſtatus uxoris Michaelis Angeli, cognatæ tuæ, & meæ olim, quum Valentiæ degerem, vicinæ, & num quid de ipſius viro, poſtquam abiit ex Italia, nũciatũ ſit nobis: ſcire debes, me Michaelis Angeli uxorem nec vidiſſe, nec videre in animo habere, niſi ab ipſa acceſſitus fuero. Nam abſen-

tium

tium peregre virorum uxores conſilio & re juvare, officii noſtri eſt; ſæpius inviſere, non licet, Duo ſunt rerum genera, quorum uſum alteri concedere aut concredere nemo debet: enſes, & uxores. Ut enim virum decet enſe ſuo accinctum eſſe: ita multo magis decorum eſt uxori, ſe domi continere. Sceleſtus ille Tarquinius, quum Lucretiam, abſente & militante ejus viro Collatino, viſitaſſet, & ſolus cum ſola fuiſſet, multorum malorum cauſſa exſtitit, nam & civitas Romana motibus tota repleta eſt, & bellum, in quo tunc militabat Collatinus, abruptum fuit, & violata Lucretia miſere periit, & ipſe Tarquinius flagitii ſui turpitudinem miſerabili exitu luit. Non enim es neſcius, abſentium amicorum uxores miniſterio, pecunia, omnibuſque auxiliis atque officiis, ſi opus fuerit, juvandas eſſe, ſed minimè quotidianis officiis aut frequenti viſitatione in ſuſpicionem non ſatis cuſtoditi pudoris adducendas. Magna eſt virorum quorundam perverſitas: & res tenera eſt, honor mulieris. Quo majore utendum eſt cautione in eis compellandis & inviſendis, ne, ſi vel modus vel tempus non ſatis hic obſervetur, anſa præbeatur vicinis famam earum lædendi, & viro male de ipſis ſuſpirandi.

Quorũ uſus nõ communicandus.

Quod reſtat, lubens agam cum Cancellario tuo nomine: qui ſi minus facturus eſt, quod petis, ego tamen rem illi exponam, ut ſcribis. Quibus negocium aliquod curandum eſt in Aula, eos oportet multum pati, & parum fidere. In aula enim plus valet blandiëtis fortunæ unica uncia, quam centum libræ ſapientiæ. Sæpè videmus in aula meliorem cauſſam & bene deciſam inferiorem evadere, & ſuperiorem eam, quæ deterior eſt & injuſta. Non eſt tamen quod exiſtimes, eo hæc à me adduci, quod laborem iſtum pro te ſubire ſubterfugiam: ſed ut jam nunc præmonearis, ſi forte cauſſæ hujus non is exitus fuerit, quem ſperas, ne ea re offendaris. Non enim agitur de fama, ſed de fortunis, ob quas ut liceat commoveri, ſpem tamen aut animum earum cauſſa abjicere aut deſpondere haudquaquam fas eſt.

Aulæ mores.

AD PETRUM FONSECAM,

EPISTOLA.

Qua exſulantem conſolatur.

EX litteris tuis Medinæ mihi redditis intelligo, parum tibi eſſe patientiæ, & quietis adhuc minus. Non decet nobilem virum & tui ſimilem ab ullo adverſæ fortunæ impetu de animi tranquillitate dimoveri, ſed potius omnis illius temporis jacturam deplorare, quod non regis ſui ſervitio impendit. Dices, non modo eſſe de quo conquereris, ſed etiam ob quod animum penitus deſpondeas, quandoquidem hoc tempore & patria & amicorum converſatione omni carere cogaris. Nec repugno; nullus enim eſt dolor illi par, quo patria pulſi afficiuntur. Patriæ enim amor omnibus eſt maximus, & amicorum jucundiſſima recordatio. Interim tamen tuum eſſe cenſeo, ut animum patientia armes, ortuſq; & conditionis tuæ memor, ſpem omnem in Deo repoſitam habeas, qui tibi certo certius non deerit. Quumque amicus mihi ſis, & percharus quidem, facere non potui, quin hoc ad te reſponſum mitterem, quamvis ſcriptum parva elegantia, & dictarum adhuc minore. Invenies in eo ad te conſolandum admonitiones quaſdam: eas, rogo, ne contemnas, quando ab eo proficiſcuntur, cui tu cordi es, & omnia tua, & cujus animo ſemper es præſens, quamvis corpore abſis. Non igitur exiſtimabis, memoriam tui hic nullam eſſe. Novi enim multos inter amicos tuos, quibus nihil eſt prius quam tuum negocium agere: verum id adhuc quidem ejuſmodi eſt, ut citius perverti, quam promoveri queat. Quod tibi mirum non videatur: ſiquidem ea eſt quorundam morborum natura, ut nullis medicamentis, ſed ſola temporis mora curentur. Sunt tibi in hac aula amici, adeo iſtius medendi artis periti, ut nullo modo ſanitati tuæ defuturi ſint, modo ejus reſtituendæ viderint adeſſe opportunitatem.

Magnus amor patriæ.

Inſanabilia tẽpus ſanat.

Rerum, quibus juvare tenemur amicos, qua-

Digitized by Google

tuor ſunt genera. Nam & corpore, & fortunis, & conſolando, & conſulendo illis ſuccurrere debemus. Tibi nec perſona mea, nec ulla illarum rerum, quas commemoravi, in tua cauſſa opus eſt. Et ſunt pauci, qui amicos ſuos hiſce rebus omnibus, maximè tribus prioribus, adjuvant. Multi enim, quamvis corpus habeant, quod amici cauſſa impendant, animo tamen deſtituuntur. Aliis ſupperunt opes: ſed deeſt voluntas cum earum jacturâ amico ſubveniendi. Sunt qui conſolari amicum cuperent, ſed rectè conſolandi artem ignorant. At conſilium dare, res omnium eſt facillima: nec quiſquam uſque adeo eſt iners, ut hoc facere ſe non poſſe putet. Nunquam deſunt, qui gaudent amico conſilium ſuppeditare: non enim ea res ſumtui illis eſt: & præterea ad eam naturæ quodam inſtinctu movemur, amiciſque noſtris adverſi aliquid patientibus condolemus. Mihi hoc tempore nihil eſt, quo te juvem, præter unum conſilium, quod genus auxilii leviſſimum omnium eſt. Iterum dico, optimis rebus tuis remedium hic fore, ſi iſthic bene te geſſeris. Cogita, quæſo, annon & alii fuerint omnibus temporibus exſules, ſive te majores, ſive pares tibi, ſive etiam tenuiores, quibus exſilium, felicitatis initium fuit. Moſes, quum ſolum vertiſſet, Deum vidit. Marco Camillo exſilium civitatem Romanam dedit. Cicero magnitudinem ſuam exſilio debet. Exſilium innumeris aliis, Deo ita diſpenſante, quietis cauſſa fuit. Pari ratione dubium non eſt, quin ex hoc quoque tuo exſilio aliquid Deus producturus ſit, quod in tuum bonum cedat, præcedentiumque malorum ſenſum omnem exſtinguat. Nam, quæ ejus eſt bonitas, gaudium immittit poſt pœnam, & afflictiones lachrymaſque ipſius gratia ac miſericordia excipit.

Facile omnes conſilia damus.

Sed objicies fortaſſe, me conſolationem potius ſcribere, quam conſilium. Itaque ad conſilium ipſum jam veniam, & ad media emergendi ex calamitate, utpote in quibus poſita eſt vera conſolatio. Rogo igitur, ut memoria repetas, quibus & verbis & factis Deum offenderis. Intelliges profectò, niſi perverſe judicaveris, plus tibi dimidio culpæ Deum condonare. Quã conſiderationem contritio & dolor ob peccatum conſequetur: cui ſi aditum permiſeris, ut venas reneſque penetrans, cor ipſum invadat, idq; ira premat coarctetque, ut ejus compaſſione gelidus ſudor erumpat, certò futurum ſpondeo, ut lætiore nuncio exhilateris, & ad meliorem conditionem eveharis. Non enim audivi aut legi, unquam à Deo non exauditum fuiſſe, qui vero & interno dolore & cordis contritione ob peccata affectus fuiſſet.

Pœna culpam ſequitur.

D. Matthæus refert, in conferta Chriſtum ſequentium turba, mulierem ſanguinis profluvio laborantem, Chriſtum tetigiſſe: qui quum cognoviſſet apud ſe, quod à ſe vis exiiſſet, quamvis coarctaretur à turba, tamen interrogavit, quis ipſum tetigiſſet? Prorſus mihi perſuadeo, quantumvis templum repletum ſit auditoribus, tamen pauciſſimos eſſe, qui veſtimenta Chriſti ita, ut hæc mulier fecit, contingant cum vera devotione & contritione, ad conſequendam vim gratiæ ipſius, & liberationem à ſanguinis fluxione, quæ peccatum eſt. Si enim faceremus, quod illa fecit, liberationem quoque divinam non minus experiremur quam illa experta eſt. Tangamus igitur contritione & dolore noſtro fimbriam pallii Chriſti, & ipſe ab afflictione noſtra nos vindicabit. Tangamus veſtẽ ipſius lachrymis noſtris, & ipſe miſericordia ſua nobis reſpondebit, tribulationibus noſtris medebitur, gaudium noſtrum nobis reddet, & quæcunque erunt nobis neceſſaria, facilis largietur. In exſilio & miſeria conſtitutus David, lachrymis cubile ſuum madeſaciebat, dicẽs: Tu es Domine, qui mihi hæreditatem meam reſtituturus es. Quam & reſtituit illi Deus, & reſtituet omnibus agentibus pœnitentiam. Crede mihi, mi Petre, nullum eſſe tutius medium conſequendæ gratiæ Dei, quàm ſi nos coram ipſo humiliemus, & ob peccata noſtra ſerio & ex animo doleamus. Horrendam ſententiam de Achabo jam pronunciatam dolor ipſius & contritio revocavit. Moriturum Ezechiam, jam ei annunciatum fuerat, ſed pœnitentia & preces vitam prorogarunt. Tu quoque, ſi ſanctiſſimos hoſce viros, qui tamen & ipſi magni peccatores fuerunt, imitatus, ſimili contritione & dolore peccata tua defleveris, dubitare non debes, quin benigniſſimus Deus ſententiam tuam reſciſſurus ſit. Qui ſi eam non reſciderit, nõ eſt quod tibi perſuadeas, ſatis à te ſudarum eſſe, ſed redeundum eſt tibi ad eandẽ contritionem, & cogitatio non in aliquo homine, neque uſpiam, niſi in ſolo Deo figenda: & tandem teipſa tanto deſiderio exſpectati remedii eventum conſecutum te experieris. Neq; enim Deus in ſe ſperantes confundi ſinit.

Optimum in malis remedium.

Quod

Deo recte fidit, qui mũdo non fidit.

Quod ſi ſero admodum ad Deum converſus tibi videaris, non eſt quod turberis. Multi enim ab ipſo in gratiam recepti ſunt, qui, poſtquam omni humana ope exciderant, ad extremum ad ipſum confugerunt: Ita potius infirmitatis noſtræ Deus rationem habet, quàm fiduciæ, quàm ab initio in ipſo repoſuerimus. Venceslaus Rex Hungariæ, pulſus in exſilium, & relictus à ſuis, dicere ſolitus eſt: Fiducia, quàm habui in hominibus, obſtitit, quo minus in Deo poſſem ſpem ponere: nunc vero, quoniam in ſolum Deum omni mea fiducia recumbo, certus ſum, divinam ejus bonitatem mihi auxilio futuram. Quod & factum eſt: reſtitutus enim in Regnum, amiſſum in regiones ſubditosque ſuos imperium recuperavit. Tu ſi hæc omnia probe intellexeris ac conſideraveris, facile animadvertes, Deum eſſe, qui te caſtigat, ideoque te ipſum aliquando benignum quoque experturum. Ego non dubito, quin hæc caſtigatio illud apud te effectura ſit, ut deinceps contra ipſum nihil amplius delinquas, ne quidem ſi ipſe Rex juſſerit: & ut ex altera parte, adverſus Regem ne tantillum quidem moliaris. Prolixior in ſcribendo ſui, quod ſcirem, tibi ſat ocii ſuppetere ad legendum.

AD FERDINANDUM TOLETANUM, &c.

EPISTOLA.

Qua duo S. Scripturæ loci, tum ſepulturæ apud Ægyptios ritus explicantur.

Præcipuum bonum valetudo.

Brevius hoc tempore tibi reſpondere execrabilis podagræ morbus me cogit, qui nec incedere, nec ſtare, nec ſcribere, nec quieſcere me ſinit: ita nihil eſt in toto corpore meo ſani, niſi quod cor in ſuſpirando, & lingua in conquerendo, officio ſuo non deſunt. Amicos ex vetere more his verbis primitus compellamus. Ut vales? ut valuiſti? Quæ mihi conſuetudo laudabilis videtur, nec ullatenus abroganda. Nam quamdiu homini aureus ſupereſt, & valetudo, ut eo frui queat, de quo conqueratur non habet. Ipſe Frater tuus, Dux Albanus, præſens me inviſit, & unguentum inſuper eximii precii quo ungerer, mihi dono dedit: quam benignitatem optimo Principi Deus remuneretur: nam præſentia ejus mihi gaudio fuit, & unguentum dolorem meum non parum ſublevavit.

Tibi gratias ingentes ago, quum ob ſcriptum & ſcripti argumentum, tum ob miſſam pecuniã: quam, coemendis libris abs te deſtinatam, vereor ne in Pharmacopolas & Medicos cogar inſumere. Illud nihilominus tibi perſuaſum habeas velim, me ob hoc beneficium non modo toti Illuſtriſſimæ tuæ familiæ ad omnia officia paratiſſimum, ſed etiam tuorum meritorum atq; virtutis diligentiſſimum fore præconem.

Quod petis, ut duorum ſcripturæ locorum, quos hic pro concione, præſente Imperatore, nuper expoſui, ſcriptam explicationem tibi mittam, faciam perlubens. Prior locus deſumtus fuit ex Levit. XIX. cap. his verbis. *Super mortuo non incidatis carnes veſtras, neq; figuras aliquas, neq; ſtigmata, neq; calvitium, &c.* Quorum verborum hęc eſt ſententia: Deus præcipit vobis Judæis, ne defunctis amicis veſtris, capillos veſtros manib' evellatis, nec unguibus faciem laceretis, nec carnem veſtram conſcindatis, neque literarum notas corpori veſtro incidatis. Quod ut melius intelligatur, obſervandum eſt, Iſraelitas ab Ægyptiis, longo annorum uſu, corruptorum morum conſuetudinumque contagium traxiſſe. Erant Ægyptii naturæ quadam inclinatione magi, præſtigiatores, Aſtrologi, dierum obſervatores, denique multæ ſuperſtitionis homines. In amicorum funeribus curandis nulla totius orbis gens iam ſuperſtitioſis ritibus uſa legitur, atque Ægyptia. Plus enim honoris defunctis amicis exhibebant, quàm vivis. Nam mortuo vel patre, vel filio, vel alio ex neceſſariis, dimidium capillorum evellebant, eo ritu teſtantes, eum qui obierat, dimidium animæ ſuæ fuiſſe. Huc ergo reſpiciens Deus, vetuit, capillos Ægyptiorum ritu radere. Præterea fœminis Ægyptiorum mos erat, amiſſo marito, vel nato, vel aliquo, quem carum habuiſſent, vultum unguibus conſcindere: id quoque Iſraelitis Deus interdixit. Sacerdotes Ægyptiorum, mortuo ſummo ſacerdote, ferro ignito manum aut brachium, aut pectus charactere ſignabant, quem

Ægyptiorum ſuperſtitiones.

quoties

quoties intuerentur, lachrymas emitterent. Rege mortuo, Ægyptii vulnus vel manui, vel brachio, vel faciei, vel capiti infligebant, idque eo majus, quo quiſque regi carior fuiſſet. Deus igitur, quum edicit, ne Iſraelitæ characteres incidant brachiis, nec capita faſciis obvolvant, hoc vult, ne ullo modo hanc Ægyptiorum ſacerdotum aulicorumque conſuetudinem imitentur.

Harum autem rerum interdictum, ut & illius, ne jumentorum ſuorum ſinerent coire duo genera, item, ne in agro ſuo ſererent duo ſeminum genera, item, ne veſtimento duplicis materiæ variè commiſtæ induerentur: hæc, inquam, myſterio non carent, nec pronugis puerilibus ullo pacto haberi debent. Erant enim cæremoniæ Ægyptiacæ, quas Iſraelitis Deus imponebat.

Eſt autem notandum hoc loco, Deum, dum vetuit capillos vellere, faciem lacerare, aut ſibi vulnus infligere, non ob id prohibuiſſe, ne amicos lugeant. Nam pilos radere, faciem conſcindere, & quæ ſunt ſimilia, in arbitrio & poteſtate noſtra ſunt: at lachrymari, & morte amici affici, naturale eſt, & evitari nequit: ſiquidem rei caræ amiſſione animo tenero & humano nihil moleſtius triſtiusve accidere poteſt. Experientia teſtis eſt, etiam bruta animantia, ſuetis ſociis & pullis amiſſis affici, & luctum geſtu teſtari: & nos, multo illis nobiliores quum ſimus, amicorum noſtrorum obitum non deplorabimus; indeq; exſiſtens temporis tædium non deflebimus? Quod ſi vicino aliquo noſtro maritimo itinere peregrinante, aut foris militante, aut alia ratione afflicto, lachrymas non continemus, quid eſt, cur, ſi terra contegi amicum noſtrum videamus, prohibeamur flere? Recte quidam ait, toties hominem mori, quoties amicum ſepulturæ tradit. Et meo judicio non dixit male. Quum enim, qui ſe mutuo amore proſequuntur, idem ſint, & idem velint, conſentaneum eſt, morte amici non aliter nos affici, ac proprio malo.

Adfert natura dolorem.

Alter locus, pro concione à me tractatus, ſic habet: *Eligite ex vobis viros ſapientes & nobiles, ut ſint tribuni.* Verba ſunt Dei, Deuteronomii primo capite. Non ſine ſingulari myſterio præcepit Deus, ut judices populi ſimul eſſent & ſapientes, & nobiles. Nam ab eo regi, cujus inſignis eſt doctrina, at nulla nobilitas, parum grata res eſt: rurſus grave moleſtumque eſt, illius imperium tolerare, qui nobilitate quidem pollet, ſed caret ſapientia. Doctrina & rerum uſus requiritur in judice, ut cauſſas oblatas decidere norit; nobilitas, ut pro ſua quemque conditione & ſtatu tractare & honorare ſciat. Quum præcipit Deus, ut judices populi ſui ſint ſapientes, non hoc tantum vult, ut Bartolum & Baldum edidicerint & memoria teneant, ſed ut auctoritate, gravitate, manſuetudine & humanitate excellant. In bono enim judice nihil eſſe oportet, quod reprehenſionem mereatur aut culpam incurrat. Eoſdem nobiles eſſe convenit, eo quod quotidiana experientia doceat, facilius populum in officio contineri & ad pacem concordiamque redigi à magiſtratu nobili, quam ab ignobili. Moſes, quem primum populo ſuo judicem Deus præfecit, in Aula Pharaonis educatus fuit, ut ibi diſceret & bonos honore afficere, & malos pœnis coercere. Multum intereſt, an quis militiæ præſit, ſive Remp. gubernet. Nam ad militandum opus eſt pugnacibus, fortibus, audacibus & animoſis: ſed ad Remp. adminiſtrandam, civilibus & humanis. Non ſemper verum eſt, plebeios homines, agreſtes eſſe; nobiles & Aulicos, civiles: fere tamen ad Rempublicam capeſſendam aliis magis idonei ſunt qui Aulam ſequuntur. Nam qui in Regum & Principum domibus ſunt educati: hominum debito cum reſpectu & diſcretione tractandorum, ſervandæque in converſatione & cæteris rebus civilitatis peritiores ſunt. Ad juris rigorem pauca res exiguntur: & pauciores vi gerēdæ ſunt. Quamobrem in judice ſapientiam cum nobilitate conjunctam eſſe oportet: ut, quid juſtum ſit, in conſcientia judicare poſſit, & per indolis generoſitatem juris rigorem æquitate temperare. Hoc fere fuit inter alia concionis, præſente imperatore à me habitæ, argumentum: quæ ſi magis placuit tibi, & uxori tuæ audientibus, quàm nunc placet legentibus, id calamo imputabis, cui non ineſt is lepos, qui linguæ.

Doctrina & Nobilitas conjungenda.

Aula civiles facit.

Ad

FRIDERICUM THALASSIARCHUM

EPISTOLA.

In qua apud priſcos uſitati ſepulturæ ritus explicantur, & Epitaphia aliquot deſcribuntur.

SI indignatione adverſus te commotus fuero, nugas egero: & ſi nihil reſcripſero, multo majores nugas egero. Video enim, perpetuo tecum mihi belligerandum eſſe. Non quidem inficior, aliquam experientiam me rerũ conſequutum eſſe peregrinatione, lectione, & cum adverſa fortuna conflictatione: tibi tamen, Domine, ætatis negotiorumque meorum habenda ratio fuit, cogitandumque ea neceſſaria eſſe, tuas autem quæſtiones plus curioſitatis, quam utilitatis habere. Non ſemel & ore & literis tibi ſignificavi, quum ſtatura ſis humili, ſed animo ſupra modum magno, rem fore multæ commoditatis, ſi ea inſtitueretur inter te & Alphonſum Spinellum permutatio, ut tibi de ejus vaſto corpore, ipſi autem de animi tui magnitudine portio aliqua communicaretur. Nam quum utrimque conſidero illius quidem ignavos & ſomnolentos, tuos vero fervidos ſpiritus & vividos, parum abeſt, quin te appellem animam ſine corpore, illum vero corpus ſine anima. Unum eſt quod me erigit, ætas utriusque noſtrum affecta & gravis, quæ faciet, ut minus frequenter deinceps ſcripturi in vicem ſimus. Nam, ut inquit Plato, *Juvenibus vita in incerto, ſed ſenibus mors in certo eſt.* Deum precor, ut, quod reſtat nobis ævi, ſive longius futurum eſt, ſive brevius, ad ejus voluntatem & ſervitium exigatur. Nam ut fabula, ſic vita, non quam diu, ſed quam bene acta ſit, refert. Sed; amoto joco, decretum eſt mihi ad literas quæſtionesque tuas quam breviſſime deinceps reſpondere. Sapientis enim eſſe aiunt, ultro & bona cum gratia facere, quæ velis nolis, vel ingratiis tamen faciunda ſunt.

Animus anguſte habitans facile erumpit.

Non quã diu, ſed quam bene.

Quæris de ſepulturæ & Epitaphiorum apud veteres ratione & forma. Unde in mentem mihi venit, teipſum de ſepultura & Epitaphio ei incidendo jam cogitare. Admirabuntur opinor, & ridebunt etiam qui quæſtionem tuam, meamque ad eam reſponſionem legent, dum peregrinas hiſtorias, & conſuetudines inauditas me tibi quaſi domi peregrinanti narrantem velut audient. Plinius libri ſeptimi initio, mala vitæ humanæ deſcribens, dicit, ex omnibus animalibus, quæ natura producit, ſolum hominem flere, quum naſcitur: in hunc ſolum cadere ambitionem, ſuperbiam, faſtum, avaritiam, curioſitatem & ſuperſtitionem: ſolum longioris vitæ deſiderio teneri: ſolum ſepulcrum ſibi, quo requieſcat, condere. Recte omnino & vere. Nec enim ullum animalium ceterorum eſt, quod vel abundantia efferatur animo, vel deprimatur inopia; quod vel deploret nativitatem ſuam, vel mortis metu angatur, nec quod corradendi opes teneatur ſtudio. Omnia vitam conſervare ſata gunt, de ſepultura nequaquam ſollicita. Soli homini marmor Genua mittit, Alabaſtritem Phœnicia, Creta Cryſtallum, ebur Guinea, tantum ut monumentum ingentis pretii conſtituat, quo oſſa ſua condantur, dum caro eſca fit vermium. Non equidem eorum ſtudium reprehendo, ſed laudo potius, qui templa & ſacella ædificant, monumenta erigunt, tabulas & alia id genus donaria ornamentaque dedicant: attamen ſatius fore pronuncio, ſi homines vitam DEO placentem agere, quam ſepulturas ſumtu magno ſibi exſtruere laborent. Quam multa hominum tenuioris fortunæ corpora in cœmeteriis tumulata jacent, quorum animæ cœleſti quiete perfruuntur: & rurſus quam multorum ex fortunatis illis animæ infernalis ignis ſupplicia luunt quorum corpora magnificis & magno gemmarum apparatu exornatis monumentis condita aſſervantur! Ardente Troia, Anchiſes ſenex monitus à filio Ænea urbe excedere, ne ſepultura ipſi carendum eſſet, reſpondit, *Facilis jactura ſepulcri*: ſignificans, nullius rei curam minus neceſſariam eſſe, quam ſepulturæ. Et recte: vivos enim etiam muſcæ aut pulicis morſu videmus offendi: at quod funeri ſuo curando non ſatis impenſum eſſet, hactenus quidem nemo fuit conqueſtus.

Solus homo ſepulturæ curam habet.

Sed ut de ſepulturæ modis aliquid dicamus, Scythæ, ſi Homero & aliis fides, defunctos omnium operoſiſſime ſepelierunt, ac ſepulcra majorum maxima veneratione proſequuti fuerunt. Scribit Xenophon Thebanus, fugientes Darii exercitum Scytham, Dario per legatos percunctanti, quo tandem fugituri, aut quem finem fugæ facturi eſſent, reſpondiſſe: Ad majorum usque ſepulcra, ad quæ ubi tu quoque nos inſe-

Varii ſepulturæ modi.

 ſequens

Digitized by Google

ſequens perveneris, tum intelliges ea multo pluris à nobis quam uxores, filios ac fortunas fieri, immo mortuorum oſſa vita nobis chariora eſſe.

Salaminii humandorum terga Agarenis capitalibus ipſorum hoſtibus obvertebant, ut mortui quoque inimicitiam teſtarentur.

Apud Maſſagetas ſanguine proximi è defunctorum venis antequam frigeſceret, ſanguinem omnem extrahebant, eoque avide epotato, cadaver ſepeliebant. Hircani mortuorum cadavera vino abluta, oleo perungebant: idque oleum deinde cibis, & vinum potui adfundebant.

Caſpii mortuorum cadavera ſtatim in rogum impoſita exurebant, cinerem deinde in vaſe collectum, & vino admiſtum, ebibebant: ſic ut vivorum inteſtina mortuorum eſſent ſepulcra.

Scythæ vix quemquam, præſertim è magnatibus ſepulturæ mandabant, quin ei vivum aliquem comitem veluti adjungerent. Quod ſi nemo forte eſſet, qui id officii voluntarius obire vellet, mancipium aliquod emtum unà cum mortuo in terram defodiebant.

Bactriani (quorum mores immane quantum ba omni humanitate degenerabant) mortuorum cadavera ſuſpenſa, fumo, uti apud nos carnibus & piſcibus ſaliris fieri ſolet, durabant: deinde ubi ſiccata fuiſſent, fruſtum inde defectum in ollis coquebant, menſiſque appoſitum vorabant.

Quinimo fuerunt qui canes ſeu moloſſos ingentes alerent, quibus defunctorum corpora dilaceranda ac voranda objiciebant: ſic ut canum inteſtina hominum eſſent ſepulcra.

Ne vero dicis cauſa tantum hæc à me ſcribi vel fingi potius exiſtimes, legas ſuadeo ea quæ à S. Hieronymo contra Jovinianum, & in Polyanthea, titulo *De ſepulcris* prodita ſunt, ubi multo his plura ac non minus mira invenies.

De Beli, Nini, Semiramidis, Promethei, Ogygis & aliorum Ægyptiorum Regum Sepulcris ſeu Monumentis Diodorus Siculus in Bibliotheca ſua tam multa tamque fabuloſa ac ſuperſtitioſa ſcribit, ut ab iis recenſendis hoc loco merito mihi abſtinendum eſſe judicem. Scythæ quidem defunctos ſuos ſandapilis è ligni quodam genere omnis cariei experte impoſitos, in aperto campo paſſim humabant. Hebræi vel in vinea vel agro, qui ipſorum eſſet, ſepulcra ſibi faciebant, aut in ſaxo incidi curabant, quorum

Sepulcra ſeu Mauſolea celebriora.

ori lapis poſtea ſuper imponebatur. Omnium autem fere gentium olim mos fuit, ut mortui in ſuis quisque ædibus vel prædio ſepelirentur, quemadmodum hoc paſſim, in Italia præſertim, obvij tumuli teſtantur.

Romæ quatuor celeberrima olim erant ſepulcra ſeu Mauſolea. Cæſaris Octaviani Auguſti, quod hodie *Aguchi* dicitur: Imperatoris Hadriani, ubi hodie Caſtellum eſt S. Angeli: Alexandri Severi in Vaticano: & M. Aurelii in campo Martio. Multi quidem olim, Hebræorum, Perſarum, Græcorum, Latinorum atque aliorum populorum Monarchæ, Reges ac Principes ſumtuoſiſſima in toto terrarum orbe, tam vero Deo, quam fictitiis numinibus templa ac delubra exſtruxerunt; nemo tamen illorum in loco tam ſacro humari voluit, ne ſcilicet deorum honor & religio profanaretur. Atque inde eſt, quod in vetuſtis Martyrologiis, ubi de Sepulcris fit mentio, non templa ſed cœmiteria commemorantur. Poſt Conſtantini Magni demum tempora mos invaluit, ut defunctorum corpora in Eccleſiis ſeu templis ſepelirentur: in quo Veteres illos devotionem magis & pietatem quam avaritiam ſequutos eſſe credendum eſt.

Ad alteram Epiſtolæ tuæ partem venio, qua diligentiam meam & in rebus memorabilibus perſcrutandis curioſitatem laudas; quumque non dubites, quin varia paſſim Epitaphia, præſertim Italiam cum Cæſare obiens, notarim atque exſcripſerim, petis, ut eorum tibi copiam faciam. Equidem fateor, hac in re bibonibus me non eſſe diſſimilem, & quemadmodum illi nihil magis requirunt, ac lubentius adſpiciunt, quam hederam ſeu tabernam, ita hæc talia à me non minus curioſo oculo, quam animo cupido notari. Et diverſorum quidem Epitaphiorum hic ibi collectorum ſatis magnam habeo copiam: quorum nonnulla gravia ſunt, & pietatem quandam ſpirant, alia acutis, alia elegantibus, alia ridiculis formulis concepta ſunt, quædam etiam ſingularem malitiam aperte præ ſe ferunt. Horum omnium exempla quædam ad te mitto, ut meliora inde magisque placitura eligens, cetera vel rideas vel contemnas.

In ſacello noſocomii Neapolitani ſacrum cum Cæſare audiens, eoque perfecto locum perluſtrans, ſequens Epitaphium Nobilis adoleſcentis ſepulcro matris cura inciſum inveni:

Varia Epitaphiorum formula.

Qua

Quæ mihi debebas ſuprema munera vitæ,
Infelix ſolvo nunc tibi, nate, prior.
Fortuna inconſtans, lex & variabilis ævi,
Debuerat cineri jam ſupereſſe meo.

In eadem urbe Monaſterium eſt Deo dicatarum Virginum, S. Claræ titulo, in cujus templo ſepulcrum vidi deſponſatæ jam, ſed eo ipſo, quo nuptiæ celebrandæ erant, die morte abreptæ Virginis, his verbis conceptum:

Nata, eheu miſerum, miſero mihi nata parenti
Unicus ut fieres unica nata dolor.
Nam tibi dumque virum tædas thalamumque parabam,
Funera & inferias anxius ecce paro.

Capuæ in templo quodam ſacrum peracturus, è ſepulcro ſemidiruto ſequens enotavi Epitaphium:

Fui, non ſum.
Eſtis, non eritis.

Cajetæ, quæ vetuſta admodum & celeberrimo portu inſignis Italiæ urbs eſt, in vetuſto quodam ſepulcro Epitaphium vidi, his litteris ſcriptum, & animo cujusque inſcribendum:

SYLVIUS PALLADIUS,
Ut moriens viveret,
Vixit ut moriturus.

Romæ ſtationes (quas vocant) pietatis ergo obiens, in D. Paulli templo ſingula accurate cōtemplatus, lapidi ſepulcrali in ſolo jacenti ſequentia itidem aurea verba inciſa legi:

Hoſpes quid ſim vides.
Quid fuerim noſti.
Futurus ipſe quid ſis cogita.

Ibidem monaſterio Minervæ, ubi jam Dominicanorum habitat ſodalitas, quum in hebdomada ſacra divinis intereſſem officiis, quod ſequitur notavi Epitaphium:

O mors ô mors ô mors,
Ærumnarum portus,
Et meta ſalutis.

Cæſare in Africam ad Tunetanum bellum profecto, contigit ut Siciliæ Prorex, Comes Monteleonis de Calabria, moreretur, ob ſeveram adminiſtratæ juſtitiæ rationem, atque inprimis Camaratorenſem Comitem & alios capite multatos, Siculis maxime inviſus. Ejus cadaver quum Meſſanæ in Franciſcanorum æde fuiſſet depoſitum, quidam ſepulcro ejus ſequentia verba addiderunt:

Qui propter nos homines,
Et propter noſtram ſalutem,
Deſcendit ad inferos.

Anno M D XXIII. per Navarram iter faciens, in loco quodam Viano appellato, non procul à Logronno, mane ſacram quandam ædiculam ingreſſus, Valentini Ducis ignobili ſepulcro ſequens vidi inciſum Epitaphium:

A qui yaze in poca tierra,
Al que todo le temia:
El que la paz y la guerra
Por todo mundo hazia,
O tu que vas à buſcar
Dignas coſas de loar,
Si tu loas lo mas digno
A qui pare tu camino,
No cures de mas buſcar.

Id eſt, ut nos liberiore ſtilo vertimus:

Hic gleba exigua tegitur qui nutibus ante
Omnia terrebat: cui vix ſuffecerat orbis,
Quem pace & bello varie permiſcuit, hoc en
Iam tegitur tumulo. Qui tranſis forte viator,
Diſce meo exemplo monitus, laudanda patrare,
Nec vaſtas animo nimium ſpes concipe fruſtra.

Bello, quod in Inſubria ſuperioribus annis geſtum fuit, miles quidam Hiſpanus ſatis ſtrenuus, & opibus mediocriter dives obierat; ab amicis loco admodum ignobili inter Placentiam & Vogueram ſepultus, hoc addito Epitaphio:

A qui yaze Campuzano,
Cura animallecio el demonio,
y la ropa el ſennor Antonio.

Id eſt:

Hic jacet miles Campuzanus
Iam mortuus ſed olim ſanus.
Animam reliquit dæmonio,
Peculium Domino Antonio.

Alexandriæ de la palea alterius ex eadem gente militis vidi ſepulchrum, & juxta id ſequentia parieti inſcripta verba:

A qui yaze Horoſco el Sargente
El qual bivio iugando,
Y murio beviendo.

Id eſt:

id eſt:

Horoſcus hic jacet Sargentus,
Ne dubita, male contentus:
Qui vixit ludendo,
Mortuus bibendo.

Aſtæ, Cæſari ad bellum contra Galliarum regem proficiſcenti, in ipſa expeditione alius quidam miles diem ſuum obierat, in Franciſcanorum æde ibi ſepultus. Is quamvis pauper, teſtamentum tamen condiderat, ac multa Legata fecerat: in quæ aliusvis quidam jocatus, ſequens Epitaphium ſepulcro ei adſcripſit:

A qui yaze Billandrando,
El qual jugo lo que tenia,
y mando lo que no podia.

id eſt.

Hic jacet Billandrandus,
Qui qua habuit ludendo abſumpſit,
Quæ non habuit, teſtamento legavit.

Niceæ, me præſente, alius quidam miles ſepultus fuerat: quumque veſperi ad vigilias pro ipſo recitandas unà cum aliis eò veniſſem, ſequentia verba ſepulcro ejus carbone inſcripta vidi:

A qui pace el Soldato Billoria,
El qual mando el cuerpo ala ygleſia,
y el coracon al amiga.

id eſt:

Villoria miles hic jacet:
Qui corpus ſuum Eccleſiæ,
Cor vero amicæ tradidit.

In Hiſpania mulieris cujusdam vidi ſepulcrum, (quam cognatione mihi junctam, ſi quis dixerit, non mentiatur) ad cujus ſepulcrum hoc Epitaphium à neſcio quo fuerat appoſitum:

A qui yaze la Sennora donna Marina, que
murio trenta dies antes que fueſſe
Condeſſa.

id eſt:

Hic domina Marina jacet, quæ triginta diebus prius mortua eſt, quam Comitiſſa fieret.

Anno M. D. XVIII. quum Soriani Conventus præfectus ſeu Guardianus eſſem, & in caſtra ad Gomaram concionum habendarum gratia itarem, in vetuſtum quoddam ſepulcrum incidi, cujus lapidi hæc verba inſcripta legebantur.

A qui yaze Iuan Huſillo Calbo,
El qual enſennava à nadar los mocos,
y à bayllar las mocas.

id eſt:

Ioannes Huſillus Calvus hic jacet:
Qui pueros natare,
Et puellas ſaltare docuit.

In valle Annozana ego aliquot annos vivens, & ut pauper religioſus eleemoſynas à loci iſtius hominibus petens, oberrabam. Quum ergo in monaſterio Miſericordiæ de Paredes degerem, ſepulcro cuidam inſculptum ſequens vidi Epitaphium:

A qui yaze Pero Calbo capatero,
Maeſtro de obra prima,
y gran peſcador de labara.

id eſt:

Hic ſitus eſt Petrus Calvus, ſutor, ſuæ profeſſionis.

Artifex inter primos, & reticulo piſcandi
peritiſſimus.

Proxime elapſo anno diœceſin meam ſive Epiſcopatum Mondonedienſem viſitans, in Traſecani Archidiaconatus quodam templo juxta maris litus, Nobilis cujusdam Epitaphium legi his verbis conceptum.

A qui yaze Vaſco Bello,
Home boo y fidalgo,
Que trazendo eſpada.
A nenguen mato con ella.

id eſt:

Hic ſitus eſt Vaſcus Bellus,
Qui gladium nunquam non educens,
Nunquam tamen quemquam occidit.

Provinciam de Conceptione, quam vocant, ut cuſtos obiens, & ad conventum noſtri Ordinis generalem proficiſcens, forte in Luſitanos quosdam ejusdem Ordinis ſocios incidi, inter quos erat Guardianus Santareanus, homo perdoctus & bonus. Is quum animadvertiſſet ſingulari me Antiquitatum ſtudio teneri, narrabat mihi in monaſterio Santareano Nobilis cujusdam Luſitani exſtare Epitaphium, his verbis conceptum:

A qui yaze Vaſco Figueira,
Muyto contra ſu voluntade.

id eſt:

Hic ſitus eſt Vaſcus Figueira,
prorſus præter ſuam voluntatem.

Tam profunda tam paucis, ſed ipſiſſimis, ut ita dicam, verbis concepta ſententia, ita me Deus amet, non niſi ab emuncti ingenii ac judicii homine proficiſci potuit. Mihi quidē ſemper ita viſum

viſum eſt, in Luſitanorum actionibus ſummam prudentiam, in dictis ſingularem acrimoniam elucere. Quid enim verius tam paucis verbis dici poterat, quam Vaſcum Figueiram, aut quemcunque alium præter voluntatem ſuam in ſepulcro jacere? Nam per Deum immortalem, quod nam unquam in toto terrarum orbe eſt, fuit aut erit tam operoſum, tam elegans tamque preciosum ſepulcrum, in quo lubenter & quaſi ultro quisquam condi velit? Quis tam eſt ab omni ſenſu alienus, qui non in anguſta & ruinoſa quapiam cella vivere, quam in auguſto ac ſpacioſiſſimo monumento mortuus jacere malit? Mihi crede, non ſolum Vaſcus Figueira in ſepulcro ſuo, ſed Machabæi quoque in ſuis Pyramidibus, Semiramis in monumento ſuo pulcerrimo, Cyrus ſub Obeliſco, Auguſtus ſub Columna, Hadrianus ſub ſuperba illa mole, & alii ubicumque ſepulti, inviti jacent. Quos omnes ſi nobiscum loqui, nobisque reſpondere poſſent, ſcio id certo profeſſuros atque etiam per omnia ſacra juraturos, præter ſuam voluntatem in ſepulcris ſe detineri. De te, Domine, illud mihi certo videor affirmare poſſe, ſi Vaſcus Figueira præter voluntatem in ſepulcro iaceat, te non minus invitum, quod vivus tibi exſtrui curaſti, monumentum, quantumuis operoſum atque elegans, ſubiturum.

Hac in epiſtola prolixior fui, non tam ut admirandi quam ridendi tibi materiam ſuppeditarem; ſolenniter illud iam hoc ipſo proteſtans, non eſſe ut intra ſemeſtre ſpacium ullas à me exſpectes litteras, etiam nec à provocato quidem. Et quidem ſpero, me ſi non à modeſtia tua & humanitate, ſaltim ab ipſa æquitate facile impetraturum, ne occupationes meas magis neceſſarias interpelles. Vallidoleti XXX. Martij Anno MDXXXIV.

Ad
RECTOREM TIMAIUM
EPISTOLA.

Cujus argumentum eſt, Probi patris familias domum omni turpitudinis ſuſpicione liberam eſſe debere.

MEmoriæ proditum legimus, Bonæ Deæ, apud Romanos olim ſtante adhuc Republica, non niſi ab honeſtis matronis ſacra fieri ſolita, & quidem tanto cum pudore & verecundia, ut modo viris intereſſe non liceret, verum etiam virorum ſtatuæ & imagines obtegerentur. Inventus tamen fuit perditæ libidinis adoleſcens Clodius nomine, qui muliebri veſte indutus, honeſtam matronam ſolam deprehenſam, vitiavit. Licet vero criminis huius vel ſacrilegij potius manifeſtus eſſet, largitionibus tamen is iudices ita corrupit, ut abſolutus fuerit: nec hoc contentus, iisdem judicibus, quos vellent, & formoſiſſimarum quidem mulierum amores promiſit & conciliavit. Et quidem gravius multo illud eſt Clodij flagitium, quo alios ad flagitia induxit quam quo flagitia ipſe perpetravit. Alterum enim humanum eſt: alterum diabolicum.

Graviſſimum peccatū, alios ad peccatū inducer.

Hæc eo à me dicuntur, quod compererim filios tuos non ſolum ipſos multa nequiter facere, verum etiam aliis ad nequiter faciendum auctores eſſe. quod ad gravem ipſorum culpam, ſed ad graviorem tuam infamiam pertinet. Id tu ſi ſcis, & diſſimulas tamē, non recte facis, at ſi neſcis, ſummam tuam prodis negligentiam & ſocordiam. Eſt enim viri honorati qualis tu eſſe vis, ſuum ſuæque familiæ honorem magis ſollicite, quam argentum vel aurum habere ac cuſtodire. Et Heli ſacerdos, non quod ipſe nequiter faceret, punitus fuit, ſed quod filiis nequiter facientibus per connivertiam indulgeret. Patris eſt liberorum, quos obſequentes ſibi habere cupit, primam infantiam recte educare, atque ab omnibus procul vitiis ad virtutem erudire, exorbitantium vero peccata nequaquam ferre aut diſſimulare, ſed quibus par eſt modis punire. Atque utinam filij tui ſoli per ſe turpes ac flagitioſi eſſent, neque alios, tanquam nequiſſimi illius Clodii imitatores, corrumperent; ut ſic ſoli etiam punirentur. Quare evigila tandem quæſo, habe curam tui gregis, tui honoris, tuę tuorumque ſalutis: nec dubita ſi illi Clodianæ culpæ ſint participes, pœnæ quoque participes futuros.

Socius culpa, ſocius pœna.

Ego, ſi tu neſcis, pro certo comperi, Burgenſis xenodochij limina vix tanto pauperum, quam tua, ſcortorum & famoſorum hominum numero frequentari. Huic tu malo, quam primum ac ſine omni mora remediū quære & adfer. Id enim niſi feceris, amicum ego te nullo modo agnoſcam, nec ſi poſſim, juvare velim.

Quod addis ad id ætatis te jam provectum adeoque faſtidii plenum eſſe, ut Mathuſalæ ætatem vixiſſe tibi videare, meo quidem judicio

Digitized by Google

rectius faceres, ſi labores & miſerias, quas perpeſſus es, ponderes, quam ſi annos, quos vixiſti, numeres. Homini enim in deliciis viventi etiam quantumvis longa vita, brevis; triſti econtra & miſeriis oppreſſo etiam breve momentum quã longiſſimum videtur. Ais valde ſenem te tibi videri. Atqui non videri, ſed eſſe ſenem oportet: Senex vero eſt, apud quem peccata ſeneſcunt & ceſſant. Nihili nimis ſunt homines quibus caput canis, & frons rugis plena, ſed animus ad nequitiam ſemper viridis & intellectus pluſquam puerilis eſt. Atque hinc eſt, quod improbi ſenes vitam faſtidiunt, & mortem tamen exhorreſcunt. Iidem nullam aliam ob cauſſam mœrent, quam quod parum temporis ad peccandum ſibi ſupereſſe vident. Quos certum eſt non alium peccandi, quam viventi finem facturos.

Quod de ſtomachi tui imbecillitate & ciborũ faſtidio quereris, vellem equidem, ut uterque noſtrum, tu ſtomachi, ego pedum doloribus eſſemus immunes. Dicam tamen quod ſentio: nimirum magis avaritiæ te, quam ſtomachi vitio laborare. Memini quum Medinæ Campi unà eſſemus, te mihi dicere, ſi menſe Maio futuro non plueret, te mille; ſin plueret, bis mille modiorum frumenti meſſem ſperare. Ex quo facile intelligebam, non tam faſtidioſum tibi eſſe ſtomachum, quam animum cupidum & avarum. Sed tu, quæſo, huic meæ parrheſiæ ignoſcas. Quum enim vere amicus tibi ſim, par eſt ut omni adulatione poſthabita, recta & ſalutaria tibi ſuggeram & inculcem. Vale.

Ad

N. SARMIENTUM, HINESTROSÆ PRÆTOREM

EPISTOLA.

Qua docet, parentum indulgentia natos corrumpi & perdi.

INter Solonis leges illam quoque ante plus minus viginti quinque annos legiſſe me memini: *Ploratus & lamentationes in alieno funere Solon legis lator prohibuit, Idemque ſtatuit, nec ſubſidia nec alimenta à filio patri deberi, à quo non eſſet arte aliqua ad uſum vitæ inſtructus.* Tarquinio Superbo Romæ regnante, Amaſis Ægypti rex legem condidit, ut quiſque apud cenſores vitæ ſuæ rationem redderet, demonſtraretque unde viveret; aut quo quæſtu ſuſtentaretur: *Lex contra ocioſos.* eum in finem ut homines ocioſos, & tamquam fucos alienis laboribus victitantes è regno ſuo penitus profligaret, & omnibus artem aliquam ad vitæ tam privatæ quam publicæ uſus neceſſariam diſcendi neceſſitatem imponeret. Quorſum hæc, inquis, ad me? Eo ſcilicet ut intelligas, nos heic quoque quam turpiter ſeſe filius tuus nuper iſtic dederit, reſciviſſe. Ego ſane & tuam & filii tui vicem vere atque ex animo doleo: ſed tuam tanto magis, quod omnes quorum hac de re ſermonibus interſui, non tam filio quam tibi, quidquid hac in re peccatum eſt, imputant, ut qui plura antehac ejus flagitia tuleris atque impunita dimiſeris. *A mala educatione quid ſperãdũ.* Et quæſo te, quid aliud exſpectandum ab eo fuit, quem neque ad aulam, ut mores, neque ad ſcholam ut litteras diſceret, mittere voluiſti, neque ad quamcunque aliam artem, quæ vel manu vel ingenio perficitur, adhibuiſti, ſed ocio, conviviis & libidini indulgere permiſiſti. In acerbo hoc caſu multa occurrunt, quæ non dicam tibi, ſed mihi quoque pectus fodiunt, ſed inprimis factum ipſum, ut quo & Deus & univerſus populus graviſſime eſt offenſus. Filius tuus in maximo verſatur periculo, tu in luctu & ſqualore totus jaces, & boni illius viri Joannis Caſilli filia miſerabiliter decepta, quod optimum habuit amiſit. Tantamne audaciam in tam paucos annos cadere, ut adoleſcens duodeviginti, puellam quindecim annorum rapere auſit? Quem tu illis receptum fore putas? Ubi vigilias illos & precarias ſuas quaſi ſtationes obitutos putas, niſi in foro Medinæ aut Segoviæ, cum aliis perditis hominibus? Quam levis quamque ad ejuſmodi flagitia projectus eſſet filius tuus, iamdudum alii mihi narraverunt; eoque quod ille fecit minus mirum mihi videtur: te vero tanta erga eum indulgentia hactenus uſum eſſe, facere non poſſum quin ob id graviter tibi ſuccenſeam, & magnam te quoque noxam commeruiſſe putem. Fateor quidem, adoleſcentum lubricam eſſe ætatem & quæ à pravis cupiditatibus facile in devia abducatur: illud tamen quoque ſcio, & has ipſas cupiditates recta diſciplina corrigi atque emendari poſſe, præſertim in iis, qui ad proborum

borum ſocietatem ſeſe applicant, à quibus bene agere condiſcant. Et cupiditatibus quidem ac pravæ animi inclinationi reſiſtere, ut à prava conſuetudine vix ac ne vix quidem deſiſtere poſſimus. Parentes qui probos & morigeros habere liberos cupiunt, omnia eorum dicta, facta, adeoque veſtigia quam accuratiſſime obſervare, nec ad ullum eorum peccatum connivere oportet. O ſtolidos, immo impios, qui tamquam indomito equo laxas iuventuti habenas permittant. Quid enim aliud ſequi poteſt, quam ut velut furore quodam acti in omne ſcelus, ac tandem præſentiſſimum exitium præcipites ferantur? Multis in rebus ſolertiori ſunt ingenio bruta animantia quam homo. Illa enim, ſi quando lapſa aut læſa fuerint, ab iis locis & rebus diligenter poſteà abſtinent, adeo ut nec fuſtibus eo adigi queant At improbi homines unum idemque peccatum etiam cum magno ſuo malo perpetrare, pro ioco & ludibrio habent. Multa in hac vita ab hominibus deſignantur flagiria, quorum pœnas Deus ſibi in alterum illud ſæculum reſervat: at parentum in filios nimiam indulgentiam pravamque educationem Deus hic plerumque, & quidem per ipſos filios, tamquam parentum carnifices, ulciſcitur Neque enim dubitandum eſt, quin ij pro ſcelerum, ad quæ parentes in adoleſcentia connivêrunt numero, æque magnum, immo maiorem dolorum atque ægritudinum numerum fideliter in ſenectute ſint repoſituri. Sic ſentio, capitaliorem hoſtem honeſto patrifamilias contingere non poſſe, quam male educatos luxuque perditos liberos. Hoſtium enim injuriis fortunæ ac vita etiam noſtra patent; at filiorum flagitiis fama atque exiſtimatio parentum læditur & maculatur. Inſipiens filius ira eſt patri ſuo, & dolor matri, quæ ipſum peperit. Eoque iterum dico, capitaliorem hoſtem eſſe filium male educatum, quam quemcunque alium extraneum. Hoſtis enim inſidias pater familias ſæpe ac diu eludit & vim elidit: at una è perditi filii flagitio ægritudo patri non raro jugulum, ut ita dicam, incidit, vitamque aufert. Quæ cum extraneis intercedunt nobis contentiones, quamvis & ſuas habeant moleſtias, alienæ tamen quodammodò ſunt nec tam graviter nos angunt: at quæ domi noſtræ & à noſtris fiunt, cor ipſum ſauciant, & acerbiſſimum aculeum relinquunt. Qui peccanti filio mitis eſt, in ſeipſum crudelis eſt: & qui ad flagitia liberorum oculos claudit, latiſſimam dolori aperit feneſtram. Quisquis pater filio diſciplinam ſubtrahit, illo ipſo capitalem in ſe ſententiam concipit ac pronunciat; &, ut apertius dicam, honorem atque exiſtimationem ſuam æternæ addicit ignominiæ, & quaſi patibulo nomen ſuum affigit. Apud Romanos olim & alias quasdam gentes mos fuit, ut primum filii ſeu juvenis delictum verbis, ſecundum mulcta aut aliqua alia leviori pœna, tertium vero capite puniretur. Ea lex ſi hodie quoque uſurparetur, credo ego, nec tantum juventutis, paſſim improbitatem, nec tantam parentum erga liberos indulgentiam fore. Nunc vero quoniam liberorum flagitia à patribus diſſimulantur, & à matribus, pæne dixerim, adiuvantur, fit ut illi ea deſignent, quæ deplorari citius quam emendari poſſunt.

Conſuetudo expelli non poteſt.

Peſſimi hoſtes domeſtici.

Peccanti conivere in ſe crudelis eſt.

Ad

INIGUM OSORIUM

EPISTOLA.

De hominum in iis quæ ſcire volunt aut debent ignorantia.

CORnelius Ruffus, Quintii Cincinnati temporibus coæqualis, quum aliquando ſanus ac bene valens cubitum conceſſiſſet, in ſomno oculis ſibi privari à puero ut cæcus duci viſus eſt. Nec ſomnium hoc modò, ſed & res ipſa fuit. Expergefactus enim mane Ruffus quavis talpa cæcior, nec cœlum nec terram potuit contueri. Thebanus quidam multos annos continua febri laborans, tandem inſtanti cum hoſtibus prœlio ſe ſe immiſcuit, acceptoque ingenti vulnere, non ex eo tantum, verum etiam ipſa febri convaluit. Mamillus Subulus Hetruſcorum Rex in prœlio itidem ſauciatus fuerat, ita ut ſagittæ uncus vulneri in collo adhæreſceret. Eidem in venatione cervum inſequenti, &ab equo ceſpitante effuſo, uncus ſagittæ ex ore excidit, ac priſtina ſanitas fuit teſtituta. Ex quo facile poteſt intelligi, ignorare plerumque homines, quæ optanda, quæ fugienda, quæ eligenda, quæ rejicienda ſint: adeo ut cum Satyrico merito exclamare poſſimus:

O cæcas hominum mentes ô pectora cæca!
ô quantum eſt in rebus inane!

Prodeſt ſæpe quod nocet.

Ecce enim Ruffus in dulci ſomno oculis & lumine privatur; econtra Mamillus in caſu pericu-

Digitized by Google

periculoſiſſimo magna vulneris moleſtia & dolore liberatur Omnia hujus mundi nihil mali in ſe habent; ſed pro re nata vel bona vel mala ſunt. Quæ bene eveniunt; bona cenſentur; quæ male, mala. Quapropter ſapienter eos facere puto, qui nec quidquam optant, nec quidquam abominantur, priusquam rei cujusque eventum plene cognoſcant. Quid velim, credo, intelligis nimirum ut tibi gratuler, triennalibus quartanæ febris moleſtiis non ita pridem nova ſupervenientе moleſtia liberato, Mirabilis hic caſus facit ut iterum dicam, ac quantum poſſum exclamem, neſcire nos quid bonum quid malum, quid utile, quid noxium nobis ſit: adeo ut ſæpe ea ſequamur quæ fugienda, & fugiamus, quæ ſequenda atque optanda ſunt.

Quidq; est prout res evenerit.

Inter alia illud quoque ſalutariter divinus monet Plato, ut nunquam illa ad deos precatione utamur: Date mihi hoc vel illud, ſanitatem, divitias, &c. ſed hac: Date mihi quod vobis placuerit, quodque utile mihi eſſe ſcitis. Quæ ſane precandi formula cum ea quam ipſe Salvator & D. N. nos docuit, quam optime conſentit. Iſraelitici populi imperium initio Judices adminiſtrarunt: quorum illi pertæſi, regem à Deo petierunt. Et petitioni ipſorum Deus quidem, etſi quodammodo invitus, annuit; ſed ea inſequuta ſunt, ut tum demum populus votum ſuum damnarit, quum pœnitentiæ locus non eſſet.

Verum enimvero ut ſeſe iſt hæc habeant tibi ego, ac præſertim hac ratione febri moleſtiſſima liberato, iterum atque iterum gratulor Credo equidem, ſi eodem quo tuus ceteri omnes morbi remedio ſanari poſſent, mœrorem & indignationem (his enim convaluiſſe te aiunt) majori in pretio quam rhabarbarum, caſſiam, fiſtulam, aut quodcumque aliud unguentum aut potionem fore. O quam multi tam viri quam feminę, ſi mœrori, gemitibus & lachrymis emtores reperiantur, brevi diteſcerent. Hæ enim iam vulgatæ ſunt merces, ut nulla vel viliſſimæ domus officina ſit, in qua non affatim reperiantur. Meipſum vide; cujus quos edo quotidie gemitus, & quas continue ſentio ſollicitudines ſi Medinenſibus noſtris remedio eſſe poſſent, equidem vel momento eam me inſtructurum officinam confido quæ univerſæ Hiſpaniæ, atque etiam Galliæ ſatis futura ſit. Multis multa deeſſe vidi: at cui ſollicitudo ac triſtitia defuerit, hactenus ego vidi neminem. Nulla domus; mihi crede, tam opulenta, nulla tam bene inſtructa eſt aut umquam fuit, in qua non pecunia aliquando defuerit, & mœror abundarit. *Spiritus triſtis*, inquit Sapiens, *exſiccat oſſa*. Sed quid? an tu ad hoc non Sapientis modo, ſed ipſius quoque experientiæ ſcitum refutandum natus es? ut cui mœroris æſtus non oſſium medullas, ſed pravos corporis humores exſiccarit. Gaude & triumpha, mi Oſori, cui remedium iam facile eſt ac ſemper paratum. Si enim in morbum porro incidas, video quid nobis agendum ſit. Nimirum ad iram te provocabimus, aut aliam mœroris cauſam obiiciemus. Quid dubitas? Statim ſanus exſilies, & morbum valere jubebis. Sed citra jocum: nequaquam mihi tua placet conditio aut corporis complexio, cui ægro non conſolatio, ſed iraſcendi ac mœrendi materia ſuggerenda eſt, quum alij quibus tam bruta natura non obtigit, in ira ac mœrore à ſe depellendis, pecuniæ non parcant; & ab iſtis rebus liberum eſſe non minimam felicitatis partem putent.

Mœroris ubique affatim.

Quod ſi meo uti velis conſilio, ſuadeo ut gaudeas quidem te à ſebri liberatum: at ex iracundia & mœrore id factum, id omnino ne fateare: ne pro iracundo aut cerebroſo, vel etiam male morato homine habearis De noſtræ Aulæ moribus nihil ſcribo, ne epiſtola mea in aliorum manus incidat, & minus æquos nanciſcatur interpretes. Vale.

Ad
FRANCISCAM DE GUEVARA
EPISTOLA.

Qua emblema quoddam, & vis amoris explicatur.

Chariſſima ſoror, eademque arrogans virgo!

SI non frater, ſed amator tuus eſſem, aut ſi tam deſponſare te mihi quam alij videre deſponſatam cuperem, cauſſam fortaſſe haberes ex me quod ſcire petis quærendi, & quod deſideras petendi, Quid tu mihi animi eſſe putas, priſtinos tuos mores cum præſentibus comparanti? Meminiſti quum mecum eſſes, quam devote ſacra frequentaveris, quam impigre loca ſacta obieris, quam religioſe jeju-

jejunaris; quam ſæpe confeſſa, quam frequenter ſacra communione uſa fueris. Quid? an hæc omnia, poſtquam Reginæ gynæceo adſcripta es, in amatorias nugas ſeſe verterunt. Alphonſi Tellis domus profecto, in qua pariter mecum educata es, inſtar ſanctiſſimi fuit ſacrarii, cui ſane vix in tota Hiſpania ſimile exſtitiſſe credo: eoque magis miror, qui fieri potuerit, ut tam cito mutatis moribus, è religioſa, mundana evaſerit. Sed utut hæc ſeſe habeant, quum germana mihi ſis, & quidem cordi meo unice chara, facere non poſſum, quin petitioni tuæ ſatisfaciam, ac paullulum potius à profeſſione mea deflectam, quam ullum meum in te officium patiar deſiderari: ſolenniter interim proteſtans, nullam aliam ob cauſſam hæc à me ſcribi, quam ut tibi tuisque ſociabus in hoc gratificer, & forte an melius quid quam quod petitis demonſtrem. Quod ſi hunc ipſum meum conatum calumniari quis nihilominus præſumſerit; eum ego Anticyras potius relegandum, quam Aulicorum numero adſcribendum cenſeo.

Scribis ab amatore tuo elegans aureum emblema tibi dono datum, cui ſequentia verba inſcripta ſint: *Vivo, ſed jam non ego, verum illa in me vivit, quæ mihi meipſo charior eſt.* Horum verborum quis ſenſus ſit, ex me ſcire cupis.

Dicam quod ſentio. Ac primum, eum qui tibi iſtud tam egregium donum dedit, amicum tuum eſſe nego. Amator forſan ſit, amicus certe non eſt. Amicus enim ſemper quidem amat; at qui amat, non ſemper eſt amicus. Quid ergo? Apud vos in aula multi tam juvenes quã provectæ ætatis homines vos ſequuntur, vobisque ſerviunt, qui ut amatores veſtri vel amaſii dicantur, Amici certe dici non poſſunt. Ii namque omnes videre vos, audire, conferre ſermones ac converſari vobiscum mire geſtiunt, atque adeo ſi qua paullo amabilius ipſis innuerit, beatos ſe putant: at ubi de matrimonio jungendo ſit mentio, tergiverſantur, atque etiam rident vos ac naſo ſuſpendunt adunco. Ex horum numero plane mihi videtur is eſſe, qui te tam præclaro dono affecit. Quisquis enim multa tibi promittit ac pauca largitur; ac verbis liberalis, ſed rebus parcus eſt, hunc tu nequaquam amicum eſſe putato, ſed honori tuo inſidiari. Quapropter te etiam atque etiam monitam volo, mea ſoror, ſemper ut

Amant multi, ſed non ducunt.

memineris, quænam & ex quibus orta ſis, & quid in futurum quæras aut ſperes. Memineris, inquam, te eſſe Beltrami de Guevara filiam, & quidem è nobiliſſimo totius Caſtiliæ ſanguine natam, memineris te in aula Regia & lectiſſimarum feminarum ac virginum verſari gynæceo, ubi quæ fideliter ac honeſte Reginæ ſerviunt, ad ſumma ac honeſtiſſima promoventur. Si quæ tamen quaſi neglectæ prætereuntur, magis id ſua ipſarum culpa & ſecordia, quam Regis ac reginæ culpa fit, ut qui nihil prius habent, quam ut omnes pro ſuo quemq; merito remunerentur. Memineris quoque eum in finem te in gynæceum datam, ut tanto facilius honeſtis tuoque genere dignis nuptiis potiri queas: ſiquidem conſtat, in ambiendis regii gynæcei virginibus pleroſque magis gratiam Regum quam dotem ſpectare. Et te quidem, quum adoleſcentula ſis nobilis, formoſa, & ob morum amabilitatem plerisque, & præcipue ipſi Reginæ grata, non video quid impedire poſſit, quominus honeſtum ac luculentum connubium conſequaris, modo tibi ipſa non obſtes, ſed honorem tuum atque exiſtimationem illibatã conſerves. Ut enim in monaſteriis bona conſcientia ad ſalutem, ita in aula bona fama ad honeſtum conjugium præcipue & ante omnia valet. Nec formæ tuæ, nec generis nobilitati confidas ſuadeo. Si enim decem ſint inter aulicos, qui tui tuique ſimilium amorem ambiunt, centum, mihi crede, alii ſunt, qui in vitam moreſque veſtros inquirunt.

Gratia ſæpe pro dote.

Ais, totum gynæceum à me petere, ut quid amor ſit, in quo conſiſtat, & quibus ex rebus verus amor dignoſci poſſit, demonſtrare velim. Sed quid hoc? nunquid præpoſtere à vobis factum: Quum enim circa amoris negocia vos quotidie verſemini, de amore cogitetis, loquamini, ac tractetis, magis conveniens fuerit, uti ego ex vobis quid Amor, vos ex me quid Dolor ſit, quæratis. Religioſi enim eſt (qualis ego ſum) dolere & plorare; gynæcei vero mos eſt, ſaltationi atque amori operam dare. Verum enimvero quum Amicitiæ vim jam ſupra tibi explicaverim, nunc quoque Amoris vim paucis oſtendam; non ut inſtructione mea in hoc rerum genere eruditiorem, ſed admonitione mea cautiorem te reddam. Malo enim ut ames tamquam Chriſtiana, quam velut mulier.

Ante omnia operam dabis, mea ſoror, ut prudens, taciturna, honeſta, verecunda, & inprimis

Digitized by Google

Solus Deus paranymphus. erga Deum pia ſis & religioſa : tum ut in fortunæ tuæ ſubducendis rationibus plus te unam, quàm quoſcumque alios reſpicias. Quidquid enim tandem futurum ſit, a rege quidem forſan dotem, ab uno vero & ſolo Deo maritum exſpectabis Cave vana ſis, levis, nugax, & cicadæ inſtar garrula : cujuſmodi quæ ſunt, earum quidem colloquia aulici plerique expetunt, ſed conjugium averſantur. Præclaræ muliebris ſexus dotes ſunt, in vultu gravitatem, modum in ſermone, prudentiam in actionibus, in omni denique vita honeſtatem quandam præ ſe ferre. Etiam leviſſimus quisque formoſæ quidem amores, ſed ſolius virtute præditæ conjugium venatur.

Amantium conditiones Sed ut ad propoſitum redeam, equidem non ignoro quæ virginum veſtra ſit de Amore opinio, nimirum vim ejus omnem in eo conſiſtere, ut amans nitido utatur veſtitu, ut cogitabundus ac triſtis incedat ; ut ante ædes & oſtium amatæ obambulet, ut oculos emiſſitiis ſuſpiriis, verbis denique delenificis amorem indicet, & amatæ animum expugnet. At tu mihi crede, hæc omnia meram ſapere vanitatem, vel potius levitatem. Verus enim amor infirmos confortat, excitat languentes, oblivioſis memoriam, prudentiam fatuis, deſperantibus ſolatium, vitam denique moribundis *Amoris quæ vis.* reſtituit. Proprium vero amoris eſt, ut cujus animum ſemel occupavit, eum numquam otioſum eſſe patiatur ; & quod caput eſt, dum quærit id quod amat, non ſentiat id quod patitur. Qui oculos in rem aliquam tamquam eximiam defigit, multum intereſt, laudetne eam vel amet. Quæ enim laudamus, nec amamus, tamen facile ex animo effluunt : at quod vere amamus, in eo, omnes noſtræ ponuntur cogitationes, eò omnis noſtra fertur voluntas, id animo noſtro, id oculis aſſidue obverſatur, id denique velut ſigillo obſignatum, corde geſtatur. Amoris indicia ſunt, ſibiipſi placere *Indicia.* ac diſplicere, triſtem eſſe ac lætum, lentum atque impigrum, fortem ac timidum, in ſumma denique ſpe deſperabundum Omnium vero hoc in amore peſſimum eſt, quod amans non quid ſibi in futurum conducat, ſed quid in præſens gratum ſit, penſi habet. Nulla vero in re verus Amor facilius agnoſcitur, quam quum amantes a ſe invicem divelluntur. Tum enim cor amantibus medium ſcindi videtur ; tum inter mutuos amplexus uni verba deſunt, alteri lachrymæ ex oculis ubertim fluunt. Sed & hoc certum, veri amoris tam argumentum quam experimentum eſt, ſi amans ob nullam quamcumque rem ab amore diverti ſe patiatur. Multi enim blandis verbis amorem alicujus præ ſe ferunt ; quem tamen mox ob levem cauſſam deſertum patiuntur. Hos equidem nequaquam amantium, ſed vicinorum tantum aut notorum nomine dignos cenſeam In amoris enim domo nec manus umquam in dando, nec cor in amando deficit. Cognoſcitur quoque *Amans nihil ſuum habet.* ex eo amor, ſi amans amati cauſſa res arduas aggrediatur, viles vero aſpernetur, Amans enim nec amati imperium ulla tergiverſatione, nec petitionem ulla excuſatione eludere ſuſtinet. Qui parum dat, parum amat, & qui hoc vel illud in aliquo amat, etiam hoc vel illud dat : qui autẽ vere amat, nihil omnino denegabit. Qui enim amore ſuo aliquem, multo magis fortunarum participatione dignum judicabit.

Amor patientiam requirit. Sed & amantis partes ſunt, non prudenter tantum omnia agere, verum etiam patienter ferre, diſſimulare, ac connivere. Qui enim mutuo ſe amant, ii facile non ſolum ab injuria alteri inferenda, verumetiam omni verbo aſpero aut jurgio ſibi temperabunt. Illa quoque amoris lex eſt, præſertim inter aulicos, ut taciturni ſint ac veluti muti. Veri enim amoris interpres eſt non linguæ verbum, ſed cordis ſuſpirium. Hoc pro certo habe, mea ſoror, futiles ac leves amatores lingua, ſed veros amatores corde tantum loqui, atqui amor inter labra tantum natans, cum ipſa oratione evaneſcit ; cordi vero infixus, quanto magis continetur, tanto magis accreſcit. Si ſcire cupias, quidnam omnium rerum quàm maxime ames, cogita de quo plurimum cogites ac loquaris. Verus enim amor diſſimulari quidem aliquantulum, occultari vero diu non poteſt. At ſi ſcire velis, quid Amor ſit, Epictetum audi, ſic deſcribentem. *Amor quid?* *Amor eſt otioſi pectoris moleſtia : in puero pudor, in virgine rubor, in femina furor, in juvene ardor, in ſene riſus, in deriſore delicta nequitia.* At peſſimus Amor eſt is, qui impudicitiam producit : quam priſci Sapientes monſtro leonis caput & draconis caudam habente depinxerunt, eo quod violenta res Amor ſit, ejus vero voluptas pœnitudinem ac dolorem individuos habeat comites. Quia vero mea ipſius

non

non dico frons, ſed penna etiam plura hac de re ſcribere erubeſcit, non ſane dubito, quin aliorum etiam plurimorum judicia mihi ſubeunda ſint, ſic ubi epiſtolam hanc legerint ratiocinantium : O egregium monachum Guevaram! qui de Amore deque Amantium cruciatibus ſic loquitur, ſic ſcribit, ut nihil aliud quàm amori operam dediſſe videatur. Quibus hoc reſponſum volo. Quum in mundo natus, in mundo educatus, cum mundo converſatus ſim, nihil mirum videri debere, ſi cum mundo etiam aliquando mundanis rebus ſim abuſus. Sed gratias quantas anguſtia pectoris mei capere poteſt, Deo ago quam maximas, quod me è mundo extractum, ad religioſæ vitæ perfectionem perduxit, in qua peccatorum agere pœnitentiam queam. Quod vero de Amore hoc quidquid eſt ſcribere ac diſſerere volui, Deum ac conſcientiam meam teſtem laudo, non ideo à me factum, ut Amandi artem quemquam doceam, ſed ut iis qui Amoris vim nondum experti ſunt, quàm noxia quamque luctuoſa res ſit demonſtrem, quo eum non minus quam Scyllam aut Charybdim vitare diſcant. Si enim vel ſemel amore irretiri ſe paſſi fuerint, jam ante prædico, millies errorem ſuum deploraturos, at ne ſemel quidem emendaturos.

Ab homine nihil humani alienum putandum.

Explicatio verborum ſupra poſitorum.

VErum ut ad donatæ tibi monetæ & verborum adſcriptorum explicationem veniam; hæc quæ tu modo ab amatore tuo, ego jam olim à D. Paullo accepi, quæ quidem non eo quo ab illo tibi miſſa, ſed quo à D. Paullo ſcripta ſunt ſenſu tibi explicabo.

SS. literis non abutendum ad res profanas.

Principio impium illum ac ſacrilegum deteſtor atque abominor, qui tam ſancta verba ad rem tam profanam detorſit. Neque enim ſacrarum litterarum monumenta eo fine conſignata ſunt, ut monetæ & id genus emblematis, ſed ut Chriſtianorum cordibus inſcriberentur. Sed expendamus quid D. Paulus, quid item amator tuus ſcripſerit, ut intelligas quantum inter utriuſque ſententiam interſit. Amaſii tui verba ſunt : *Vivo ego; ſed jam non ego, ſed in me vivit, quæ me mihi charior eſt.* At D. Paulus ita loquitur : *Vivo ego, ſed jam non ego, ſed Chriſtus ſolùm in me vivit.* Dixi, iterum atque iterum dico : Male ſit peſſimo iſti nebuloni, qui ad vanos ſuos amores ſacra ſcriptura tam turpiter abutitur. O ſancte Paule! Credo equidem, ſi umquã ſuſpicatus fuiſſes, fore ut verba tua, quibus ardentiſſimum Chriſti amorem oſtendere voluiſti, ad aulicum amorem transferrentur, ac veluti formula ejus adhiberentur, numquam te ea dicturum, multo minus ſcripturum fuiſſe. Ante omnia ergo rogatam te volo, amantiſſima ſoror, ut monetam, cui verba hæc inſcripta ſunt, ſtatim confringas, aut verba illa deleri cures; id niſi feceris, & Paulum tibi ſemper iratum, nec me umquam germanum tibi fore, perſuaſum habe. Sed ad rem.

Vivere & mori quid ſit.

Ait Apoſtolus : *Vivo ego, ſed jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus.* Obſcura ſane, atque adeo ænigmati ſimilia hæc verba videntur. Quid enim hoc eſt, quod dicit Apoſtolus, Vivere ſe, nec tamen ſe vivere? Quid? an non hæc maxime contraria, eſſe & non eſſe, vivere ac non vivere, vitam denique ac mortem copulare, atque uni veluti domicilio alligare videtur? Quocirca ad verba hæc bene ac recte exponenda non tam ſingulari ingenii acumine, quam divina gratia opus eſt. Non ſine cauſſa vero dixi, obſcurum atque adeo obſcuriſſimum eſſe hoc D. Paulli dictum : Ait enim ſe vivere; ſtatim deinde addit, ſe non vivere : tum ſubjungit, etſi vivat, non tamen ſe, ſed Chriſtum in ſe vivere : ſic ut gloriari videatur, ſe vitam cum eo, qui vitæ dator ſit & auctor, commutaſſe. O divine Apoſtole! quamvis tua omnia ſint præclare dicta, fateor tamen, me verba iſta tua legere quidem poſſe, non tamen penitus intelligere, multo minus guſtare poſſe : adeo ut ſi intelligere te velim, exeundum mihi à me ipſo ſit. In quo enim Chriſtus vivit & qui in Chriſto vivit, is neque in ſe vivit, neque de ſe quidquam novit. Tam tener namque divinus eſt amor, ut cum nullo alio cujuſcunque extraneæ rei amore copulari queat. S. Auguſtinus verba hæc explicans, ait : *In eo quod quiſque diligit, in eo vivit.* Quaſi diceret, tantum vim eſſe amoris in corde quod occupavit, ut ultro à ſe exeat, & in id quod amat, immigret; ſic ut non minus ei, qui amat, quàm qui amatur, vitam præbeat. Si tu, ò amator, teipſum ames, in teipſo vivis : ſi amicũ, in amico vivis : ſi Chriſtum, in Chriſto vivis. Unde fit, ut omnes qui ſe mutuo amãt, uno corde ſint cõtenti, & uno deſiderio acquieſcant.

Sibi mortuus Chriſto vivit.

Digitized by Google

Ama, ſed vide quid a-mes.

Quanta ergo amanti diligentia adhibenda eſt prius, ut bene conſideret, quid ſit id quod amat, quàm amare incipiat! Qualis enim fuerit amor quo teneor, talis erit vita quam ago. Qui male amarit, male etiam vivet; qui vero bene vixerit, bene etiam amabit: adeo ut ſi male collocatus ſit amor, totum etiam vitæ tempus male collocetur. Non dicit Apoſtolus: Video Chriſtum; ſed ait, Vivo in Chriſto. Neque enim vita in oculis quibus videmus, neq; in manibus quibus tangimus, ſed in corde quo amamus, conſiſtit. Quapropter amor Chriſti & cor Pauli quamvis non ejuſdem fuerint eſſentiæ, unum tamen idemque deſiderium habuerunt. Qui ex toto corde ac pectore amat, de eo quod amat ſemper cogitat, quod amat ſemper habet præ oculis, de eo quod amat ſemper loquitur, quod amat omni obſequio demereri ſibi ac devincire conatur, quod denique præſtantiſſimum habet, ei dat quod amat, nempe cor ſuum, Mimus circumfertur vetus:

Amans iratus multa mentitur ſibi.

Quo ſignificatur, animum ægrum atque irritatum multa minari, nec exſequi, multa promittere, nec implere, multa ſuſpicari, nec indagare, multa denique dicere, nec facere: ſiquidem novit forte quid amet, non vero animadvertit quid loquatur. Nec ab hoc loco alienus & hic mimus eſt:

Amoris vulnus idem qui facit ſanat.

quo innuitur, valde periculoſum eſſe Amoris vulnus, quum medicina in ejuſdem manu ſit, qui vulnus inflixit: ſic ut in Amoris caſtris is qui medetur vulneret, & qui vulnerat medeatur. Sed nugas has atque ineptias vanis ac mundanis hominibus relinquamus, qui dicere non poſſunt; Vivo ego ſed jam non ego: ſed potius: Morior ego, ſed jam non ego: ut qui neque vere umquam vivere incipiant, neque amori umquam ceſſent. Cor amore Chriſti flagrans, nullum ſui ipſius ſenſum habet, de ſe nunquam cogitat, ſe non amat, ſe non deſiderat; ſed quaſi extra ſe poſitum, ac domi peregrinans, immo ab omni ſui converſatione alienum, cum Apoſtolo dicit: *Vivo ego, ſed jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus.* In hominibus ingenio ac conſilio promtis, & ſæcularia negocia impigre ac ſedulo obeuntibus vividum eſſe ſpiritum dicere ſolemus: quibus tamen ſæpe nulli magis ſunt mortui. Nimium enim quantum inter ſe

Amor mundi Mors.

differunt, Vivere in Chriſto, & vivere in Mundo! Ut namque vitam acquiramus, vita nobis perdenda; & ut vivere poſſimus, moriendum nobis eſt: ſic ut qui Chriſtum ſequi velit, ſeipſum perſequi: & ut faciat id quod debet, id quod cupit fugere atque intermittere debeat. Numquam Chriſtus in Apoſtoli cor immigraſſet, ſi ille non à ſeipſo exiiſſet; numquam in eo vixiſſet, ſi non ſibiipſi prius fuiſſet mortuus. Ex quo ſequitur, ut Chriſtus in nobis vivat, propriam vitam quaſi nobis abdicandam eſſe. O Jeſu benigniſſime! ô unica animæ meæ vita! Utinam vere eum Apoſtolo dicere poſſim: *Vivo ego, ſed jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus!* Vivo ego in te, quando humilis ſum; vivo in me, quando ſuperbio: vivo in te, quando te laudavero; vivo in me, quando mundi vanitatibus fuero deditus; vivo in te, quando te amavero, vivo in me, quando tui fuero oblitus: ſic ut vivam tibi, mihi moriendo, & vivendo tibi, mihi moriar.

Vita mors eſt, mors vita.

Ex his quæ dixi hactenus, facile diſpicere poteris, mea ſoror, quanta differentia ſit inter id, quod D. Paullus in epiſtola ſua ſcripſit, & id quod amaſius tuus monetæ inſcriptum ad te miſit: quam rogo iterum atque iterum, ut quamprimum confringas, ac confractam ei remittas: neque enim bonam tuam indolem ipſius ſtultitia corrumpi par eſt. Toti denique gynæceo meis verbis ſalutem dices, lectiſque his literis admonebis, uti primam hujus epiſtolæ partem tamquam ab aulico, alteram vero tamquam à Chriſtiano profectam accipiant atque interpretentur. Æquum vero eſſe, ut id potius quod velut prædicator, quam quod velut peccator expoſui, laudent ac memori animo recondant. Tibi interim munuſculi loco mitto fruſtū panni Hollandici lintei, thecam ſcriptoriam, & librum Horarum: neque dubito, fore, ut quæ dixi, nimis multa, quæ mitto, nimis pauca tibi videantur; atque adeo unà cum ſociabus tuis prius de verbis meis querelam inſtituturam, quā ullum ex libello illo horarum penſum perſoluturam. Vale etiam atque etiam, mea ſoror: quam felici conjugio auctam unice videre exopto. Burgis III. Januarij MDXIX.

Non tam quid, quam quomodo dicatur, conſiderandum

Ad

Ad FRANCISCUM MANRIQUES, &c. *EPISTOLA.*

In qua oſtenditur, quam periculoſum ſit maritis conjugis fidem violare.

Difficile eſt quidquid in viti faciimus. NEſcio equidem an vel charta nimis aſpera, vel atramentum nimis craſſum, vel calamus male temperatus, vel alia cauſſa tertiùm jam mihi epiſtolæ hujus ſcriptionem auſpicanti, remoram objicerit, adeoque fecerit, ut quæ jam ſcripſeram, ſemper vel deleverim vel craſſerim, chartam denique ipſam conſciderim atque abjecerim. Scribenti mihi non raro memoria tam facilis ac fœcunda, & eloquentia tam promta eſt, facilime ut omnia ad manum ſuccedant, ac verba etiam non vocata ultro ſeſe offerant: econtra nonnunquam is ingenii mei ſtupor, ea judicii tarditas eſt, ut nec quidquam quod vel dictu mihi, vel aliis lectu dignum videri poſſit, in mentem veniat. Sed enim rem poſtea accuratius perpendens, facile intellexi nihil aliud & ingenio meo nubem, & pennæ meæ remoram objeciſſe, quam querulum illum & infelicem vitæ ſtatum, in quo jam cum eo gnata mea Tereſia verſaris; cujus fortuna non minus conſolatione indiget, quam vita tua correctione. Equidem omnia expiſcatus ſum, ut pernoſcerem, utrius culpa matrimonio veſtro labes hæc atque infelicitas obvenerit. At niſi vel ego ipſe, vel alii me fallant, illam quidem omni culpa vacare, eamque tibi ſoli imputandã eſſe deprehendi. Quod ſi illa culpæ quocumque modo affinis eſſet, hoc tibi de me promittas velim, neminem ab illa acerbiores pœnas quã me ipſum exacturum. Nobiles enim & generoſæ mulieres ob gravia delicta non verbis tantum caſtigandæ, verum etiam morte & ſuppliciis acerbiſſimis afficiendæ, atque adeo vivæ defodiendæ ſunt. *Mulier etiam ſuſpicione carere debet.* In viro enim plus non requiritur quam ut probus ſit; at in femina non ſatis eſt ut proba ſit, niſi etiam proba videatur. Quũ ergo uxor tua, mea cognata, non ſolum honeſta ac proba ſit, verum etiam ab omnibus pro tali habeatur; mihi innocentiam ipſius defendenti, tuamque culpam accuſanti ignoſcere debes; non ignarus à cognatis atque amicis & conſilia petenda, & remedia acceptanda eſſe.

Qualis uxor ducenda. Philoſophus quidam rogatus, quali cum muliere matrimonium eſſet contrahendum, reſpondit, cum ea quæ ſit nobilis, ut maritus propter eam honoretur: quæ dives ſit, ut vitam tanto melius ſuſtentare poſſit; quæ ſit juvencula, ut marito ſervire queat: quæ formoſa ſit & caſta, ne pudicitia ejus cuſtode opus habeat. Si quis vir uxorem abſque his conditionibus elegerit, cum eo melius actum iri exiſtimo, ſi pompa ipſi funebris, quum ſi thorus nuptialis adornetur. Neque enim quidquam eſt infortunatius eo, qui in uxore eligenda aberravit. Recte tamen ac vere à Boethio in libello de cõſolatione Philoſophiæ dictum exiſtimo, *nihil eſſe ab omni parte beatum.* *Nihil in hac vita perfectũ.* Id quod tam in naturalibus quam humanis rebus omnibus experientia demonſtrat. Ignis calore ſuo corpus fovet: ardore cruciat. Aer temperatus recreat; diſtemperatus, valetudini officit. Terram laudamus, ut quæ omnis generis fruges nobis producat: eam vero averſamur, quæ & ſeminantibus ingrata eſt & ſterilis, & ſcrupoſitate ſua noſtros ambulantium pedes offendit. Aquis tam fontium quam fluminum, quod illæ ſitim reſtinguant, hæ vero piſces nobis, aliaſque commoditates præbeant, delectamur: eædem tamen plurimos homines abſorbent, & eluvionibus magnas inferunt calamitates. Jumenta magni facimus, ut quibus vehimur, & quibus agros noſtros aramus: eadem tamen difficile gubernantur, & magnis cum impenſis aluntur. Cibus abundans & ſuperfluus vires tam corporis quam animi ſuffocat, nimis tenuis, debilitat. Divitiæ curarum, paupertas moleſtiarum plena eſt. Solitudo triſtes, frequens turba moroſos facit. Qui alto & acuto ſunt ingenio, plerumque ſtultitiæ aliquid admiſtum habent: qui rudi, pecoribus pæne ſunt accenſendi. Qui divortium facit, auctoritatem perdit: qui uxorem ſervat, infinitas curas & moleſtias ſibi ſervat. Qui liberis in matrimonio carent, orbitatem ſuam: iiſdem aucti, curas & labores ſuos deplorant. Aſſiduo labore corpus defatigatur, raro langueſcit.

Jam ad homines qui unquam vixere celeberrimos veniamus: ſane tam quod vituperium, quam quod laudem mereatur deprehendemus.

Herculis robur ac fortitudo commendatur; ejuſdem tamen tyrannis vituperatur. Thebani Alcamanem ut ſobrium laudant, in eodem tamen linguæ petulantiam notant. Lacedæmonii Lycurgum velut reipublicæ regendæ peritiſſimum commendarunt, eundem tamen ut minus æquum judicem calumniati ſunt. Athenienſes Platonis divinam doctrinam ad cœlum uſque extulerunt, ſed ejusdem notarunt parcimoniam. Æneas Trojanus ob pietatem erga patrem bene, ob perfidiam erga patriam male audit. Julii Cæſaris laudatur manſuetudo & ad ignoſcendum facilitas: ejusdem notatur ſuperbia & faſtus. Bellicoſus fuit Hannibal, ſed verſutia adeoque perfidia plenus. Balduinus Longobardorum dux ob beneficentiam & liberalitatem commendatur: idem tamen ebrioſitatis inſimulatur. Eloquentiæ laudem in Phalari crudelitas obſcuravit. Denique da mihi quemcumque alium quantumvis magnum, cui non labecula aliqua fuerit aſperſa? Non eſt ſine furfure farina, non ſine putamine nucleus, non ſine cortice arbor, non ſine palea granum, non ſine vitio homo quicumque. Quod ſi inter viros nemo omnibus perfectus virtutibus reperitur, ſed magnis plerique ſunt vitiis obnoxii: quid de muliebri ſexu dicemus, qui & natura imbecillior eſt, & facilius ſeduci poteſt? Mihi ultimam pueritiæ meæ memoriam recolenti vix quidquam frequentius auditum occurrit, quam virorum de uxoribus & uxorum de viris querelæ: inter quos ſi ego conſtituar arbiter, illorum cauſam juſtam, harum vero non iniquam pronunciavero. Ut enim diverſa uterque ſexus ratione creatus fuit, ſic utrique diverſæ admodum conditiones atque affectus ſunt innati. Præter unum Dominum & Servatorem noſtrum I. Chriſtum, Matremque Virginem benedictam, nemo umquam culpæ fuit expers: ſic ut meo judicio non tam ſcandalizari debeat, qui alios videt peccantes, quam mirari, ſi quemquam quidquam videat boni facientem.

Vberes querelæ & juſtæ in matrimonio

Matrimonia ultronea

Sed quorſum hæc tam multa? Eo nempe, mi affinis, ut in memoriam tibi revocem conjugium quod cum Maria Tereſia cognata mea olim, & illa tecum, non ulla coacti neceſſitate, ſed mera voluntate inducti contraxiſtis. Illa enim quia virgo erat ampliter dotata, tu quia fratrum natu maximus, opulentam hæreditatem creveras, facile uterque luculentam matrimonii conditionem inveniſſetis. Sed tu velim cogites, ſatis illam à te viſam, omni obſervantia & ſervitio cultam, atque etiam adeo multa importunitate exambitam, eum in finem, ut relictis aliis te maritum ſibi deligeret. Quod quum illa fecerit, aliiſque repudiatis conditionibus, ſe tibi mancipaverit: non video quomodo æquum ſit, ut tu ipſa poſthabita, aliis jam placere ſtudeas. Quod tanto magis mirum mihi videtur, quod ſciam paucos tui ſimiles tam generoſam, opulentam, ætate & forma florentem, tantiſque virtutibus ornatam habere uxorem: ſic ut ex aulicis nemo tibi condoleat, invideant fere omnes. O quàm multas videmus mulieres, quæ ſi vel maxime divites ſint, formoſæ tamen non ſunt: aut ſi formoſæ ſint, non tamen ſunt nobiles: aut ſi nobiles ſint, non tamen caſtæ ſunt, ac ceteris ſexu illo dignis virtutibus præditæ: aut ſi quibus oportet virtutibus ornatæ ſint, non tamen ſunt juvenculæ: aut ſi juvenculæ ſunt, adverſa tamen fama laborant: ſic ut maritis plorandi, & amicis gratiam inter conjuges reſarciendi numquam deſit materia. Tam proſpere ac feliciter nonnulla eveniunt conjugia, ut divinitus facta: alia vero tam infortunata ſunt, ut ab ipſo diabolo, (ſi ita loqui licet) conciliata videantur. Ex quo merito felices illi, meo judicio, habendi ſunt qui felici conjugio ſunt potiti, at quibus mulier nobilis, dives, juvencula, formoſa & virtutibus ornata mulier contigit, & tamen alienos quærunt ac venantur amores, iis ego neque ſtultius neque infelicius quidquam fieri poſſe exiſtimo.

Nulli omnia contigerunt.

Sed ut ad rem ipſam propius veniam, ſic habeto, Mariam Tereſiam uxorem tuam, cognatam meam, dolenter apud me queſtam eſſe, te nocturno tempore domo egredi, ſectari ſcorta, pererrare plateas, prenſare lenas, inire diverſoria, conducere fidicines, atque hoc modo facultates tuas non ſine ſummo vitæ diſcrimine turpiter abligurire. Quum vero tu antehac univerſam fere Galliam, & Luſitaniam, & Italiam ac Germaniam peragraris, jamdudum, mi affinis, tempus mihi videtur, ut nugis iſtis relictis, ſapere incipias, præſertim quum propriæ familiæ cura tibi jam incumbat. Juventutis exceſſus ætati ſolemus tribuere, at maritorum illicitos amores ſectantium, ac ſua per ſuum dedecus abligurientium levitati nulla omnino poteſt idonea reperiri excuſatio. Vere illud, atque adeo libere affirmare mihi poſſe videor, qui tam cum uxore quam facultatibus ſuis calculum male ponit, omnium ſuarum rerum rationes peſſi-

Ætas alia alios mores poſtulat.

peſſime ſubducturum. Quod ſi tu ita ut cœpiſti perrexeris, neque cupiditates tuas refrænaveris, nihil aliud tibi expectandum ſcito quam exiſtimationis infamiam, periculum animæ ac corporis, domeſticorum ſcandalum, & fortunarum detrimentum. Quamprimum enim uxor mariti levitatem ſubolfecerit, clam quæ poteſt ſurripere ac domo exportare incipit. Quod ſi non moveat te animæ periculum, fortunarum ſaltem damnum te moveat: quarum, uxore jam ducta, & liberis auctus, non dominus es, ſed tutor tantum & adminiſtrator: nec minori pœna dignus eſt, qui fortunas ſuas dilapidat, quam qui alienas furatur. Non movet te fortunarum jactura? at honorem ſaltem & exiſtimationem tuam tuearis. Quod ſi honoris jactura non afficeris; moveat te ſaltem animæ periculum: quum tam tenera Chriſti lex ſit, ut vel cogitatione violetur, & tam ſtricta Dei mandata, ut alienas uxores non modo non contrectare, ſed ne concupiſcere quidem liceat. Si non moveat te animæ, at domus & familiæ tuæ periculum te moveat. Quamprimum enim levium feminarum amores ſectari cœperis, & de tua & familiæ tuæ ſalute actum eſſe exiſtimato. Quod ſi nulla te erga domum ac familiam afficit pietas: ac capitis ac vitæ tuæ rationem habe. Sic enim plerumque fieri videmus, ut cui omnes aquæ dulces ſunt, & qui omnium fores pultando oberrat, tandem propter illas ipſas, quarum cauſſa honorem iam ante perdidit, tandem valetudinem quoque, atque adeo ipſam vitam perdat. Credo ego uxorem tam multo facilius paſſuram, ut parce illam habeas, arcte cuſtodias, inceſſas convitiis quotidie, immo verberibus contundas, quam ut alienos amores ſecteris. Neque enim quidquam ægrius mulieri poteſt accidere, quam ſi maritum videat ſecum quotidie expoſtulantem ac iurgantem, cum aliis vero ſe oblectantem. Neſcio ego, an major dicenda ſit mariti confidentia, res ejuſmodi facere audentis: an uxoris patientia, fieri iſta ſuſtinentis. Quem enim ad inſaniam iſta non redigant? maritum foris ridere, domi jurgare: ſurripere uxori quod amicæ largiatur; amicam bene ac delicate, uxorem male atque aſpere tractare; domi cum fame liberis conflictantibus, foris alienos paſcere ac ſaginare.

Quæ illecebros amores ſequantur incommoda.

Mulieres zelotypia laborant.

Ceterum non Chriſtianæ tantum verum etiam naturalis legis hæc vis eſt, ut quam fidem uxor marito debet, eandem maritus debeat uxori. Ideoque facile ego mihi perſuadeo, ſi quam prompta mulieribus de viris eſt querela, tam facilis eſſet caſtigatio: nec tam frequentes illarum de viris querimonias, nec tantam m[illegible] totum in peccando fore confidentiam. Ab illa ipſa hora qua contractum eſt matrimonium, neque vir neque uxor ſui corporis habet poteſtatem: adeo ut quiſquis ejus alteri copiam fecerit, fure pejor c[illegible]ndus ſit. Cave ergo, mi affinis, ne uxori [illegible], cujus ætati & formæ non[illegible] articu[illegible] eſt, cauſſam des amorem ſuum alio transferendi. Pergrata eſt illa è Guevararum, Baſſanorum & Roblediorum ſtirpe, in qua nulla omnino levis femina, nec vi[ri] diſſolutæ vitæ eſt repertus. Nobis certe quotquot cognatione illam attingimus, abunde ſatisfeceris, ſi tam fidelis ipſi fueris maritus, quam ipſa fidelis tibi eſt uxor. Quod ſi nec animæ nec honoris tui reſpectus, hoc ut facias, à te impetrare non poteſt, impetret ſaltem domeſticæ pacis ac tranquillitatis deſiderium. Crede enim mihi, voluptates eas omnes, quas foris ex alienis ceperis, domum tibi reverſo care admodū conſtituras, ac multis jurgiis ac convitiis redimendas fore. Quam ſapiens enim, modeſta ac taciturna ſit mulier, citius tamen vitam amittet, quam zelotypiam celabit. Sed neque lenarum neque famularum taciturnitati hac in re fides: qui ſi vel maxime te non prodant, tanta tamen ejuſmodi in rebus uxorum eſt ſolertia, curioſitas ac perſpicacia, ut quo maritorum latibula perveſtigent, vivos pecunia corrumpere, & carminibus mortuorum manes evocare non vereantur. Sed quoniam invitus initio in tam odioſæ rei mentionem incidi, plus quam tempeſtivum mihi videtur, ut epiſtolæ huic finem imponam. Unum hoc prius à te peto ac contendo, ut ſuperioris vitæ culpam emendare velis. Quod ſi feceris, nobis quidem rem gratam, tibi vero utilem, honeſtam ac neceſſariam feceris. Sin minus, illud ſcias, me quidem affinem tibi nomine, affectu vero amicum nequaquam futurum. Quod reſtat, Dei optimi maximi tutelæ teque meque commendo, te, ut melius ſapias: me, ut ſervire ipſi, ut debeo, poſſim. Avilæ VIII. Januarii Anno MDXXVII.

[illegible]xa eſſe debet es.

Ex una voluptate mille dolores.

In Matrimonio reci-

Ad

Ad
N. GUEVARAM,
AUCTORIS COGNATAM,
EPISTOLA.

In qua ejus caniculæ obitum lugentis ſtultitiam irridet.

ET mœrorem tuum, & cauſſam ejus ex literis illinc ad nos ſcriptis intelleximus: ſed, mihi crede, numquam tu tantum ibi fleviſti, quantum nos hic riſimus. Fuit ſemper hæc ab initio mundi, atque ad finem ejusdem erit rerum humanarum conditio, ut flente uno, alter rideat: uno ſurgente, alter ruat. Sic videas alibi ſummam in mari eſſe malaciam, alibi tempeſtatem & procellas ſævire: & in terra hic pluere, ibi ſolem lucere. Sic inter homines, hujus oculi ex fletu, illi ex riſu ilia dolent. Quemadmodum vero tempeſtatem tranquillitas, & tranquillitatem tempeſtas: ſic res adverſas ſecundæ, & ſecundas adverſæ excipere ſolent: eoque cavendum, ut neque illis deprimi, neque his efferri nos patiamur. Neque enim umquam ullus dolor tantus fuit, quin tandem aliquando ceſſarit, iteque ullum tantum gaudium, cujus extrema fere luctus non occuparit.

Varius mundi ſtatus.

Nobis quidem hic poſtquam tam de catellæ tuæ morte, quàm de tuo inde concepto mœrore renunciatum eſt, mihi crede, vix ridendi finem facere potuimus. Quid enim magis ridiculum, hominem catellæ morte ſic affici, ut in febrim incidat, ac lecto decumbat?

Quæcumque in hominum vita eveniunt, triplici fere modo accipiuntur. Aut enim deplorantur, aut ridentur, aut diſſimulantur. Me ſi quis roget, quid in hoc tuo caſu faciendum ſit, equidem nec deplorandum, nec diſſimulandum, ſed multo riſu proſequendum eſſe cenſeam. Amaſti enim antea uti vana, jam ploras uti fatua mulier. Multis verbis Caſpar Guevara cognatus noſter me rogavit, ut te inviſerem, ac conſolarer: quam ajebat non minus catellæ ſuæ morte affici, quàm olim ego germanæ meæ ſororis Franciſcæ fuerim affectus. Cui reſpondi: Pueros recens natos nec ambulare, nec edere, nec loqui, flere tamen poſſe: eoque non fletum, ſed cauſſam fletus ſpectandam eſſe. Prima noſtra omnium mater Abelem filium ſuum, Jacobus Joſephum, David Abſalonem, Anna Tobiæ abſentiam, Hieremias propheta Hieroſolymitanæ urbis excidium, Magdalena peccata ſua, & Servator noſter Lazari mortem deflevit. Quid tu, mea cognata? Canem nempe luges: quod genus luctus neque audiviſſe neque legiſſe me ullibi memini. Quod ſi lachrymæ ſanguinis guttæ ſunt ex corde ad oculos defluentes, multum ſane facere exiſtimandus eſt, qui amici mortem deplorat. Immo tantum ego tamque gratum officium præſtitiſſe illum judico qui unica lachrymula, amici mortui ſepulcrum irrigat, quam qui vivo fortunas ſuas omnes communicavit. Pedum eſt ambulare: linguæ, loqui: manuum, laborare: flere, cordis. Sunt enim oculi nihil aliud quam porta viſus, & cordis velut ſpongia, qua ipſius affectus eliquantur. Anxium & afflictum cor medio corpori incluſum, nec pedes habet ad ambulandum, nec manus ad laborandum, ſed lingua tantum quid amet indicat, & lachrymis quid doleat, teſtatum facit. Quod ſi tam cor quam oculos flentis inſpicere liceret, videremus profecto tot ſanguinis guttas de corde cadentes, quot lachrymarum guttæ ex oculis promanant. Si enim cor non mœreret, oculi certe non plorarent. Ex quibus ſane facile intelligi poteſt, mea cognata, quam tenere catellam hanc amaveris, cujus mortem tam impotenter defles. Si enim ſcire velis, quid maxime quisque amet aut oderit, non linguæ verba, ſed cordis ſuſpiria ſpectabis. Lingua cogitationum, at lachrymæ amoris ſunt interpretes. Et verba quidem, quæ tam viri quam fœminæ loquuntur, ſæpe ficta ſunt: lachrymæ vero quas profundunt veræ ſunt. Injuriam profecto mulieribus viri faciunt, in eo quod lachrymas earum fictas eſſe dicunt: quæ quidem ſemper veræ ſunt, ſed in eo viros decipiunt, quod hoc vel illud ſe deplorare ſimulant, quum tamen aliud deplorent. At per ludum & jocum quaſi animi cauſſa lachrymas profundere eas poſſe non facile mihi quiſquam perſuadebit. Hanc vero diſſimulationem aliud ſe deplorare quam revera deplorant fingentium, nec laudi illis nec vitio dare poſſum. Excelſus namque animus nihil magis celat & abſcondit, quā quod omnium maxime amat. Importunus eſt, quiſquis alterum rogat, quid mœſtus ſit? cur fleat? quid cogitet? quid animo incluſum gerat? Quorum importunas interrogationes, ſi quis ani-

Aut ploramus, aut ridemus, aut diſſimulamus,

Lachrymarum vis.

Lachrymæ amoris interpretes.

Mulierū lachrymæ quales.

ambigua reſponſione eluſerit, haud multum, meo judicio, peccabit. Neque enim fletus noſtri cauſſa alteri revelari poteſt, quin ſimul quod amamus prodatur.

Hæc omnia eò à me dicuntur, mea cognata, ut lachrymarum tuarum defenſionem quodammodo ſuſcipiam, quas ex bono quidem & non ficto, ſed parum prudenti animo profudiſſe te credo: præſertim quum audiam, febri te etiamnum, atque adeo lecto affixam detineri. Verumenimvero ut fatear tibi quod res eſt, non tam ego fletum tuum admiror, quam cauſam ejus deteſtor. O quanto ſatius fuerat

Peccata deflenda peccata quam caniculam à te defleri! Quis ferat, virginis genere illuſtris, vita honeſtæ, opulentæ patrimonio, venuſtæ forma, moribus amabilis, & cæteris in rebus cordatæ ac prudentis animum catellæ amore occupari? præſertim quum amans & amatum, ut Plato docet, unum fiant. Ex quo ſane ſequitur, qui rem rationalem amet, rationalem quoque fieri; qui brutam, brutum. Quum tu ergo canem amaveris, ſi quis ſibilo illo, bis, bis, bis, canum more te vocaverit, an merito ei iraſci poſſis? Dici non poteſt quantum hic tuus tam ineptus caniculæ amor ruborem ac pudorem mihi incutiat: quem plerique alii non rident tantum, ſed etiam vituperant. Et profecto non injuria. Neque enim vel oculi vel cogitationes noſtræ in res tam nihili defigendæ ſunt, ſed in eas quæ & amari dignæ ſunt, & quæ amatæ amanti quum decus afferant tum utilitatem. Optima & præſtantiſſima corporis pars Cor eſt; Cordis, amor: qui ſi male collocetur, næ ego infelicem illum hominem exiſtimandum puto. Neque enim umquam bene vivet qui male amat.

Caniculrum incommoda. Sed videamus quid tu amaris. Caniculam amaſti; quæ ad nihil aliud tibi profuit, quam quod veſtes tuas pilis, ſinum pulicibus, cubiculum ſordibus opplevit, latratu ſomnum tibi interrupit, & à puellis forte calcata, ad iram & jurgium te provocavit. Quantum vero negotii beſtiola illa tibi faceſſivit? quæ æſtate ſapone lavanda, hyberno tempore ſinu fovenda, optimis de diſco tuo buccellis alenda, tum precioſo etiam collari & nolis argenteis deauratis exornanda, contra denique cynocleptas tam ſollicite cuſtodienda fuit: ut nulli fere liberi parentibus majores curas exhibere poſſint. Equidem neſcio, utrum felicior catella illa fuerit, à te tantopere adamata, an tu infelicior, quæ rem tam vilem ac contemtam amore tuo dignari non dubitaſti. Illud vero ſcio, tam vicinos quam domeſticos caniculam hanc ſummo odio habuiſſe, quod illi amici quidem tui dicerentur, hæc vero optimas de menſa tua buccellas devoraret. Non reprehendo eos qui ſimiam, cercopithecum, pſittacum, ſciurum, aut quid tale animi cauſſa alunt; at ſtultitiæ eos damno, qui res has nimiopere amant. Et illorum quidem vita neceſſariis alimentis ſuſtentanda, mors vero nequaquam lachrymis proſequenda eſt.

Quoniam ergo caniculæ obitum tam graviter fers, non parum à prudentis & Chriſtianæ feminæ officio diſcedere te pro certo habeto. Qui enim cor vere Chriſtiannm habet, non rem tam nihili, qualis eſt bruta illa beſtiola, ſed peccata potius ſua deplorabit. Quod ſi prætori Caratanenſi caniculæ tuæ mortem & peccata tua eadem lance quis appenderet, eum ſane hanc ſententiam pronunciaturum exiſtimo, mortem caniculæ riſu, ſed peccata tua lachrymis proſequenda eſſe. Quod vero contra plerumque fieri videmus, cauſſa eſt quod rei amiſſæ jacturam facile ſentimus, at peccatorum nullam habemus rationem. Proinde æquius eſt, ut Dei potius qui te creavit, quam caniculæ quæ tibi mortua eſt, memor ſis. Neque enim anima tantum, verum etiam intellectus à Deo tibi datus eſt, ut ſcire poſſes, quomodo tam canicula quàm quibuſcumque aliis rebus uti debeas. At miſera illa nihil aliud habuit, quam linguam ad latrandum, & dentes ad mordendum.

Quamvis autem omni pietate erga mortuam hanc caniculam defuncta tibi videare, ego tamen illud à te neglectum, eoque graviter dolendum tibi puto, quod ad funus ejus Confraternitatem Miſericordiæ non advocaris, ut ejus deprecationibus & indulgentiis miſera illa frui poſſet. Alexander Magnus equo ſuo Bucephalo, Auguſtus Cæſar pſittaco, Commodus ſimiæ, Heliogabalus aviculę, Virgilius Culici magnifica tam ſepulcra quam epitaphia conſtruxerunt, adeoque exſequias celebrarunt. Equidem credo, ſi hæc tibi nota fuiſſent exempla, te illorum imitatione non honeſta tantum ſepultura, verum etiam funebri apparatu & exſequiis catellæ tuæ funus ornaturam fuiſſe: quamvis lachrymæ tuæ multo plus quam funebris illorum apparatus & ſepultura

P tam

tam ſtultitiæ quam dedecoris habere videantur. Sed & illud à te per ſummam negligentiam omiſſum mihi videtur; quod Gallardam obſtetricem parturienti caniculæ non advocaſti, nec S. Chriſtophoro votum feciſti, nec S. Quitteriæ zona parturientem incinxiſti. Quæ remedia neſcio utrum viventi plus quam mortuæ fletus tuus fuerint profutura. Sed & crediderim gallinas ad offam, & ova placentæ conficiendæ, tum ſaccharatos aliosque id genus liquores quibus ægram reficeres, & mundalint ea quibus catulos involveres, in parato habuiſſe. Quod ſi ita eſt, age velut inter cognatos, quæ dixi, iſta ita dividamus, ut tu gallinas & electuaria mihi mittas, lachrymas veró tuas tibi ipſi ſerves. Sed jam extra jocum: meum conſilium eſt, ut lachrymas omnes abſtergas, & è lecto quamprimum ſurgas, ne non nugas agere, ſed deſipere, atque adeo inſanire videaris, &c. Burgis VIII. Januarii MDXXIV.

Ad
D. VILIAPANDUM PRÆTOREM GRANATENSEM.
EPISTOLA.
In qua de boni Iudicis officio diſputatur.

Litteras tuas, vir doctiſſime & amice ſingularis, Velliegas domeſticus tuus mihi reddidit, ex quibus intellexi, cur & ſerius ad meas reſponderis, & cognati mei Petri Guevaræ cauſſam hactenus expedire non potueris, ob multiplices nempe occupationes & lites, quibus forum illud perſtrepat. Quam tuam excuſationem non ſolum admitto, verum etiam de iis, quæ in cognati mei cauſſa hactenus egiſti, gratias habeo atque ago.

Ceterum pro ea qua, ſemper ſe complexus ac proſequutus ſum, benevolentia facere hoc loco non poſſum, quin admoneam te atque horter, ut in munere tuo tam gravi adminiſtrando non diligenter tantum ſed caute etiam ac prudenter verſeris. Quibus enim de aliis judicandi & juſtitiam adminiſtrandi commiſſa eſt poteſtas, memores animo ſemper infixum illud tenere debent, quod [illegible] ut rex judicibus [illegible] [illegible] conſtitutis [illegible] ille ut

Iudex quid obſervare debeat.

eitur, quum ait: *Videte quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* Similia præcepta Jethro Moyſis ſocer judicibus præſcribit. Is enim, quum vidiſſet Moyſen ut populum judicaret ſedentem, & populum à mane ad veſperam ei aſſiſtentem, ſic inquit: Quid facis in plebe. Cur ſolus ſedes? & omnis populus præſtolatur à mane uſque ad veſperam. Cui reſpondit Moyſes: *Venit ad me populus, quærens ſententiam Dei. Quumque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me ut judicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei & leges ejus.* At ille: *Non bonam rem facis. Stulto labore conſumeris,* &c.

Hic notandum eſt, quod Moyſes potius dixerit, hoc loco nequaquam improbari. Neque enim malum hoc ſed bonum erat opus; quod tamen ſi alia ratione fieret, melius eſſe potuiſſet, ut poſtea dicetur. Minus namque bonum cum majori collatum, vitioſum quodammodo, adeoque vix bonum videtur: ſicut econtra minus malum cum peſſimo comparatum, quandam boni rationem habet. Quo ſane ſenſu Jetro Moyſem ait, *Rem non bonam facere,* eoque addit: *Stulto labore conſumeris & tu; & populus iſte qui tecum eſt. Ultra vires tuas eſt negocium. Solus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea atque conſilia; & erit Dominus tecum. Eſto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur, ad eum: Oſtendasque populo ceremonias & ritum colendi viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis tribunos qui judicent populum omni tempore.*

In hoc Jetronis Moyſi dato conſilio primo notandum eſt, quod ait, Provide *viros*: innuens Mulieribus nequaquam judicia vel imperia committenda eſſe, ob ſummam, quæ huic ſexui innata eſt, inconſtantiam, levitatem ac temeritatem. Sed & *viros* ait eligendos, non pueros. Præclare, ut omnia, D. Auguſtinus, Facile ait, eſſe judicare, at judicatum reſcindere, durum eſſe ac difficile. Quocirca Judicem non puerum, non ſimplicem aut fatuum, ſed ætate gravem, ſummaque prudentia, caſtitate & temperantia ornatum eſſe oportet: quinque adeo à pleriſque omnibus pro ſale terræ, ut cũ Chriſto D. N. loquar, & luce Mundi habeatur. A tali enim, non ab alio juſtitiam adminiſtrari videmus.

Viris cõmitten da judicia.

Ro-

Sapientibus. Romanum Imperium quamdiu in ſenum ac prudentum virorum fuit manibus, non integrum tantum & ſalvum manſit, verum etiam incredibilia ſumſit incrementa: at quãprimam ejuſdem gubernaculis juvenes inexperti ac temerarii ſunt admoti, primo juſtitia, deinde ipſa Reſpublica, atq; adeo quo totum terrarum orbem ante complexi fuerant, ingens illud imperium fuit peſſumdatum. Recte ergo Jetro in populi Rectoribus ſapientiam requirit, ut ſcilicet quid juſtum & æquum ſit, intelligant, atque ita ex æquo & bono jus dicere, & ſalutaria aliis conſilia dare poſſint. Væ enim eis qui cæcos ſequuntur duces!

Dei timentibus. Vult etiam Jetro, ut Judices Dei ſint timentes. Recte aureum illud eloquentiæ flumen S. Joannes Chryſoſtomus in Homeliis ſuper Evangelium D. Matthæi inquit, eum qui homines magis quam Deum timeat, facile à juſtitia declinaturum.

non avaris. Eos denique ad judicandi munus adſciſcendos ait Jetro, qui avaritiam oderint, id eſt, qui donis & muneribus, etiam ſapientum oculos excæcantibus, & juſtorum verba pervertentibus, corrumpi ſe non ſinant.

Ego, ut & ipſe aliquid dicam, ſic exiſtimo, Judici eadem obſervanda, quæ iis qui pugilatu ſeſe exercent. Ut enim his interdicitur, ne punctim feriant, aut lethiferis ictibus ilia ſtatim petant: ſic quibus Juſtitiæ adminiſtrandæ munus *Iudici cavenda acerbitas.* incumbit, nihil magis cavere debent, quam ne acerbioribus ferendis ſententiis & ſanguini fundendo aſſueſcant. Rerum enim capitalium judices, qui munus ſuum ita exercent, ut ultionis cupiditati ſimul ſatisfaciant, ſubtilis Doctor Scotus ait mortaliter peccare, adeoque homicidas eſſe. Et ſane tales ego nequaquam pro Juſtitiæ miniſtris, ſed pro exſecrabilibus tyrannis habendos cenſeam. Sed nec immodicis mulctis reorum facultates bonus Judex exhauriet. Qua quidem in re multi non leviter peccant, qui ærarium Principum, ſubditorum ſudore & ſanguine augere ſtudent. Enimvero & illos tam graves mulctas miſeris imponendo, & hos, exigendo, tam temporali quam æterna ſalute ſeſe everſuros prædico. Neque enim juſta eſt Principum excuſatio, culpam omnem in Judicem conferentium: quum eorum ſit, non tam mulctas exigere, quam ſententiæ æquitatem diligenter examinare, & in omnibus conſcientiæ recte conſulere. Multi enim Judices, ut Principis fiſcum locupletent, ſubditos etiam injuſtis, aut certe æquo gravioribus mulctis urgere non verentur: quorum flagitiis Princeps nequaquam ſubſcribere debet. Requiritur ergo in Judicibus, ut ab omni tam crudelitate quam avaritia alieni ſint, ne tanquam hirudines ſubditorum ſanguinem ac medullam exſugant; multo minus vero munera accipiendo, juſtitiam corrumpant. Juſtitiam olim pictor quidam depinxiſſe dicitur, oculis captam & manibus truncatam. Eam picturam quum alius vidiſſet, atque ab illo imperfectam relictam exiſtimaret, *Pictura Iuſtitiæ.* ad ea quæ deerant ſupplenda manum admovit. Id ille conſpicatus, graviter homini ſuccenſuit, inquiens: Quid tu, inepte, corrigere ea vis, quæ correctione non egent? Equidem ſi juſtitia oculos haberet ad προσωποληψίαν, & manus ad δωροδοκίαν non ego illam Juſtitiam, ſed omnis injuſtitiæ matrem dixero. Qua pictura ac verbis pictor ille Judicibus omnem officii ſui rationem breviter quidem, ſed accurate deſcripſit. Ut enim ad ſcopum collineantes, alterum oculum omnino claudũt, altero vero cõnivent, quod niſi faciant, ſcopum feriendi nulla ſpes eſt: ſic Judex ut recte judicet, ac medium tangat, tam oculos claudere debet, ne ullo vel munerum vel perſonarum reſpectu moveatur, quam manus abſtinere, ne donis ac muneribus à recto & juſto transverſus agatur: atque ita pro pecunia animam ſuam pignori opponat. In quam ſententiam S. Auguſtinus Sermone quodam Judices graviſſimis verbis movet, ut tam audiendis partibus quam jure dicundo, nihil quam ipsã Juſtitiam præ oculis habeant, & ne ab innocentibus quidem ullum accipiant munus, aut quidquam vel ipſi faciant, vel ab aliis fieri permittant, quo alterius cauſſa deterior reddatur. Dona enim, uti paullo ante quoque diximus, & ſapientum oculos excæcant, & juſtorum verba pervertunt. Id vero tanto magis cavebit Judex, ne cum parvo dono, ipſius inferni accipiat velut auctoramentum. Neque enim injuſtum lucrum ſine juſto damno haberi poteſt. Ubicũque tale lucrum, ibi damnum quoq; ſtatim præſto eſt: & illo quidem arca fortaſſis aliquanto fit plenior; at hoc conſcientia vulneratur. Ex quo apparet, judicem ab iis actionibus, quibus & vitæ & fortunarum miſerorum jugulum petatur, abſtinere oportere.

Sed & idem cavere debet, ne tranſverſim Ju- *Iuſtitia non pervertēda* ſtitiæ gladio in quemquam incurrat, id eſt, ne

 Juſti-

Juſtitiæ normam ſuo arbitratu inflectat, aut per injuſtitiam uni ademtum, alteri tribuat, vel condemnato innoxio, nocentem abſolvat. De talibus Iſaias vates ſic loquitur: *Principes tui infideles, ſocii furum. Omnes diligunt munera & ſequuntur retributiones. Pupillo non judicant, & cauſſa viduæ non ingreditur ad eos.*

Judicis officium Judicare Porro expoſitis, quæ in bono Judice eſſe debent, qualitatibus, Jetro ejusdem nobis officium deſcribit, quum ait, conſtituendos eſſe qui populum judicent, id eſt, jus dicant, omni tempore. Quemadmodum vero in arte gladiatoria punctim ferire prohibitum, at cæſim, permiſſum eſt: ſic Judex, quantum fieri poteſt, partes nequaquam inter ſe committere, ſed lites omnes, quoad ejus fieri poteſt, præcidere ac reſecare, & inprimis Advocatis ac rabulis forenſibus fibulam ponere debet, ne lites ex litibus ſerant, & ſumtibus aliisque moleſtiis non neceſſariis partes gravent. Hinc Eccleſiaſtes cap. IX. ita præcipit: *Quodcumque facere poteſt manus tua, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia erũt apud inferos quo tu properas.* Ait: *Quodcumq; facere poteſt manus tua.* quibus verbis opera meritoria, ac præſertim rectum judicium intelligit. Addit, *inſtanter*: ne umquam bene facere ceſſemus. Rationem vero ſubjungit, quod quantum ad temporalia atque externa, nullum opus, vel ratio (animæ ſcilicet vel conſcientiæ) nec quantum ad divina, ulla in inferno ſit ſcientia. Ex quo recte inferri poteſt, quum omnibus jugiter boni aliquid operandum, tum Judicibus lites nequaquam prorogandas, ſed quam fieri poteſt citiſſime expediendas eſſe.

Juſtitia temperanda miſericordia. Juſtitiæ vero comes miſericordia eſſe debet: ſine qua non illa jam Juſtitia, ſed crudelitas eſt & tyrannis. Hinc D. Gregorius veram Juſtitiam, inquit, cum compaſſione & miſericordia; falſam cum ultionis cupiditate eſſe conjunctã. Licet enim juſti peccatoribus juſte ac merito iraſcantur: multum tamen intereſt utrum illud ſuperbia quadam & odio, an vero juſtitiæ ac pietatis zelo fiat. At qui ita elato ſunt animo, ut ſine ullo Dei atque hominum reſpectu miſeros & inopes injuſtis judiciis opprimere non verentur, iis ego vix ſceleratius, ac proinde infelicius quidquam eſſe exiſtimo. Illud conſtitutum ſibi habeat Judex; Juſtitiam ab miſericordia numquam ſejungendam eſſe. Id quod Albertus Magnus ſimilitudine quadã declarat, inquiens, Caſtaneam ſi integro cortice igni imponatur, magno ſonitu rumpi & ex igne reſilire: & muſtum etiam novo vaſi incluſum, niſi ſpiraculum ei detur, ipſum vas perrumpere. Ad idem facit quod S. Gregorius lib. XX. Moraliũ, c. II. ſcribit, in Arca Veteris Teſtamenti Virgam & Manna cœleſte conjunctim atque unà fuiſſe aſſervata, ad docendum, Prælatis & Judicibus virgam prudentiæ & diſcretionis, & Manna benignitatis ſimul eſſe adhibenda. Hinc David Pſalmo XXIII. Domino ait: *Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Per virgam intelligitur Juſtitiæ animadverſio; per baculum vero miſericordiæ lenimentum. Sit ergo Judex non juſtus tantum, ſed etiam miſericors: quorum alterum ſine altero vitio eſt affine. In utroque tamen modus adſit. Ut enim nimia atque intempeſtiva Judicis miſericordia peccatis anſam dat; ita nimius ejusdem rigor & ſtricta juſtitia omnem ſpem miſeris præcidit, & deſperationem adfert. Taceo quod interim Judex ipſe neminis miſerendo, Dei miſericordia ſeipſũ quoque indignum facit. Eſt enim gratiſſimum Deo ſacrificium miſericordia. Ut paucis dicam, Judicis eſt viduos & orphanos contra potentiorum injurias tueri, ſubvenire miſeris, veſtire nudos, ſanare vulneratos, ægros reficere, jus denique inter omnes æquabiliter dicere, ut manus ſit trunco, pes claudo, auris ſurdo, oculus cæco.

Quæ omnia, ſi tu ipſo opere expleveris, primum equidem in Dei gloria locum tibi promitto. Ubi namque magnus ille Judicii dies advenerit, mali Judices, mihi crede, ſine ullo fine plorabũt; at boni æterni gaudii felicitate potientur.

Ad
RODERICUM ENRIQUES,
EPISTOLA.

In qua dictum illud S. Jobi, *Factus ſum mihi ipſimet gravis*, ac ſimul inteſtinum hominis bellum explicatur.

SI conſilio meo quod Toleti tibi nuper dederam, ut nempe conciones ſumma animi attentione audires, & in Confeſſione nihil omitteres, uſus fuiſſes, & tu importunitatis, & ego incivilitatis notam facile potuiſſemus effugere. Sed tantum abeſt ut meum illud conſilium amplexus

plexus ſis, ut etiam ab eo tempore in contrariũ magis niti mihi quodammodo videare. Quanto enim frequentiores à me coram Cæſare ſermones habentur, tanto minus tu eis afficeris; ſic ut plerũque me dicere incipiente, tu dormire incipias: eo tamẽ minus moleſtus auditor, quod omnibus quæ à me dicuntur, capite annuere videris: puto equidẽ, ſi non totas noctes in plateis oberrares, ac deinde in multam uſque lucẽ ſterteres, tam longe ſomnolentiam illam à te quoq; fugiturã, quam à me, qui toto die in ſtudiis conſumto, & nocte per quietem transacta, ſequentẽ mane lucẽ ipſam rurſus anteverto. At tibi tuique ſimilibus uſitatũ jam atque adeo ſolemne eſt, templa nugis, & conciones ſomno dicare. Sed tã hæc quã alia quæ multa quotidie à vobis peccantur, hujus loci nõ ſunt. Nunc quẽ à me petis de inteſtino hominis bello coram Cæſare à me habitum ſermonẽ, ſcripto conſignatum tibi mitto. Scio namque facilius te mihi & aliis quæ tu tum ſomniaris, quam quæ ego dixerim narrare poſſe.

Ait divinus vir Jobus: *Factus ſum mihi ipſimet gravis*: quaſi diceret: Non ego de aliorum erga me moroſitate conqueror, non alios quod negocium mihi & moleſtias exhibeant, incuſo: ſed mihi ipſe gravis ſum ac moleſtus. Mira admodum, atque adeo inaudita mihi hæc Jobi videtur querela. Quamvis enim nihil uſitatius ac familiarius ſit homini quam errare ac labi: quotus quiſque tamen ſuum errorem agnoſcit, ac non potius in quemcumque alium culpam à ſe transfert, aut varias ei quærit excuſationes? Jam ſterilitatem terræ, jam maris pericula, jam aëris intemperiem, jam lubricitatem fortunæ, jam amicorum inconſtantiam & hypocriſim, jam præcipitem temporis celeritatem, quid denique non incuſamus? At qui ſeipſos accuſent, paucos ego vidi. Mihi quidẽ idem facere videtur homines quod infelices luſores, qui male cadente alea, chartas dilacerant, & talos projiciunt, parũ interea memores non his, ſed vel ipſorũ imperitiæ vel ſiniſtræ fortunæ culpam imputandã eſſe.

Sibi quiſque blanditur.

Quia ergo verba hæc ut brevia, ita obſcura aliquo modo ſunt, idemque divinus vir eodem loco vitam hominis militiæ ſive bello comparat: age ut melius utrumque intelligatur, primo bellorum aliquot ſpecies explicabo.

Bellorũ genera.

Quinque vero potiſſimum bellorum genera reperio. Primum regale: ſecundum, Civile: tertium, Plusquam Civile: quartum, Perſonale: quintum, Cordiale.

Bellum Regale.

Bellum Regale eſt, quod Rex contra Regem, Princeps contra Principem, aut Reſpublica contra Rempublicam gerit: quale fuit inter Alexandrum Magnum & Darium, inter Romanos & Carthaginienſes. Primus hujus belli auctor fuiſſe dicitur Belus, Nini filius: à quo etiam Belli etymon nonnulli derivant: idque omnium primum in Aſſyria (quæ Suria hodie) geſtum fuiſſe ajunt. Alii ad Nimrothum Beli filium, Nini nepotem, primam belli originem referunt: quem S. Scriptura Hominum Oppreſſorem nominat, eo quod invitis imperaret, & quæ vellet eriperet. Alii Chodorlaomorem Elamitarum regem, eum qui Lothum cum omni ſubſtantia ejus ceperat, ſed ab Abrahamo poſt victus ac captus fuerat, primum copias in aciem produxiſſe opinantur. Aliter Ægyptii ſentiunt, affirmantes, Promethea regem ſuum primum belli gerendi modum ſuis commonſtraſſe, contra Oreſtem Sicyoniorum regem, ob Salamini regis filiam, unicã univerſi regni hæredem, armis ſumtis. Quiſquis vero ille ſit, equidem omnibus diris devovendum, ac dignum qui æternis flammis uſtuletur, exiſtimo: ut qui tam ſcelerato invento, ad mutuas cædes commiſſis inter ſe hominibus, quod in vita hac pulcerrimum eſt, pacem nimirum & amicitiam, non modo violavit, verum etiam funditus, quantum in ſe fuit, ſuſtulit. Ante ferream enim hanc ætatem, mortales ruri habitabant, terræ fructibus vel ultro provenientibus, vel manuum labore productis, veſcentes, antra pro domibus, ferarum pelles pro veſtibus habentes, nudis incedentes pedibus, adeoque communia omnia habentes: quã ætatem auream poetæ nominant.

Quis primus belli auctor.

Bellum civile.

Bellum civile eſt, quod civis contra civem, aut diverſæ unius civitatis factiones inter ſe gerunt, ut apud Carthaginienſes inter Hannonem, & Asdrubalem: Romæ inter Marium & Syllã, inter Cæſarem & Pompeium, &c. quorum contentiones non niſi alterius partis morte exſtingui potuerunt.

Plus quam civile.

Eſt aliud belli genus, quod Plusquam Civile dicimus, ut quando pater contra filiũ, aut frater contra fratrẽ, vel cognatus contra cognatũ arma capit. Civile quidem illud fuit bellum quod inter Cæſarem & Pompeiũ geſtum fuit, ſi civium factiones ſpectemus: at ſi ipſos auctores & duces, utpote ſocerum & generum, plusquam Civi-

Civile Quam miſerum, putas, fuit ſpectaculum, poſt pugnam Pharſalicam hic fratres, ibi cognatos videre mutuis vulneribus interſectos jacentes? Plusquam Civile bellum fuit inter Herodem Aſcalonitam & filios ejus Archelaum & Philippum, in quo filios patris vitæ inſidiantes pater tandem occidit. Plusquam Civile bellum fuit quod impius Abſalon Davidi patri intentavit, ut regno eum exueret: in quo tamen ipſe divina ultione periit, in quercu pendulus, & tribus lanceis confoſſus, &c. Et hoc quidem belli genus omnium periculoſiſſimum eſt & graviſſimum: quod plerique quanto propiori cognatione ſeſe contingunt, tanto, rupto ſemel cognationis illo vinculo, acerbioribus odiis ſeſe mutuo perſequuntur.

Duellū. Quartum bellum particulare eſt ſeu perſonale, Duellum proprie dictum, quando ſcilicet bini inter ſe de capite & vita dimicant, gravem aliquam ob cauſſam. Hoc modo Alexander Magnus & Porus de Indiæ imperio; Aeneas & Turnus de Laviniæ conjugio, David & Goliath de libertate & ſervitute populi Iſraelitici; Conſtantinus & *Maxentius* in ponte Danubiano; Viriatus Hiſpanus & Macrinus Romanus in via quæ Hiſpali Vallidoletum ducit, decertarunt: uti latius ex hiſtoriis videri poteſt.

Hactenus dictorum ad inteſtinum hominis bellum Applicatio.

QUintum belli genus eſt non regis contra regem, non civis contra civem; non cognati contra cognatum, non unius hominis contra alterum, ſed ejusdem hominis contra ſeipſum: quod quidem præ ceteris omnibus quæ hactenus enumeravimus, & cœptu eſt periculoſiſſimum, & victoriam longe habet difficilimam. In hoc enim bello qui vincit, vincitur; & qui vincitur, vincit. Ideo vero Cordiale bellum nominavimus, quod in corde naſcatur, in corde geratur, & in corde tandem finiatur, tum ſcilicet quando lachrymæ pro tormentis, & ſuſpiria pro ictibus adhibentur. In hoc bello pugnant inter ſe Amor & Timor, Voluptas & Temperantia, ſermo & ſilentium, miſericordia & durities, diligentia & pigritia, patientia & ira, avaritia & liberalitas, turbatio & quies, frequentia & ſolitudo, venia & ultio, ratio denique & ſenſus. In hoc bello non cum aliis, ſed ſoli: non palam, ſed clam: non in campo, ſed in animo; non ferro, ſed cogitationibus: & quidem non contra alios, ſed contra nos ipſos: non in aliorum conſpectu, ſed in noſtro corde, pugnamus. Illud vero omnium eſt moleſtiſſimum, quod qui in hoc pugnæ genere vincere vult, prius vincatur oportet. Hoc pugnæ genere victi ſunt quotquot Deo umquam grati in his terris vixerunt: qui tanto majorem conſequuti ſunt victoriam, quanto atrocius contra ſe geſſerunt bellum. In hoc enim vel ſalus vel perditio noſtra conſiſtit, ſi ratio ſenſualitatem vincat, aut ab illa vincatur.

Quis vero non miretur Jobum liberis orbatum, fortunis omnibus ſpoliatum, ab amicis vexatum, ab uxore irriſum, tantis denique afflictum miſeriis quantæ homini accidere poſſunt maximæ, afflictum, non tamen de aliis, ſed de ſeipſo tantum queri, dum non ſine lachrymis ait: *Factus ſum mihi ipſimet gravis.* Eodem belli genere exercitus fuit Apoſtolus quum inquit: *Infelix ego! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quaſi diceret: O me infelicem & miſerum hominem! quando tandem liber ac tutus à me ipſo. Quando erit ut facere poſſim quod volo: & non velim quod non poſſum? De eodem bello S. Auguſtinus loquitur, ubi ait: O quoties vinctus & alligatus fui, non ferreis quidem catenis, ſed meis ipſius ſenſibus! Et quoties apud me in clamorem & ejulatum erupi, non ſuper alios, ſed ſuper meipſum: quod maligno ſpiritui voluntatem meam tradidiſſē, ipſe vero voluntatem meam in non velle convertiſſet. De hoc etiam bello exaudiendus eſt S. Anſelmus, inquiens: Væ mihi! quid incipiā, miſer? quo fugiam? quum mihi ipſe adverſer: & quod peſſimum eſt, querelas fundo, à peccatis tamen non deſiſto. *Mihi ipſi* enim *gravis factus ſum.* De eodem loquitur Iſidorus, quum ait: Judicium meum adeo obſcuratum, memoria mea tā occupata, intellectus meus tam obtuſus, & cogitationes meæ ita alienatæ ſunt, ut nec quid deſiderem, aut de quo querar, ſcire ipſe aut rogantibus reſpondere poſſim: ſic ut ſæpenumero me ipſe apud me ipſum ſciſciter & quæram. Hoc bellum quoque innuit S. Bernardus, inquiens: O bone Jeſu, quam *factus ſum mihimetipſi gravis!* Fame quippe debilitor, ſaturitate nauſeo, frigore contrahor, calore liqueſio, ſolitudine contriſtor, offendor frequentia; & quod omnium peſſimum eſt, nec cum aliis nec mecum mihiipſi pax eſt. Idem bellum ſenſit Hieronymus, quum ait: Negare non poſſum,

S. Auguſtinus. *S. Anſelmus.* *Iſidorus.* *S. Bernardus.* *S. Hieronymus.*

,,ſum, quod *factus ſum mihimetipſi gravis*. Ex dæ-
,,monis namque ſuggeſtione & carnis exſtimula-
,,tione ſenſus mei honorem tantum quærunt, in-
,,hiant divitiis, aucupantur favorem, & multis
,,imperare, multa poſſidere, multum poſſe, re-
,,liques vero omnes nihili facere volunt: ſic ut
,,unus imperare cupiam omnibus, labore interim
,,omni ac moleſtia carere velim. Hoc idem bel-
lum innuit S. Ambroſius inquiens: Quia de me-
ipſo novi quod *Mihimetipſi gravis factus ſum*,
,,hominum fugio converſationem, ne mores me-
,,os mutent: diabolum fugio, ne me irretiat,
,,Mundum fugio, ne cum ipſo damnet: divitias
,,abdico, ne me corrumpant: honores, ne me ef-
,,ferant: & tamen etiam ſic quotidie magis ma-
,,giſque virtutum ſtudium in me langueſcit:
Mundi vero amor invaleſcit.

S. Ambroſius.

Horum ego SS Patrum hoc loco auctoritate uti volui, ut nos miſeri peccatores eorum exẽplo excitati, tanto majore cum cura & ſollicitudine in bello hoc utamur. Quis enim ſibi ipſi confidat, quum tam ſanctos viros tam graviter audiat de imbecillitate ſua conquerentes. Sapiens enim nemini minus confidit quam ſibi ipſi. Hic mihi occurrit quod bonus ille Santilianæ Marchio in ore frequenter habebat, inquiens: *En la guerra qua poſſeo ſiendo in ſer contraſi, pues yo miſmo me guerreo, diffiendame Dios dimi.* id eſt: *In bello hoc quod ego ipſe contra meipſum gero, tu ò Deus, defende me contra me.* Nam *factus ſum mihimetipſi gravis.* Si Regem iratum habeam, regni excedam finibus: ſi Iudicem, aliam quæram jurisdictionem: ſi vicinum malum, aliam conducam domum: at ſi meipſum hoſtem habeam quomodo à me ipſo fugiam? *Factus ſum mihimetipſi gravis*: ſiquidem in una cordis mei domo ea quæ maxime ſunt contraria ſequeſtrantur veluti & includuntur, Amor & odium, deſiderium & contemtus, proſperitas & adverſitas, quies & turbatio, ſpes & deſperatio: ſic ut quanto magis mihi confido, tanto magis à meipſo deſertum me ac proditum ſentiam. *Factus ſum mihiipſimet gravis*: ſiquidem dies noctesque mecum delibero, nec tamen quidquam concludo quid eligere quid fugere, quid amare quid odiſſe, quid dare quid ſervare, quid dicere quid tacere, quid oblivisci quid ulciſci debeam: & ut paucis dicam, omnibus in rebus infelix, & tamen in illa ipſa infelicitate felix ſum. *Factus ſum mihimetipſi gravis*: ſiquidem omnia triſtis hujus quam vivo vitæ, me defatigant, omnia me irritãt, omnia moleſtiæ, odio ac nauſeæ mihi ſunt: ſic ut vivere non cupiam, nec tamen cupiam mori. *Factus ſum mihimetipſi gravis*: ſiquidẽ ſuperbia me inflat, conſumit me invidia, ſaginat inertia, exhilarat me gula, ſtimulat luxuria: & quod omnium horum malorum caput eſt, etiãſi peccare ceſſo, nõ tamen peccati me pœnitet, ſed piget ac tædet; ſic ut non ego peccata, ſed peccata me deſerant. *Factus ſum mihimetipſi gravis*: ſiquidem quæcũque mala mihi accidunt, nemini niſi mihiipſi imputare poſſum: morbũ crapulæ: inopiã, prodigalitati: exſilium, delictis: pœnitentiã, errori. *Factus ſum mihimetipſi gravis*: quia oculis meis permitto ut videant vanitatem: auribus, ut audiant adulatorum verba: linguæ, ut nugetur aut mentiatur: pedibus, ut popinas ingrediantur: cordi, ut mundana amet & vana, ſic ut ſi quod membrũ mei corporis à peccato ſe contineat, nõ peccati odio, ſed pœnæ metu id fiat. Quia ergo *mihimetipſi gravis factus ſum*, cum quo pacem, quæſo colerem, qui mecum ipſe bellum gero? Cui non moleſtus ſim, qui ipſe me ferre nõ poſſum? De quo non conquerar, qui aſſidue de meipſo queror? Quid boni quiſquã à me exſpectet, qui mihi ipſe vix quidquam boni facere poſſum aut volo? Cur vitã exoptem, qui mihiipſi vitam tã acerbam reddo? O miſerum me atque infelicẽ hominem! Ah quã *mihimetipſi gravis factus ſum*! Quos ego crudeliores habere inimicos poſſim quã meas ipſius cupiditates? quæ ſpe jã me inflant, mox ad deſperationem adigunt. *Factus ſum mihimetipſi gravis*, quoties recordor tam multa me à Deo habere, & tam pauca dare: tantum temporis mihi conceſſum, & tam inutiliter à me conſumtum: tantis beneficiis me affectum, tamque exiguam pro iis à me repenſam gratiam: tam impigrum me fuiſſe in peccando, & tam tardum ac deſidem in emendando; tot mala perpetraſſe, & tot bona omiſiſſe: hæc omnia, inquam, quum recordor, & vivere erubeſco, & mori pertimeſco, &c.

Magnus eſt error confidẽtia ſui.

Vita hujus incommoda.

Hæc fere tum de hoc argumento à me dicta ſunt. Quoniam vero rebus tam ſanctis profani quidquam attexere nefas eſt; ſcribendi finem facio, Deum comprecatus, ut divina ipſius adſpirante gratia, hæc uti a me dicta & ſcripta ſunt, ita animo utriuſque infixa maneant, & optatum adferant fructum. Avilæ XX Auguſti MDXXVIII.

Ad

Digitized by Google

R. D. P. ANTONII GUEVARÆ, De Ira. DISSERTATIO:

In qua Pſalmographi illud, Iraſcimini & nolite peccare, *explicatur.*

REm ſtupendam, caſum inauditum, & pœnã cujus exemplum in Eccleſia nullibi uſitatum exſtat, hodiernum nobis proponit Evangelium, quo Dominus & Salvator noſter Jeſus Chriſtus ementium & vendentium in templo menſas ſubvertit, argentum diſſipavit, fœneratores fures & latrones nominavit, & flagellis cæſos è templo ejecit. In quo illud primo conſiderabimus, ſanctiorne fuerit zelus quo incenſus fuit Chriſtus, an horribilius Judæorum peccatum: ut facta utriuſque comparatione, intelligamus, ubi homines ad extrema peccatorum venerint, Deum quoque ad extremas deſcendere pœnas.

Blaſphemus ſit profecto, qui exiſtimaverit, zelum hunc, quo inflammatus fuit Chriſtus, cum peccato aut labe aliqua fuiſſe conjunctum. Neque enim divina lex fert, ut Redemtor ac Peccator ſimul quis dici poſſit. De Chriſto exclamat D. Joannes Baptiſta: *Ecce Agnus Dei*, addit ſtatim: *Qui tollit peccata Mundi.* quibus verbis non immaculatum tantum Agnum, verum etiam peccati expiatorem cum vocat Peccator peccatorem convertere, peccatum vero ipſum tollere non poteſt. At Chriſtus ita ab omni peccato fuit immunis, ut non modo non peccare voluerit, ſed ne potuerit quidem.

Dicit vero regius vates: *Iraſcimini & nolite peccare.* Innuens licere quidem iraſci, ſed non peccare. Et quidem ſæpius Prælati aut Judicis ira Deus magis offenditur, quam ipſo rei peccato. Difficilis ſane res hoc loco nobis mandatur. Quomodo enim iraſcar ſine peccato, quum ira unum ſit è peccatis mortalibus? Quare tanto mirabilius, immo abſurdius quoque præceptum hoc videri poſſit, Iraſcendum nempe eſſe, nec tamen peccandum. Mihi enim rem accurate perpendenti, Angelicæ quam humanæ naturæ propiora illa videntur, ut ſcilicet injuria aut contumelia affectus irę moderetur, manus contineat, linguam frænet, aures obturet, & cor veluti ſub jugum cogat, rationem denique ſequatur: quũ plerique beneficiorum cito obliviſcantur, injurias etiã ſero ulciſcantur. Sed quo melius verba illa intelligamus, diſquiremus, quas ob cauſſas ſalva cõſcientia, iraſci poſſimus. Tanta enim eſt peccato cum ira affinitas, ut vix ab ea umquam ſeparari poſſe videatur.

Dicat quis: Facile eſt conjicere quibus iraſci liceat, nimirum iis, qui honorem & exiſtimationem noſtram lædunt, aut bonis & fortunis vel vi vel fraude nos evertunt. At ego ajo, tanti hæc nequaquam eſſe debere, ut propterea iræ fræna laxanda ſint. Boni enim viri eſt honorem ſuum armis, fortunas jure defendere. At inquis, iis certe iraſci licet, qui conviciis & calumniis nos inſectantur. Et hoc nego. Eſt enim veri Chriſtiani, etiam virulentiſſima convicia & maximas quaſque injurias non ulciſci, ſed obliviſci. Quid? Nõ mihi iraſci liceat, ſi nequã aliquẽ hominẽ thoro meo inſidiantem deprehendero? Iterum nego. Eſt enim matrimonii honeſtas tam tenera, ut ſine mariti probro mulier impudicitiæ inſimulari nequeat. Quod ſi ergo res integra adhuc fuerit, quæ par eſt remedia adhibebis; ſin minus, quod emendari non poteſt, diſſimulabis. At numquid famulis & ancillis mandata noſtra vel obliviſcentibus vel minus recte exſequentibus iraſci licet? Ne his quidem. Eſt enim patrisfamilias miniſtrum errantem admonere, murmuranti minari, contumacem dimittere. Quis vero amicis & cognatis non iraſcatur, ſi forte rebus ſecundis elati, tenuitatem noſtram deſpiciant, aut in rebus adverſis deſertos nos patiantur? Ne hoc quidem facies: ſed potius ſic cogitabis, non noſtros illos, ſed fortunæ fuiſſe amicos; adeoque patefactam hac ratione illorum falſitatem gaudebis. Sed enim merito iraſcar multa promittenti & nihil præſtanti? Ne huic quidem. Tanti enim eſt apud ſapientem patientia, ut ſpe ſua fruſtrari quam alterius levitati iraſci malit. Annon vero, inquis, mihi ipſi iraſci liceat, nihil recte vel dicenti vel agenti? Nequaquam. Erroris namque remedium non in iraſcendo, ſed in emendando eſt poſitum. At quis non fortunæ iraſcatur, alios elevanti, nos deprimenti? Minime, inquam. Si enim fortuna pro merito cuique tribueret, jam non fortuna, ſed Juſtitia dicenda ſit. Ut ergo ſit quod dicitur, dat cuique, non quod debet, ſed quod vult. Eſto, inquis; attamen diaboli inſidiis & Mundi fraudibus

Quando & Quibus non iraſcendum.

dibus iraſci licebit? Non, iterum inquam: Siquidem utrumque horum prius nos commonefaciunt quam decipere inſtituant. Quis enim neſcit,carni innatum eſſe, ut nos incitet, diabolum in eo totum eſſe ut nos tentet, Mundum ut nos ſeducat? Atqui merito iraſcetur, qui infra ceteros homines ſe eſſe, nec tantum quantum alios habere,poſſe ac valere ſe viderit? Minime gentium. Nam qui alto & excelſo ſunt animo præditi, non tam aliis fortunas, dignitates & quidquid horum eſt, invident, quam de ſua, iſta nondum meritorum, imperfectione dolent.

Quibus & quãdo iraſci liceat.

Quando ergo, inquis, & quibus iraſci licet? Meo judicio, iis tantum, qui & Deum peccatis ſuis ad iram provocant,& nos ad peccandum incitant. Qui enim vere Chriſtianus eſt, majori odio habebit eum qui animæ,quam qui fortunis nocet. Iraſcetur vero,ſi viderit pleroſque tam ſollicite Principum mandata obſervantes, divinam vero legem ſine ullo pudore transgredientes. Sæpenumero Mundi hujus perverſitatem mecum admirari ſoleo,in eo, quod tam exacta menſuræ ac ponderum habeatur ratio, ut ſi quid juſto brevius aut levius repertum fuerit, confringatur ſtatim & in ignem conijciatur,ipſe etiam reus graviter multetur: at divini nominis contumeliæ & blaſphemiæ,aliaque enormia peccata non modo non puniantur, verum etiam ab iis ipſis qui punire debebant,& impune committantur,& in aliis tolerentur. Peccare quem, mirũ nõ eſt:at tam impudenter homines in peccatis non modo perſeverare, verũ etiam in dies progredi,ſane ſtupendum eſt. Mũdum mihi quis nunc videat,& quæ in eo ad ſummum pervenerunt,ſuperbiam,avaritiam,libidines,blaſphemias,perjuria,&c. annon merito exclamabit; nec legem eſſe qua iſta vetentur, nec Deum à quo puniantur?Sed eſt profecto Deus,qui tarditatem ſupplicii gravitate olim compenſabit. Unum vel alterum peccatum committere, mirum non eſt; at omnia univerſim, ſtupendum eſt. Sunt autem mundanis adeo quidam immerſi deliciis, ut ſi vel unum vitium intentatum relinquant, vitam ſibi acerbam putent. Diem, menſem, annum in peccato perſeverare non quidem mirum,ſed miſerum eſt: at totam vitam in peccatis tranſigere,& ne ſemel quidem de vitæ emendatione cogitare,plane diabolicum eſt. Tales enim tandem quid peccare ſit,neſciunt. At peſſimi omnium ſunt, qui non peccant ſolum, ſed in peccatis etiam gloriantur. His enim graviſſime Deus iraſcitur,& raro ignoſcit.Deum quippe contemnunt; ad peccata prompti, ad converſionem tardi,ad perſeverandum obſtinati,audaces ad perficiendum,& in jactantia effrontes. De his Iſaias: *Peccata ſua prædicaverunt ut Sodoma,& non celaverunt*, quaſi diceret; Non hoc mihi dolet, ô Iſrael, quod peccas,ſed quod, ut Sodomitæ,in peccatis gloriaris. His quidem & horum ſimilibus iraſcendum eſt. Moyſes tot tantaque paſſus tum demum excanduit, quum Iſraelitas vidit vitulum adorantes.

Exemplũ Matathiæ.

Quum Matathias fortiſſimorum Machabæorum pater, ſupremi ſacerdotii dignitate indigniſſime dejectus, & direptis omnibus ipſius fortunis, per ſummam contumeliam etiam templi aditu eſſet prohibitus, non tamen iratus fuiſſe, aut convicia conviciis, injurias injuriis rependiſſe legitur. Idem tamen Judæum quendam ethnicorum idololatrarum more ſacrificare cernens, tanta exarſit iracundia, ut in ipſo veſtigio hominem interfecerit. Tanto odio, tanto furore impia regina Izabel Eliam Prophetam perſequebatur, ut is fugæ & periculorum pertæſus, veris & ardentibus votis mortem optarit. In his tamen omnibus nullam umquam in quemquam vindictam ſpiraſſe aut ſuſcepiſſe noſcitur, quam in ſacerdotes illos Baalitico idolo ſacrificantes, quorum trecentos una vice jugulavit. Davides non filii Abſalonis rebellionem, non Semei convicia, non Saulis perſequutionem, non Ammonitarum regis inimicitias tam graviter tulit quam divinæ legis quem in populo ſuo paſſim videbat, contemtum. Unde inquit: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam*, quaſi diceret: Plorandi ac lamentandi nullum finem facio,quoties,ô Deus, non eas quæ mihi, ſed quæ ſanctiſſimo nomini tuo ab iis à quibus minime par eſt inferuntur, injurias video ac mecum conſidero. O altum myſterium! ô inſignem viri DEO chariſſimi zelum! Et ſane æquum eſt ut factas, D. N, & Servatori injurias pro noſtris accipiamus, quum noſtra ile peccata pro ſuis ſuceperit atque expiarit.

Eliæ.

Davidis

Peccatũ, non peccatorem oderis.

Horum tam ſanctorum ac divinorum virorum exempla ſi imitemur, mandatum hoc, *Iraſcimini & nolite peccare*, facile implebimus: ſi nimirum peccatis iraſcamur, & peccatoribus condoleamus. Tum vero recte condolebimus,

Digitized by Google

mus, ſi quantum in nobis eſt, operam demus, ut & ipſorum animæ ne pereant, & honos integer maneat. Sed ô præpoſtera hominum conſilia, judicia, & conatus! Plerique enim non peccatis, ſed peccatoribus iraſcuntur: ſic ut zelum in iram, & iram in vindictam convertant: & ſub zeli & caſtigationis prætextu, privatæ ultionis cupiditatem expleant,

Porro Iræ peccatum non odii tantum, verum etiam periculi plenum eſt. Hominem namque iracundum vix vicinum, nedum amicum quisquam ferat. Sed & irati hominis habitum quis non fugiat ac deteſtetur? Videas in eo oculos rubicundos & ſcintillantes, genas turgidas & ardentes, artus omnes trementes, cor palpitans, aures obturatas & ſurdas, linguam impeditam, manus argutas & ad inferendam injuriam promtas: ſic ut neque quid ipſe dicat, animadvertat, neque quid ab aliis dicatur, intelligat. Miſeri profecto ſunt iracundi, utpote omnibus, domeſticis, alienis, odioſi: adeo ut neque amici eos ament, nec quisquam miniſtrare eis ſuſtineat. Equidem hominum ejuſmodi valde me miſeret, ut qui quum maxime ira efferveſcunt, ludibrio tum à plerisque habentur: ſic ut aliis ridentibus, ipſi ringantur, nemini quam ſibi ipſis graviores. Quid, quod bilioſo & iracundo homini nihil ſecreti tuto communicari poteſt? utpote quod ille exundante bile ſtatim ſit effuſurus. Sed & conſilium quomodo dari poſſit homo ſui plane cerebri & præceps? Ex quo facile apparet iracundo homini non modo Reipublicæ gubernacula, verum etiam nullum plane officium committendum eſſe. Quum enim aliqua hic accidant quæ punienda, aliqua quæ diſſimulanda ſunt: facile fiet, ut iracundia victus, quum pœnam mitigare debebat, eam exaſperet, & econtra. Hæc de ira.

Remedia contra iracundiam. Optimum vero iracundiæ remedium eſt, ut quidquid fieri vel dici nobis poſſit, ante animo præcipiatur. Quod qui fecerit, iracundiam facile ita continebit, ne fræna ei laxet. Quam neceſſaria eſt, inopi pecunia, & ſtulto ſapientia, tam neceſſaria omnibus hominibus eſt patientia. Tot enim tantæque moleſtiæ quotidie homini objiciuntur, ut longe plures patientia vincendæ ſint quam lingua aut aliis modis vindicandæ. Quod ſi omnes & ſingulas injurias ulciſci, aut omnibus moleſtiis quæ nobis objiciuntur, iraſci velimus, vix umquam manus à vi, linguam à querelis, oculos à fletu, & cor à ſuſpiriis & gemitibus continebimus. Neque enim quemquam hominum vidiſſe me memini, quem non citius vita quam labor & ærumna deſeruerit. Quumque videam homines plerosque in profundum non negociorum tantum, ſed & vitiorum demerſos, magis ſane admiror quemquam vivere quam tot quotidie mori: quippe quibus finem laboribus hujus vitæ imponere cogitantibus, ipſi labores finem vitæ imponunt. Quod ſi Medici tam animi ægritudines quam corporis morbos ſanare poſſent, equidem plures ipſorum limina aſſidue obſeſſuros puto, quam cives olim Roma habuit. Eſt namque animi triſtitia tam commune ac pervulgatum malum, ut ab omnibus fugiatur, à nemine tamen effugiatur. Equidem ex vobis omnibus, quotquot hæc legitis vel auditis, ſcire cupiam, an ullum toto vitæ tempore diem tranſegeritis, quo non vel membri alicujus vel animi dolorem ſenſeritis, vel injuria affecti vel furto expilati, aut mendacio onerati. Quod ſi quis omnibus his ſeſe opponere aut amoliri ea ab ſe voluerit, is vitæ exitum citius quam operis initium reperiet. Ut enim mare ſine tempeſtate & fluctibus navigari, bellum ſine periculis geri, via ſine labore non confici; ſic vita etiam ſine moleſtiis, & querelis transigi non poteſt. Equidem nullum umquam vidi hominem cui juſtæ tam ad querimoniam quam fletum cauſſæ non fuerint. Quin mirabor potius, quemquam eſſe, qui querendi ac plorandi finem faciat: quum ſuperbia nos præcipitet, torqueat invidia, conſumat iracundia, gula impediat, caro tentet, premat inopia, ſeducat ambitio, omnia denique miſerrimum cor tantis curis & moleſtiis affligant, ut honeſtam mortem tam inviſæ & odioſæ vitæ longe præponat. *Vita hæc moleſtiarũ plena.*

Horum omnia quæ hactenus dicta, & plura adhuc dici poſſunt, ſumma eſto; ſi iraſci ſine peccato velimus, quædam diſſimulanda, aliis adhibenda remedia, nonnulla ex animo plane oblitteranda, pleraque ferenda, in omnibus vero rationem ducem ſequendam, & cupiditates coercendas nobis eſſe.

Ad
FRANCISCUM Mendozam, Palentiæ Epiſcopum,
EPISTOLA.

Qua putidi Hiſpanorum, Gallorum & Italorum tam in ſalutando quam ſcribendo aulicíſmi perſtringuntur.

Litteræ tuæ redditæ mihi ſunt, quibus à me petis, ut formulas quaſdam tam ſalutandi quam valedicendi elegantiores tibi indicem ac præſcribam. Ad ipſam rem quod attinet, quamvis non exiguum in aulico decus ſit, debitum unicuique, ſervato ubique decoro, honorem exhibere; mihi tamen quæſtio hæc tam nova accidit, ut de ea ne per ſomnium quidem umquam cogitarim, nedum ejus deciſionem in libris meis inveſtigarim. Equidem multos Grammaticorum, Logicorum, Philoſophorum, Theologorum, atque etiam Aſtrologorum libros evolvi: ea tamen de re ulla præcepta me reperiſſe, aut è viva etiam magiſtrorum voce hauſiſſe, non memini. Litteræ quas ad me ſcribis ita comparatæ ſunt, ut amanter eas quidem accipiam, ſed non niſi ſuſpenſo velut animo ad eas reſpondeam. Qui enim tam amanter atque eleganter ſcriptas non amanter accipiam? At quia plerumque res continent raras ac fere inuſitatas, fit ut cunctanter quoque mihi ad eas reſpondendum putem.

Aulicæ elegantiæ caput.

Sed ut ad quæſtionem ipſam veniam, multum ſane intereſſe puto, quibus quum verbis tum geſtibus in civilis vitæ converſatione, præſertim vero in mutuis ſalutationibus, utamur. Videmus enim qui vel caput decenter non aperiunt, aut venientibus tempeſtive non aſſurgunt, aut occurrentibus obviam ipſi ultro non procedunt, aut denique non cuique qui debetur, titulum tribuunt, ruſticitatis, vel faſtus & arrogantiæ notari, imprimis eos qui in aulis verſantur. Neque enim ſacerdoti magis convenit Miſſam attente & devote legere, figulo ollam affabre formare, ſutori calceum, ſartori veſtem apte concinnare, quam aulico in omnibus tam dictis quam factis elegantiam quandam adhibere: quum Regum ac Principum aulæ omnis elegantiæ officinæ quædam eſſe debeant.

Ad illud quod attinet, quomodo occurrentes nobis ſalutandi aut abeuntes dimittendi ſint, equidem certi nihil præſcribere poſſim, quum id nequaquam è libris diſcatur; ſed totum à cuiusque regionis more ac conſuetudine ac perſonarum conditionibus dependeat. Quo tamen petitioni tuæ aliqua ex parte ſatisfaciam, paucis indicabo quid olim, quid etiam apud nos uſitatum ſit; ita tamen ut non quod à me è priſtini temporis memoria repetitum vel hodie uſurpatum, ſed quod ab aliis decenter adhibitum tibi videbitur, eligas, & ubi voles, uſurpes.

Idumæos in via ſibi occurrentes, hac formula ſalutationis lego uti ſolitos: *Dominus vobiſcum.* At veri Hebræi ſic ſe mutuo compellabant: *Ave mi frater.* Sophiſtæ è Græcia: *Avete omnes.* Romanis in congreſſu, *Salve*; in diſceſſu *Vale*, in ore erat. Carthaginenſes non verbis, ſed oſculo invicem ſeſe ſalutabant. Et Turcæ hodieque nulla alia ſalutatione utuntur, quam quod in congreſſu humeros, in diſceſſu vero genua aut veſtem etiam mutuo exoſculantur. Sed omnia iſta perſequi infinitum ſit. In Italia, uti etiam alibi, ſalutationes pro diei partibus diſtinguuntur, &c.

Sed ex omnibus quæ hodie ab Italis, Gallis & Hiſpanis adhibentur formulis nullæ mihi magis ridiculæ ac putidæ videntur quam quod aiunt: *Beſo las manos de vueſtra merced.* Item *Beſo los pies de veſtra ſennora.* Necnon: *yo ſoy ſiervo y eſclavo perpetuo de vueſtra caſa.* Quibus non manus tantum, ſed pedes etiam eorum quos ſalutant, exoſculari, adeo mancipio ſe illis tradere teſtantur. Equidem, ut meum quoque interponam judicium, ſic exiſtimo, nihili omnino hominem fuiſſe qui primus has nobis elegantias eſt commentus: quin ajo agreſtem, plane ac barbarum fuiſſe. Oſculari manus alterius vile eſt; pedes, putidum & turpe. Manibus emungimus mucum, detergimus ſordes, fricamus ſcabiem, & quas non corporis partes, attrectamus? Pedes ſudore plerumque fœtent, callo ſunt obducti, conſperſi pulvere, & luto inquinati. De me illud mihi credas velim, mallem armum vel pedem buculæ aut ovis bene apparatū comedere, quam vel elegantiſſimi aulici manus

Manus & pedes oſculari putidum & ſervile.

manus aut pedes oſculari. Annon credis in Principum aulis quam plurimos reperiri, qui pedes & manus aliorum oſculari ſe dicunt, interim pedibus & manibus truncare eoſdem mallent. Si alter alteri dicat, Amicus tuus ſum: Opera mea tibi promta & parata ſemper eſt: Utere meis tamquam tuis: Faciam quæcumque grata tibi eſſe intellexero: Si quid à me fieri velis, tuo arbitratu mihi impera: & ſi qua alia ejuſmodi ſunt quibus amicitiam & obſequium aliis offerimus; à bonis moribus nequaquam abhorret; at dicere, Oſculor manus & pedes veſtros, & elegantia caret, & ab omni ratione eſt alienum. Pedum enim oſcula Pontificis dignitati debentur; at ſuas ipſius manus oſculari ſacerdoti Miſſam celebranti convenit.

Nos, ſi Chriſti magis imitatores, quam profanæ adulationis aſſectatores eſſe cupiamus, non temere alia ſalutatione utemur quam D. N. Jeſus Chriſtus & ipſe uſus eſt, & ſuos uti docuit, nimirum, *Pax vobis*; Aut: *Pax ſit huic domui*: putidis illis aulicismis cum auctoribus ſuis Anticyras relegatis. Sed quinam illi ſunt, quæris? Equidem juxta tecum neſcio: ſi tamen conjecturæ locus eſt, exiſtimo quemadmodum ſalians ſaltantem ſequitur, ſic levi alicui homini tale aliquid forte ſive per imprudentiam, ſive per jocum & irriſionem excidiſſe, quod ſervilibus ingeniis ita placuerit, ut ad ſeria ſolœciſmos iſtos transferre non dubitariat. Avilæ XXII, Novemb. MDXXXIII.

Ad

EPISCOPUM BARRIENSEM,

EPISTOLA.

Qua docetur, quam periculoſum ſit habere homines amicos, Chriſtum vero inimicum.

IN oratione illa invectiva, quam Æſchines contra Demoſthenem habuit, inter alia hæc verba habentur: Noſti, ô Demoſthenes, ut ſis qui videri vis, oportere te in iis, quæ aggrederis, eſſe magnanimum, in promiſſis veracem, in conſiliis prudentem, in cogitationibus ſincerum, in actionibus juſtum, in verbis cautum. Atqui horum nullum in te reperitur. quum ſæpius facias quæ non debes, & loquaris quæ non ſentis. Recte ſane Æſchines. Neque enim pro ſapiente habendus eſt, qui in factis tantum, ſed qui in verbis quoque prudens ſit & circumſpectus. Par ſane eſt, ut quis eorum quæ facit, ſed neſcio an magis quæ loquitur, diligentem habeat rationem: quum generoſus & verecundus animus facilius illatam ignoſcat injuriam, quam verbum aliquod contumelioſum. Injuſte facta emendari ſæpe poſſunt; at verba contumelioſa nec revocari nec corrigi poſſunt. Enſe caro, ſed convicio cor vulneratur. Quæ eo à me dicuntur, quod ſuſpicer exiſtimare te, quum nuper præſente Imperatore in concione quadam inter alia affirmarim, non minus periculoſum eſſe homines habere amicos, quam Deum inimicum, verba illa mihi forſan imprudenti & non bene præmeditato excidiſſe. Quod ſi ita eſt, tota erras via. Ego enim cathedra conſcenſa, tanta in iis quæ dico cautione ac cura utor, ut in peccatorum exomologeſi majori uti non poſſim. Et merito: quum locum illum ipſe Dei filius ſua perſona conſecrarit, & in eo Dei Verbum & divina myſteria, non hominum commenta, ſomnia & nugæ ſonare debeant. Qui enim in hunc locum inepta, profana, ridicula afferunt, non ſane pro divini Verbi præconibus, ſed pro circumforaneis & agyrtis habendi ſunt. Mihi quidem videtur, concionatori ſuggeſtum conſcenſuro non tam quid dicere, quam quid non dicere velit, præcogitandum: adeoque caute ſingula verba proferenda ac ſi unum tantum eo die eſſet explicandum.

Quod ergo tam celebri die in tam illuſtri hominum conſeſſu, & quidem audiente ſapientiſſimo noſtro Principe concionantem me & verbis meis ſcrupulum tibi injeciſſe, & pleroſque auditores offendiſſe dicis, magnam profecto mihi facis injuriam. Fateor ſæpe ac ſæpius me cogitatione & delectatione, omiſſione, conſenſu, viſu, verbo & opere peccaſſe: quidquam tamen de cathedra temere atque inconſulto dixiſſe, nego atque proteſtor. Quod namque in foro mendacium, id in templo ſacrilegium eſt. Nec tamen inficias iverim, me tum nimis alte forraſſe in divina illa myſteria fuiſſe ingreſſum, ſic ut ſingula non uti res poſtulabat, ſatis explicare potuerim; inter quæ ſane &

Concionatoris munus.

illa à te notata verba fuerunt, Boni enim concionatoris munus eſſe ſemper exiſtimavi, myſteria omnia quæ textus verbis continentur, ſi prolixe explicare non poſſit ſaltim velut intento digito indicare. Quod cum temporis ſpacio excluſus facere non potui, jam faciam, & ſententiam verborum meorum declarabo; ſperans quam ſcribenti mihi hæc laborioſa, tam legenti tibi grata & jucunda fore.

Dixi tum, nunc iterum dico, & Creatorem habere inimicum, & creaturam habere amicam, utrumque periculoſum eſſe Medicis & amicis in morborum ac neceſſitatum periculis opus habemus. At numquid conſultius fuerit pericula fugere, quam medicorum & amicorum operam advocare? Multum intereſt pro amico aliquem, an proximo habeam. Quem enim pro amico habeo, eum uti mundanum diligo, è quo amore ſive amicitia multæ ſæpe confuſiones & incommoda naſcuntur. Rogo, domine, ut verba mea diligenter attendas. Non illud dicò, malum eſſe amicos habere; ſed, periculoſum ac laborioſum. Neque enim amicus vere dici poteſt, niſi cujus fides noſtris adverſis rebus aut periculis fuerit probata. Immo quanto maioris fuerit, tanto maiori cum periculo quam fidus is nobis ſit, periculum faciemus. Quam multis, per Deum immortalem, vel generis nobilitas, vel amicorum & clientum multitudo, vel magnatum favor ſtimulos ad peccandum ſubjiciunt? qui ſi his carerent, intra modeſtiæ & verecundiæ limites facile ſe eſſent contenturi. At ſtultum eſt periculum provocare, ad cujus depulſionem amici opera tibi efflagitanda ſit. Quantum amicis fidendum ſit, ipſe Dominus & Salvator noſter exemplo ſuo nos docuit. Quum enim is duodecim à lege ad Evangelium vocaſſet, & ex piſcatoribus Apoſtolos feciſſet; poſtea ab uno negatus, ab altero proditus, & ab omnibus deſertus fuit. Numquam deſunt amici qui cibum noſtrum comedunt; at pauci, immo nulli ſunt, qui pericula noſtra depellant, & neceſſitatibus ſuccurrant. Inepti ac ridiculi homines, vix noſcentes antea inter ſe ubi ſemel menſa vel hilarior potus eos conjũxerit, non amicitiam tantum, verumetiam neſcio quas fraternitates inter pocula contrahunt: at quamprimum vini illius, quod una potarunt, calor deferbuit, omnis illa amicitia & fraternitas ſimul exſpirat: neque vel obulum alter alteri ſit commodaturus: ſic et noti quidem ſeu familiares multi reperiantur ſed pauci amici. Pompeio illi magno optimus ante amicus, ut videbatur, Ptolemæus caput auferri juſſit. Senecam ingratus diſcipulus Nero mori coegit. Ciceronem C. Julius Cæſar M. Antonio ad cædem obiecit. Idem Cæſar à fidiſſimis ut rebatur, amicis, Caſſio & Bruto multis vulneribus confoſſus periit. Ex quibus non inepte quis inferre poſſet, tutius ſæpe homines inter hoſtes quam apud amicos vivere.

Vis ſcire quæ hodie ab amicis exſpectanda ſint? Nimirum ut compellare volentibus ſe ſubtrahant. & auxilium implorantibus, fortunas, honorem aut vitam amici cauſſa periclitari ſe poſſe negent Tum quæ alii poſtulent? Nihil quidem iſtorum, ſed longe maius, ut nimirum conſcientiam animæque ſalutem amici voluntati & commodis poſthabeant, ejus injurias ſeu veras ſeu putatitias vi & armis ulciſcendo, aut perjurio cauſſam ejus adjuvando. O quam multi paſſim in foro perjuria committunt: deinde non quidem perjurii turpitudinem, ſed mercedis quę ipſis repræſentatur, exiguitatem deplorant & deteſtantur. Tales ego amicitias, tales amicos à me procul in malam rem faceſſere iubeo, ut qui fortunas ſuas nobis negant, & conſcientiam noſtram deprædantur. Si quis apud ſe rationes ineat, quot amicis ſuccurrerit, quot deſertos paſſus ſit; credo equidem ſi unus ſit qui fidem ipſius laudet, vicenos fore qui perfidiam ipſius accuſent. Non ſine cauſſa dixi, periculoſam rem eſſe vera virtute carentem amicum. Sunt enim quidam adeo impudentes, ut ſi vel caput coram nobis aperuerint, aut nobis aſſurrexerint, aut de via deceſſerint, aut domum nos deduxerint, ſtatim exiſtiment non domos tantum, ſed etiam arcas noſtras ipſis patere debere, adeoque nihil ipſis negandum eſſe. Huiusmodi vero hominum amicitiam quis non fugiat atque etiam deteſtetur?

O unice ſacram & benedictam Jeſu Chriſti amicitiam! quę ſola omni ſcrupulo & periculo caret. Eſt enim Servator noſter tam benignus, ut omnia ſua nobis largiatur; tam ſincerus, ut conſcientiam & animam noſtram non lædat, ſed ſanet. Quæ cũ Deo nobis intercedit amicitia ſecura eſt, ut quæ numquã nos deſtituat; certa eſt, ut quæ nunquã nos fallat; ſancta eſt, ut quæ nihil injuſtum patiatur, & animum noſtrum refrenet; utilis eſt, ut quæ divina nobis bona communicet; ad omnia denique eſt ſufficiens, ut quæ divinam nobis gloriam largiatur. Solus Deus boni,

Digitized by Google

manus aut pedes oſculari. Annon credis in Principum aulis quam plurimos reperiri, qui pedes & manus aliorum oſculari ſe dicunt, interim pedibus & manibus truncare eoſdem mallent. Si alter alteri dicat, Amicus tuus ſum: Opera mea tibi promta & parata ſemper eſt: Utere meis tamquam tuis: Faciam quæcumque grata tibi eſſe intellexero: Si quid à me fieri velis, tuo arbitratu mihi impera: & ſi qua alia ejusmodi ſunt quibus amicitiam & obſequium aliis offerimus; à bonis moribus nequaquam abhorret; at dicere, Oſculor manus & pedes veſtros, & elegantia caret, & ab omni ratione eſt alienum. Pedum enim oſcula Pontificis dignitati debentur; at ſuas ipſius manus oſculari ſacerdoti Miſſam celebranti convenit.

Nos, ſi Chriſti magis imitatores, quam profanæ adulationis affectatores eſſe cupiamus, non temere alia ſalutatione utemur quam D. N. Jeſus Chriſtus & ipſe uſus eſt, & ſuos uti docuit, nimirum, *Pax vobis*; Aut: *Pax ſit huic domui:* putidis illis aulicismis cum auctoribus ſuis Anticyras relegatis. Sed quinam illi ſunt, quæris? Equidem juxta tecum neſcio: ſi tamen conjecturæ locus eſt, exiſtimo quemadmodum ſaltans ſaltantem ſequitur, ſic levi alicui homini tale aliquid forte ſive per imprudentiam, ſive per jocum & irriſionem excidiſſe, quod ſervilibus ingeniis ita placuerit, ut ad ſeria ſolœciſmos iſtos transferre non dubitarint. Avilæ XXII. Novemb. MDXXXIII.

Ad

EPISCOPUM BARRIENSEM.

EPISTOLA.

Qua docetur, quam periculoſum ſit habere homines amicos, Chriſtum vero inimicum.

IN oratione illa invectiva, quam Æſchines contra Demoſthenem habuit, inter alia hæc verba habentur: Noſti, ô Demoſthenes, ut ſi qui videri vis, oportere te in iis, quæ aggrederis, eſſe magnanimum, in promiſſis veracem, in conſiliis prudentem, in cogitationibus ſincerum, in actionibus juſtum, in verbis cautum. Atqui horum nullum in te reperitur: quum ſæpius facias quæ non debes, & loquaris quæ non ſentis. Recte ſane Æſchines. Neque enim pro ſapiente habendus eſt, qui in factis tantum, ſed qui in verbis quoque prudens ſit & circumſpectus. Par ſane eſt, ut quis eorum quæ facit, ſed neſcio an magis quæ loquitur, diligentem habeat rationem; quum generoſus & verecundus animus facilius illatam ignoſcat injuriam, quam verbum aliquod contumelioſum. Injuſte facta emendari ſæpe poſſunt; at verba contumelioſa nec revocari nec corrigi poſſunt. Enſe caro, ſed convicio cor vulneratur. Quæ eo à me dicuntur, quod ſuſpicer exiſtimare te, quum nuper præſente Imperatore in concione quadam inter alia affirmarim, non minus periculoſum eſſe homines habere amicos, quam Deum inimicum, verba illa mihi forſan imprudenti & non bene præmeditato excidiſſe. Quod ſi ita eſt, tota erras via. Ego enim cathedra conſcenſa, tanta in iis quæ dico cautione ac cura utor, ut in peccatorum exomologeſi majori uti non poſſim. Et merito: quum locum illum ipſe Dei filius ſua perſona conſecrarit; & in eo Dei Verbum & divina myſteria, non hominum commenta, ſomnia & nugæ ſonare debeant. Qui enim in hunc locum inepta, profana, ridicula afferunt, non ſane pro divini Verbi præconibus, ſed pro circumforaneis & agyrtis habendi ſunt. Mihi quidem videtur, concionatori ſuggeſtum conſcenſuro non tam quid dicere, quam quid non dicere velit, præcogitandum: adeoque caute ſingula verba proferenda ac ſi unum tantum eo die eſſet explicandum.

Quod ergo tam celebri die in tam illuſtri hominum conſeſſu, & quidem audiente ſapientiſſimo noſtro Principe concionantem me & verbis meis ſcrupulum tibi injeciſſe, & pleroſque auditores offendiſſe dicis, magnam profecto mihi facis injuriam. Fateor ſæpe ac ſæpius me cogitatione & delectatione, omiſſione, conſenſu, viſu, verbo & opere peccaſſe: quidquam tamen de cathedra temere atque inconſulto dixiſſe, nego atque proteſtor. Quod namque in foro mendacium, id in templo ſacrilegium eſt. Nec tamen inficias iverim, me tum nimis alte forſaſſe in divina illa myſteria fuiſſe ingreſſum, ſic ut ſingula non uti res poſtulabat, ſatis explicare potuerim; inter quæ ſane & illa

Concionatoris munus.

Illa à te notata verba fuerunt, Boni enim concionatoris munus eſſe ſemper exiſtimavi, myſteria omnia quæ textus verbis continentur, ſi prolixe explicare non poſſit ſaltem velut intento digito indicare. Quod tum temporis ſpacio exclusus facere non potui, jam faciam, & ſententiam verborum meorum declarabo; ſperans quam ſcribenti mihi hæc laborioſa, tam legenti tibi grata & jucunda fore.

Dixi tum, nunc iterum dico, & Creatorem habere inimicum, & creaturam habere amicam, utrumque periculoſum eſſe Medicis & amicis in morborum ac neceſſitatum periculis opus habemus. At numquid conſultius fuerit pericula fugere, quam medicorum & amicorum operam advocare? Multum intereſt pro amico aliquem, an proximo habeam, Quem enim pro amico habeo, eum uti mundanum diligo, è quo amore ſive amicitia multæ ſæpe confuſiones & incommoda naſcuntur. Rogo, domine, ut verba mea diligenter attendas. Non illud dico, malum eſſe amicos habere; ſed, periculoſum ac laborioſum. Neque enim amicus vere dici poteſt, niſi cujus fides noſtris adverſis rebus aut periculis fuerit probata. Immo quanto majoris fuerit, tanto majori cum periculo quam fidus is nobis ſit, periculum faciemus. Quam multis, per Deum immortalem, vel generis nobilitas, vel amicorum & clientum multitudo, vel magnatum favor ſtimulos ad peccandum ſubjiciunt! qui ſi his carerent, intra modeſtiæ & verecundiæ limites facile ſe eſſent contenturi. At ſtultum eſt periculum provocare, ad cujus depulſionem amici opera tibi efflagitanda ſit. Quantum amicis fidendum ſit, ipſe Dominus & Salvator noſter exemplo ſuo nos docuit. Quum enim is duodecim à lege ad Evangelium vocaſſet, & ex piſcatoribus Apoſtolos feciſſet; poſtea ab uno negatus, ab altero proditus, & ab omnibus deſertus fuit. Numquam deſunt amici qui cibum noſtrum comedunt; at pauci, immo nulli ſunt, qui pericula noſtra depellant, & neceſſitatibus ſuccurrant. Inepti ac ridiculi homines, vix noſcentes antea inter ſe ubi ſemel menſa vel hilarior potus eos conjunxerit, non amicitiam tantum verum etiam neſcio quas fraternitates inter pocula contrahunt: at quamprimum vini illius, quod una potarunt, calor deferbuit, omnis illa amicitia & fraternitas ſimul exſpirat: neque vel obulum alter alteri ſit commodaturus: ſic & noti quidem ſeu familiares multi reperiantur ſed pauci amici. Pompeio illi magno optimus ante amicus, ut videbatur Ptolemæus caput auferri juſſit. Senecam ingratus diſcipulus Nero mori coegit. Ciceronem C. Julius Cæſar M. Antonio ad cædem objecit. Item Cæſar à fidiſſimis ut rebatur, amicis, Caſſio & Bruto multis vulneribus confoſſus periit. Ex quibus non inepte quis inferre poſſet, tutius ſæpe homines inter hoſtes quam apud amicos vivere.

Vis ſcire quæ hodie ab amicis exſpectanda ſint? Nimirum ut compellare volentibus ſe ſubtrahant, & auxilium implorantibus, fortunas, honorem aut vitam amici cauſſa periclitari ſe poſſe negent. Tum quæ alii poſtulent: Nihil quidem iſtorum, ſed longe majus, ut nimirum conſcientiam animæque ſalutem amici voluntati & commodis poſthabeam, ejus injurias ſeu veras ſeu putatitias vi & armis ulciſcendo, aut perjurio cauſſam ejus adjuvando. O quam multi paſſim in foro perjuria committunt: deinde non quidem perjurii turpitudinem, ſed in mercedis quæ ipſis repræſentatur, exiguitatem deplorant & deteſtantur. Tales ego amicitias, tales amicos à me procul in malam rem faceſſere jubeo, ut qui fortunas ſuas nobis negant, & conſcientiam noſtram deprædantur. Si quis apud ſe rationes ineat, quot amicis ſuccurrerit, quot deſertos paſſus ſit; credo equidem ſi unus ſit qui fidem ipſius laudet, vicenos fore qui perfidiam ipſius accuſent. Non ſine cauſſa dixi, periculoſam rem eſſe vera virtute carentem amicum. Sunt enim quidam adeo impudentes, ut ſi vel caput coram nobis aperuerint, aut nobis aſſurrexerint, aut de via deceſſerint, aut domum nos deduxerint, ſtatim exiſtiment non domos tantum, ſed etiam arcas noſtras ipſis patere debere, adeoque nihil ipſis negandum eſſe. Hujuſmodi vero hominum amicitiam quis non fugiat atque etiam deteſtetur?

O unice ſacram & benedictam Jeſu Chriſti amicitiam! quæ ſola omni ſcrupulo & periculo cares Eſt enim Servator noſter tam benignus, ut omnia ſua nobis largiatur; tam ſincerus, ut conſcientiam & animam noſtram non lædat, ſed ſanet. Quæ cũ Deo nobis intercedit amicitia ſecura eſt, ut quæ numquã nos deſtruat; certa eſt, ut quæ nunquã nos fallat; ſancta eſt, ut quæ nihil injuſtum patiatur, & animum noſtrum refrenet; utilis eſt, ut quæ divina nobis bona communicet; ad omnia denique eſt ſufficiens, ut quæ divinam nobis gloriam largiatur. Solus Deus bon.

fidi, juſti, ſancti & æterni amici nomen meretur. Neque enim in eligendis amicis opes ſequitur, aut paupertatem averſatur. Principum & magnatum amicitias pleríque captant, ſed pauci aſſequuntur. At Deus ſine ullo perſonarum reſpectu, ſeu dives ſit ſeu pauper, ſive dominus ſive ſervus, omnibus amicitiæ ſuæ fores aperit; non tam noſtro merito, quam ſuo amore inductus. Non ille hominum inſtar, manus noſtras reſpicit, ut videat quidnam ipſi dare velimus; nec oculos, ut attendat an in ipſum defixi ſint; nec pedes, ut videat quonam ituri ſimus, nec os, ut intelligat quid dicamus: ſed cor tantum, ut palam faciat, quantum nos ipſum amemus. Lazari morbis & ſcabie afflicti amicitiam Deus non reſpuit, nec Magdalenæ peccatricis, nec Zachæi publicani, nec Simonis leproſi, nec Dimæ latronis. In domo Dei non illud quæritur, unde veniat quis, & qui ſit; ſed qui eſſe cupiat, & quo tendat. Non enim locum ubi conſiſtimus Deus attendit, ſed ſcopum ad quem collineamus. Quoniam ergo tam parum quod poſſumus, tam parū quod habemus, tam parū eſt quod Deo præſtamus, nunquam ſane is nos in ſuorum amicorum numerum eſſet recepturus, niſi bona noſtra deſideria & conatus operum loco acceptaret. Quod longe ſecus in amore mundano ſe habet, qui nec deſideriis acquieſcit, nec præſtita obſequia agnoſcit, multo minus remuneratur. Quod ſi verum eſt, uti eſt, eum in finem à nobis eligi & coli amicos, ut tam conſilio quam ope nobis quotieſcumque neceſſe fuerit, ſuccurrant: Dei certe, non cujuſquam alterius amicitia omni ſtudio nobis ambienda fuerit; ut qui nullum umquam ſuorum amicorum deſertum paſſus eſt aut patietur.

Habes quæ tum in hanc ſententiam breviter dicta, hoc vero loco clarius aliquanto à me explicata ſunt. Quibus ſi non acquieſcas, Alvarum medicum cenſeo adeas, petasq; ut helleboro cerebrum tibi purget, quo & in retinendis iis quæ audis magis fida memoria, & in ſcripturis interpretandis meliori iudicio utare. Granatæ XI. Octob. MDXXII.

Ad ALPHONSUM SPINELUM, &c. *EPISTOLA.*

De Senectute, ejuſque honore & privilegiis.

QUamvis Solon, Lycurgus, Prometheus, Numa Pompilius & ceteri plerique diverſas in legibus ſuis ferendis quiſque ſequuti ſint rationes, in tribus tamen præcipue conveniunt, nimirum deos colendos, miſeros adiuvandos, & ſenes honorandos eſſe. Nec profecto hactenus ulla umquam toto terrarum orbe fuit tam barbara natio, ubi horum aliquid fuerit interdictum. Hæc enim juri naturali ita conſentanea ſunt, ut ſingulari lege ea ſancire aut jubere, nihil opus videatur. Æſchines in oratione quam ad Rhodienſes habuit, apud inſularum Balearium incolas ſeptem tantum leges fuiſſe teſtatur: ſcilicet, Deos colendos eſſe, inopes ſublevandos, ſenes honorandos, Regibus ſeu magiſtratui obediendum, tyrannis reſiſtendum, fures tollendos, & ab exterorū conſuetudine indigenis abſtinendū. Apud antiquiſſimos Romanorū neq; generi neque pecuniæ præſtantiori ē honorem quam ætati tribui ſolitum; A. Gellius auctor eſt. Addit, maiores natu à minoribus cultos ad Deūm prope & parentum vicem. Hunc vero morem è Lacedæmoniis Romanos accepiſſe, apud quos Lycurgi legibus maior rerum omnium honos maiori ætati habebatur. Philoſophus quidā à rege rogatus, qua arte ſubditi facillime ac rectiſſime regi poſſint? reſpondit: ſi procures ut ſenes rēpublicam, iuvenes & viri bellum, & mulieres domeſtica negocia gerāt. Si enim permiſeris ut feminæ viris munia ſua præripiant, ut iuvenes otioſi obambulent, ſenes in ultima hæreant linea: & tuæ ſecuritati & ſubditorum ſaluti parum conſuletur. Apud Romanos olim ii qui veterani dicebantur, quinque gaudebant privilegiis: quod ad inopiam redactis è communi ærario victus ſubminiſtrabatur, quod ſedentibus rem divinam facere, quod geſtare digitis annulos, quod obſeratis foribus cibum capere, & talaribus togis uti licebat. Qui mos à Numæ Pompilii temporibus ad ætatem uſque Q. Fabii Cincinnati

cinnati, niſi memoria me fallit, duravit. Poſt quam vero Romanis tertiùm ab Hannibale ingenti prælio victis, ſuboles civitati tam ad eius defenſionem quam bellum foris gerendum neceſſaria viſa eſt; & ad prolem populi frequentandam præmiis atque invitamentis uſus fuit: tumque lex lata eſt, ut in publicis officiis & honoribus plurium liberorum parentes ceteris præferrentur. Eadem lege cautum fuerat, ut ſi ſex liberorum parens tres, trium vero, duos in prælio amiſiſſet, potior eſſet, non is qui plures genuiſſet, ſed qui plures amiſiſſet. Tanti namq; eos faciebant, qui pro patria pugnando occubuiſſent, quanti nos eos qui pro Chriſtiana religione mortem oppetierunt.

Sed ut ad rem tãdem accedam, dico tres iſtos quos dixi honorum gradus in tua unius perſona concurrere. Nam & quinquageſimum iam ætatis annum exceſſiſti, & duodecim filios procreaſti, è quibus quatuor in bello contra barbaros interfecti ſunt. Verum plane mihi perſuaſum habeo, omnes illos honores tanti tibi non eſſe ut jacturam hanc redimere iis non malis. Eſt enim is rerum in hoc Mundo ſtatus, ut multum indies honori & exiſtimationi detrahatur, ad labores vero & ærumnas plurimum accedat. De me ut aliquid dicam, iam ego quadraginta quatuor annos in hoc mundo vixi, tantam vero humanorum caſuum varietatem expertus ſum, ut non tam producendæ quam emendandæ vitæ tenear deſiderio. Neque enim ad ſalutem refert quam diu, ſed quam bene vixerimus. Cum S. Anſelmo dico: *Vivere erubeſco & mori pertimeſco.* quaſi diceret: Ego ſi vitæ meæ annos & peccatorum meorum numerum iuſta appendam lance, etſi vitæ me tædet ac piget, mortem tamen fugio, ut qui ſciam & benefactis præmia, & peccatis pœnas à Deo paratas eſſe. Ergo tam multos vitæ meæ annos numerans, & tam male eos collocatos perpendens, facere non poſſum quin in ſuſpiria, fletum & lamenta erumpam. Hei mihi miſero! à quo non ſolum mali commiſſi, ſed etiam boni omiſſi ratio in extrema illa hora exigetur. Nihil boni equidem in me reperio quam forte unum hoc quod & peccata mea deteſtor, & aliorum probitati & virtutibus invideo. Atque utinam tam facile culpam emendare quam agnoſcere quam! Sic enim vix peccare exorſus; pœnitentiam ſtatim ſim acturus.

Quum ergo tu ſeptuageſimum vitæ annum exceſſeris, ego vero à quinquageſimo haud procul abſim, plusquam tempus eſt ut omnibus aliis profanis curis poſthabitis in bona Deoque placentia opera unice incumbamus. Nam quotquot ſumus mortales, maiorem vitæ noſtræ partem de vitæ emendatione cogitando conſumimus, dũ interim nihil opere promovẽtibus, in ipſo conatus noſtri initio mors obrepit. Revoca tibi in memoriam, quot bellis interfueris, quantas moleſtias & labores exhauſeris, quot morbos evaſeris, quot amicos perdideris: ſimulque illud cogita, longioris vitæ ſpacium Deum tibi indulſiſſe, non quod mortem ſæpe ſæpius meritus non ſis, ſed quod prioris vitæ pœnitentiam atque emendationem Deus à te exſpectet. Non equidem negaverim ad bonam hominis valetudinem multum conferre quum alia tum inprimis victus temperantiam breviorem tamen aut longiorem vitam non medico aut temperantiæ noſtræ, ſed Deo acceptam ferendam eſſe, aio, ut in cujus unius manu dies noſtri ſunt, quos ille pro ſuo liberrimo arbitratu vel abbreviare vel prolongare poteſt. Ego te, mi domine, rogo atque oro, ut in verbis cautus, in victu temperans, in dando benignus, in conſulendo prudens eſſe ſtudeas; quo pluris ob morum quam ætatis gravitatem ab omnibus fias. Tu enim ſi ætatis tuæ annos modo numerare ac jactare velis, non deerunt qui vitia tua numeraturi & ſecus à te facta ſuis coloribus depicturi ſunt.

Inconãtibus mors obrepit.

Nõ annis ſed moribus ſenẽ ſe iactet.

Memini me à te arthritide graviter laborante olim rogatum, ut ſenum Privilegia, ſive proprietates & conditiones deſcribere tibi vellem. Etſi autem non ignoro, hac de re alios melius quam me ſcribere poſſe, ut qui nondum inter ætate provectiores numerer (quum ſenectutis privilegiis Romani à quadrageſimo ſeptimo ætatis anno demum frui cœperint) ac proinde de rebus ignotis diſputare videri poſſim: faciam tamen quod petis, ſed hac conditione, ut ne mihi ſuccenſeas, multo minus iraſcaris. Propoſitum namque mihi eſt, paucas quaſdam; quæ in difficilibus & moroſis ſenibus reperiuntur, proprietates explicare: ſub quorum numero nequaquam illos comprehenſos volo, quorum ætas cum facili quadam morum gravitate iuncta eſt, quorum prudentia Reſpublicæ gubernantur, & conſiliis juvenum ſtudia & actiones diriguntur; ſed meipſum tamquam vagabundum erronem, te tamquam moroſum Alphonſum Riberã, tamquam

Digitized by Google

tamquam nugacem, Petrum Spinellum tamquam luſorem. Rodericum Oregonium tamquam amatorem, Sancium Naiarem tamquam delicatum, & Guterium Hermoſillam tamquam impatientem: hos, inquam, & qui ſimilibus vitiis laborant, non illos, ſuis hic coloribus depictos dabo, Cicero, Poſſidonius, Laertius & Sarisburienſis Polycraticus multa congeſſerunt, quibus probare conati ſunt, ſenectutem non modo non moleſtam, ſed & iucundam eſſe: ſed per Jovem lapidem iurare auſim, aut eloquentiam ſuam in hac re oſtentare illos voluiſſe, aut quid ſcripſerint ipſos neſciiſſe. Videmus namq; ſenectutem ejuſmodi morbum eſſe, è quo nemo niſi qui moriatur, convaleſcere poteſt.

Sequuntur ſenum Privilegia ſeu proprietates.

Senibus proprium eſt, oculos habere ſtillantes, & viſum obtuſum; & quamvis aernubibus careat, nubes tamen in oculis circumferre. Unde fit, ut quæ aſpiciunt, vel gemina ipſis; vel nota ignota, aut econtra videantur, ſic ut pro amico peregrinum ſæpe appellent.

Senibus proprium eſt, ut aures continuo eis tinniant, & tamen ipſi nihil audire ſe querantur, eoque clamandum potius cum ipſis quam loquendum ſit, Illud vero permoleſtum eſt, quod ſi quos videant ſermonem inter ſe conferentes, nec quid loquãtur audiant, ſtatim vel honorem ſuum traduci, vel in facultatum ſuarum detrimentum conſilia iniri putent.

Senum privilegium eſt, ut capilli etiam quando non pectuntur ipſis defluant, econtra in cervicibus petigo etiam non ſata, ſuccreſcat. Tum ut caput ad ſolem fricantibus, furfures & lẽdes ſinum impleant, & humeris inſtar nivis incumbant. Quominus vero caput lixivio abluant ejusdem debilitate prohibeantur.

Senum privilegium eſt, primoribus carere dentibus, eoque blæſa verba proferre. Et quia dentes molares vel obtuſos admodum vel putridos habent, à durioribus cibis & frigido potu facile abſtinent.

Senum privilegium eſt, ut laxis caligis, ſoccis & calceis feneſtratis ſine ulla ſuperbiæ nota, ſed non ſine arthritidis dolore utantur.

Senum eſt, hyberno tempore in hypocauſtis vel ad focum ſedere, æſtare in ſole apricari: unde aridũ guttur in taberna vinaria mero proluere. [*Senes bibuli.*]

Senum eſt, capite ſemper nutare, manibusque tremere, adeo ut vitrum mero plenum ſine effuſione vix ori admovere queant.

Senũ eſt, mane pro ientaculo hauſtũ vini malvatici aut vini abſynthiaci bibere: deinde hora decima præciſe prandere: hora ſecunda pomeridiana merendam & hora ſexta veſpertina cœnã ſumere ſicq; cubitũ ire: mane vero ante lucem ſurgere, & familiam clamore & ſtrepitu excitare.

Senum eſt, baculum aſſidue ſecum circumferre, non tantum ut eo innitantur, greſſumque adjuvent, ſed & ut eo titiones in foco ordinent ignemque foveant, vel etiam famuli dorſum metiantur.

Senum eſt privilegium, non petita à Conſule aut prætore venia vel ſudariolum cingulo appendere, naribus emungendis & collo mappam injicere, ori & manibus detergendis.

Senum privilegium eſt, lente admodum edere. & inter edendum crebro ructare: tum etiam hoſpites invitatos non diu exſpectare, ſed interim dum illi veniunt, cellam vinariam ingredi, & quod vinum optimum ſit, deguſtare.

Senum eſt, quum tempeſtatem modo, tum in primis Lunæ incrementa & decrementa diligenter obſervare. Quin etiam obſervare iſta negligentes podagra ſedulo commonefacit: adeo ut tempeſtatis prognoſtica ſenes in corpore ſecum circumferant.

Senum eſt, contra frigus & gelu tamquam capitalem hoſtem diligenter ſe munire. Hinc videas in ipſorum cubiculis feneſtras & rimas omnes obturatas, veſtes vero ipſorum pellibus ſubductas.

Senum eſt, ubi conſiderint, pedibus ſcamno impoſitis, in cubitum procumbere, & ſomno oppreſſos clarum ſtertere: nec tamen ullum eo nomine ſolvere vectigal. [*Senes ſomnolenti.*]

Senum eſt, ante lectum patinam in quam exſpuant, & matulam, pone lectum vero ſellam præſto habere: tum noctu famulum aut famulam in eodem cubiculo jacentes, ut pulvinum aut tegumentum delapſum porrigant, aut hoc vel illud faciant, inclamare.

Senum eſt, ſolitudinem fugere Hinc vel in foro obambulant, aut circa tabernas ex obviis res novas expiſcantur. Tum ſi quid forte audierint, non ipſi modo credunt, verum etiam aliis pro vero & indubitato, ac ſæpe non ſine mantiſſa vel additamento, obtrudunt. [*Curioſi.*]

Senum privilegium eſt, quod ſine ulla viola- [*Merob-bi.*]

tione

tione Canonis, *Si quis ſuadente diabolo*, panem decorticatum comedunt, & vinum ſine aqua bibunt.

Sed nec illud aſpernandum ſenum eſt privilegium, quod buccellas quidem quas ori inſerunt, non autem vitra quæ exhauriunt, numerare licet.

Avari.

Senum, ſed beatiorum, privilegium eſt, quod ſemel fere ſingulis menſibus theſaurum ſuum obſeratis cubiculi foribus, explicant, pecuniam numerant, & per ſortes ſeu ſpecies diſtinguunt; deinde iterum reconditis, tamquam dracones ita invigilant & incumbunt, ut fere dentem citius è maxilla, quam numum ex area moveri ſibi patiantur.

Iidem non avari modo, ſed & ſordidi, nemini quidquam dant: veſtes optimas in armario aſſervant, centunculis interim veſtiti; vina etiam optima vendunt, deterius ipſi bibunt. Quid multis? vivere inopes volunt ut divites moriantur.

Senibus hoc proprium eſt, cum Medicis, pharmacopolis, dulciariis & id genus hominibus frequenter converſari. Et ſi non deſunt, qui tabernas, in quibus melius vinum venditur, etiam ſine hedera norunt ac viſitant.

Senum privilegium eſt, quod in Senatu, in templo, & in conviviis ſupremum occupant locum, primi fere ſententias dicunt, primi manus ad patinas porrigunt: quibus in rebus ea plerumque prolixitate in ſermone, aut civilitate in moribus utuntur, ut aliis nauſeam moveant, aliis deridendos ſe propinent.

Senum privilegium eſt, vel vitium potius, quod loquentes ultro interpellant, etiamſi qua de re ſermo ſit neſciant; & non rogati, ſententiam dicant.

Eorum privilegium eſt, quod etiam non vocati quasvis ædes ingredi & non invitati menſæ aſſidere ſolent. Mihi quidem ea de cauſſa aliquando ſenem amicum reprehendenti reſpondit ille: Hoc ſcito, Guevara, canis honoratis nullas fores eſſe obſeratas.

Senibus proprium eſt, queri, iraſci, ſtomachari, vel triſtes eſſe, melancholicos, ſuſpicioſos, moroſos, uno verbo dicam moleſtos. Cujus rei cauſſa eſt, quod ut in ſenibus ſanguis eſt frigidior, ita cholera ſeu bilis ferventior: unde fit, ut ad iram & querelas magis propendeant quàm ad riſum.

Senibus uſitatum eſt, longioribus hybernis noctibus aut diebus feriatis narrare aſſidentibus quas luſtraverint regiones, quas pugnas pugnaverint, quanta evaſerint pericula, quas & quam pulcras amicas habuerint: interim parum memores quantum ætas ipſorũ proceſſerit, quamque inutiliter ſit transacta. Qua de re, ſi quis mentionem velit injicere, ſtatim illi ſermonem aliò convertunt.

Senibus mos eſt, præteritam laudare ætatem, & præſentem acculare, ajentes, apud homines olim majorem fidem, ſinceritatem, liberalitatem, fuiſſe; jam vero omnem obedientiam erga ſuperiores, fidem erga amicos, miſericordiam erga afflictos, charitatem & juſtitiam erga omnes, terris videri exceſſiſſe. Hujus vero rei cauſſa eſt, quod & per imperitiam, quæ pueris ipſis facta ſunt, non animadverterint, juvenes vero quæ alii, ſtrenue & ipſi peccarunt: eoque non ſæculi malitiam, ſed ætatis ſuæ imbecillitatem deteſtantur, per quam ipſis, quæ alii faciunt, facere non licet.

Solenne ſenibus eſt, ut antequam cubitum eant, dorſum & crura ſibi fricari jubeant: ac ſæpe, quando jam veſtibus ſpoliati, lectum conſcenſuri ſunt, ancillam inclament: Huc ſodes Maria, propere è cella bonum vini hauſtum mihi prome, ut tanto melius longiſſimæ hujus noctis tædium fallam.

Senum privilegium eſt, quod ſine ullo pudore, dum per ſcalas deſcendunt, famulantium humeris innituntur; aſcendentes vero eorundem manibus alæ ſuppoſitis, adjuvantur: ac ſi nimis altæ ſcalæ ſint, ſemel aut bis veluti interſtrigent, & ad recipiendum ſpiritum quieſcant.

Triſtis eſt recordatio malè actæ ætatis.

Senibus proprium eſt, ut ſi vel ſoli ſint vel in lecto vigilantes cubent, præteritos ætatis ſuæ annos in memoriam revocent, quomodo ſcilicet, & quibus ſtudiis illos tranſegerint, quos habuerint amicos, rebus humanis jam defunctos; quam agiles & robuſti olim ipſi fuerint, quam debiles vero & effœti jam ſint: quarum rerum recordatio non triſtitiam modo, ſed & timorẽ ipſis incutit, ut qui videant ſe à morte quamproxime abeſſe, nec ullo modo eam poſſe ſubterfugere.

Senes inconſtantes.

Licet ſeni in tempore cum Curionibus ſeu parochis de ſepultura, & cum Confeſſario de teſtamento agere. In quo quidem tam ſunt inſtabiles, ut nullam ultimam voluntatem habeant, ſed quamdiu vivunt, in ſingulos fere dies, immo horas eam mutent: tum etiam locũ nullũ

ubi ſepeliri velint, facile reperiant, ut qui etiam cum omnibus ſenectutis incommodis vivere, quàm corporis exſuvias in templum aut cœmiterium deponere malint.

Senum proprium eſt, ut quacunque incedunt, latere nulli poſſint: quippe quos ſi non videas, ex tuſſi tamen, ſcreatu, aut baculi quo greſſum adjuvant ſtrepitu, vel denique querelis quas demurmurant, facile audias.

Senum privilegium eſt, cibo lente atque ocioſe veſci: ac ſi forte buccella gulæ adhæreſcat, largiorem vini hauſtum affundere, ut tanto facilius illa in ſtomachum deſcendat.

Senibus mos eſt, claves arcæ in qua pecuniam aſſervant, uti & cellæ vinariæ & penoris, cingulo appenſas ſecum circumferre; & ſi quid inde promendum ſit, ſtatim jurgia ciere, nec ſe tantis ſumtibus pares eſſe poſſe clamare.

Solent etiam ſenes quot annos nati ſunt rogantibus iraſci; quum priſtinos ipſorum amores repetentibus applaudere ſoleant: ſic ut canos ſuos honorari velint, annos vero numerari nolint.

Senum denique proprium eſt, vel male omnibus obviis conqueri, jam uxorem cum vicinis comeſſari ac raro domi eſſe, jam famulos & ancillas penum omnem conſumere, nec quidquam recte facere, jam vehementiſſimis ſe podagræ doloribus vexatos, ſomnum tota nocte oculis ſuis non vidiſſe: omnes cibos denique tamquam male coctos aut inſipidos calumniari, quum tamen ante lucem vix experrecti jentaculum non ſine jurgio poſcant.

Hæc pauca de ſenum privilegiis & moribus ex infinito acervo delibare volui. Tot enim ſunt ſenectutis incommoda, ut nemo divinatione ea aſſequi, nedum numero comprehendere poſſit, &c. Valentiæ XII. Februarij M D XXIV.

Ad LUDOVICUM BRAVUM. *EPISTOLA*

In qua quam turpis ſenilis ſit amor oſtenditur.

Excors & ſenex Domine.

EGo enim ſi alio titulo te compellem, conſcientiæ meæ injuriam facturus mihi videor. Ætatem tuam video? Senex es. Vitam & mores? Nobili & honeſto viro, qualis tu videri vis, minime digni ſunt. Epiſtolæ ſane quam ad me miſiſti, argumentum è tuo cerebro depromptum, & ſcriptura è tua manu profectam eſſe, etiam ſine nomine tuo facile mihi oſtendit: ſimulque illud, quam parvi honorem tuum facias, adeo ut ad ſummum imprudentię culmen perveniſſe videaris. Duo, opinor, menſes ad quatuor & ſexaginta annos tibi deſunt. Ecquid tu melius ſapere tot annis non didiciſti? Sed ea perverſorum & obſtinatorum hominũ eſt conditio, ut vivere prius deſinant quã emendare ſe incipiant.

Qui de quibus rebus conſulẽdi.

Quod vero acrius ad litteras tuas reſpondeo, non eo fit quod à te, ſed quod tales. Quamvis enim de re leviſſima ſcriptæ ſint, meæ tamen perſonæ & ſtatui non niſi graviter ad eas reſpondere convenit. Quid tu, malum, ad me, & Chriſtianum, & Theologum, & concionatorem, & ſacerdotem, & Franciſcanum Monachum de amoribus ſcribis? Quid ad eam rem conſilium à me petis? Non quidem nego olim me quoque ex eorum hominum, qui nihil niſi mundana ſapiunt, fuiſſe numero. Fateor me quoque amoris cauſſa in plateis totas noctes oberraſſe, feneſtras, fores obſervaſſe, litteras amoris interpretes & dona etiam ad amicas miſiſculaſſe, & quæ ſunt ejuſmodi omnia feciſſe: hæcque ad confuſionem mei fateri, quam ad condemnationẽ negare malo. Sed Deo meo gratias ago, & agam dũ vivam, quod me in fervore juventutis meæ ex Mundo & maximis ejus periculis extraxit, ad id vitæ genus traduxit, in quo tutius ipſi ſervire poſſim. Quod ſi tamẽ cum vitæ genere non mores quoq; mutaſsem, fateor ſane multo me tam DEO quam hominibus deteſtabiliorem quam quemvis de Mundo futurum. In Mundo enim multi ſæpe improbi ſunt, quia probi eſſe non poſſunt, at in Monaſteriis nemo improbus eſt, niſi qui probus eſſe non vult. Quod muris & ſeptis includimur, quod in anguſtis verſamur cellulis, quod victu & veſtitu aſpero utimur, non eo fit quod in his rebus perfectionem noſtram conſiſtere exiſtimemus, ſed ut peccandi vitemus fomites & occaſiones. Fateor inter mundanos etiam multos pios reperiri: iidem tamen, credo, non negabunt, eos qui in clauſtris vivunt, à peccatorum aſſultu eſſe tutiores. Et profecto, ſi verum fateri volumus, inter mille vix unum reperias qui à peccato abſtineat, ſi peccati habeat occaſionem.

Hæc quidem eo à me dicuntur, ut intelligas, nõ mihi, ſed tui ſimilibus, nempe Mundo immerſis homi-

hominibus morbum tuum vel inſaniam potius fuiſſe aperiendā. Mei enim officii potius eſt, peccata te confitentem audire, quam amandi præceptis inſtruere. Quid enim a te fieri poſſit ineptius? Primo ſignificas mihi te, juvenem ſcilicet ſexaginta quatuor annos natū, gravi amore eſſe percuſſum. Deinde exemplum petis à me epiſtolæ, qua amicæ amorem indices, ac viciſſim ipſius amorem exambias. Quid hoc aliud eſt quam petere, ut tibi gratificer, & interea *Dei* obliviſcar? Etſi autem tua illa amica, quæ vel qualis ſit, neſcio, facile tamen fero, immo rogo, ut hanc meā epiſtolam legendam ei exhibeas: quæ ſi recte lecta atq; intellecta fuerit, & ego impudentiā tuā egregie ulciſcar, & tu ſtultitiæ tuæ admoneberis, & illa quantopere à te decepta ſit animadvertet.

Ac primum in tua ætate iſta, falſum perhibes teſtimonium, immo perjurium committis. Ais enim immenſis te amoris cauſſa doloribus affligi, atque adeo perire: quum capulares iſtiusmodi, qualis tu es, ſenes non amoris, ſed ſenectutis doloribus conficiantur & pereant; neq; amātes ſed amentes; non proci, ſed porci dicēdi ſint, nec tā quò amorē, ſed quò oſſa ſua transferre velint, cogitare debeant. In iſta ętate fieri poteſt ut ames non vero, ut ameris. Si qua enim forte blandiori te vultu intueatur, non tamen illa, mihi crede, perſonam tuam, ſed marſupium intuetur. Iſtius ætatis hominem nulla mulier amare ſimulat, niſi ut ludibrio habeat. Neq; enim exiſtimare debes juvenculas ſenibus gratis nubere. Quæ juveni nubit, facit id, ut cupiditates ſuas expleat; quæ ſeni, ut erumenam impleat. Quid tu iſta ætate, an carmen ad fores occentabis, an fidib. canens per plateas oberrabis, an ad ædium eniteris culmina, & per feneſtras te immittes? Mundanæ enim & vanæ mulieres non ſecreto tantum, verū etiam in publico ſerviri ſibi volunt. Jam ad veſtitum quod attinet, quomodo ætati tuæ convenit juvenilis habitus? Caligæ adſtrictæ, calcei anguſti, pennatus pileus, veſtes denique ſegmentatæ, fimbriatæ, laciniosæ, polymitæ, & quæ inprimis amicæ tuæ præferant colorem. Nam ab amatoribus ejusmodi mulieres exigunt non tantum ut prudentes ſint in ſcribendo, & ſuaves in loquendo; ſed etiam ut elegantes ſint & nitidi in veſtitu.

Quomodo vero in moroſa tua iſta ætate ferre amicæ importunitatem poteris, quotidie vel epiſtolam ad te ſcribentis, vel aliquid poſcentis? Cui ſi vel ſtatim non reſponderis, vel quodcunq; etiam denegaris, ilicet de amore tuo actum erit. Sed & quomodo tu in iſta tua ætate mœrorum fingere, aut falſa ſuſpiria ducere poteris? quum hæc ut ab omni gravitate aliena ſunt, ita maxime in ejusmodi amoribus requirantur; ſicut leves iſtiusmodi mulieres purum ſe gratas amatoribus ſuis exiſtiment, niſi triſtitiam ſuam ex ipſarum abſentia conceptam & literis teſtentur, & fores ipſarum frequentibus ſuſpiriis pulſent. An tu vero quotidie in forum deſcendes, ut exquiſitum aliquem cibum; aut phrygionum & aurifabrorum tabernas quotidie intrabis, ut cimelium aliquod compares, quæ amicæ tuæ dono mittas? Sunt namque adeo delicatæ & avaræ id genus meretrices, ut niſi quotidie dapſilem aliquem cibum, aut ſingulis ſeptimanis ſcutatos aliquot, vel ſingulis menſibus novam ab amante veſtem accipiant, amanti ſtatim valedicant. Jam ſi amicam tuam non eorum tantum quæ facis quotidie, ſed etiam quæ cogitas conſciam feceris, illa procul dubio & dorſum in lecto tibi obvertet, & menſæ cernua atque obſtipa aſſidens, vix limis oculis intueri te dignabitur. Sed nec ullum aliū quæſtorem aut domeſticæ rei procuratorē conſtituere tibi quam tuam ipſam amicam licebit. Nam mulieres ejusmodi iis ſunt moribus, ut omnia quæ domi ſunt, in ſua velint eſſe poteſtate, quibus ſi non des quidquid petunt, ſurripient quidquid poſſunt. Nec vero tuo tibi arbitratu pecuniam & facultates diſpenſare licet. Quidquid enim amica tua in alios erogatum ſenſerit, ſibi periiſſe exiſtimabit. Ne tu vero exiſtima, te ſi iſthoc ætatis amori operam des, ullum arduum vel ſerium ſaltem negocium moliri, nedum perficere poſſe. Nam ſi amica animadverterit te alias quoque res curare; ſtatim negligi ſe à te & contemni quiritabitur: quippe quæ perſuaſum habeat, ceteris omnibus rebus ſui unius curam eſſe præferendam. Quid, quod domus tua poſthac non amplius, ut ante, amicis & notis patebit? Nam ſi amicos admiſeris, illa continuo ut ſe miſſam facias, clamabit. Neque dicendi quod ſenſeris, nec cum ulla alia muliere vel leviter jocandi poteſtas tibi poſthac erit. Illa enim ſi vel formam alicujus laudaveris, aut blandiuſculis quamvis aliam oculis adſpexeris, aut verbis compellaveris, ſuas ſtatim tibi fores occludet, & ad alias quę melius tibi placeant, vel etiam in maximam malam rem faceſſere te jubebit. Atque ut vel maxime amor hic tibi procedat, fieri tamen non poteſt, quin is vel tibi ludibrio, vel illi fraudi ſit. Si enim illa in iis quemcumque volueris, morem tibi geſſerit,

Mulieres ſolæ rerum potiri volunt.

Mulieres zelotypæ

R 2 utrique

Digitized by Google

utrique ſane opera & oleum peribit; ſin te, uti ſolet iſti ætati fieri, tractaverit, tu ſero te deceptum, & non te ſed aurum amatum, non ſine damno deprehendes. An vero tu iſthac ætate vel in multam noctem vigilare, vel mane ſolis ortum longe poſſis antevertere? Quorum utrumque tamen ſi amoribus tuis potiri velis, neceſſario faciendum, ut ſcilicet amicæ limen ingreſſurus, tam veſpertinis quam matutinis tenebris vicinos fallas.

Plura his non addo: interim quomodo iſta acceptutus ſis, exſpectans. Quod ſi purgans hoc medicamentum vim aliquam habuiſſe intellexero, mox leniens aliquod addere non negligam. Toleti VII. Octobris MDXXIX.

Ad
EUNDEM
EPISTOLA.

In qua & probi ſenis conditiones aliquot enumerantur; & amoris explicatur pertinacia.

NObiliſſime & cordate Eques: ex literis tuis ſumma cum voluptate intellexi, pharmacum quod morbo tuo nuper adhibui, tam fuiſſe efficax, quam optaram potius quam ſpararam. Ut verum fatear, inei vilitatis meæ qua te Excordem ſuperioribus meis appellaveram, nunc me quodammodo pœnitet; eoque par eſt, ut jam longe honorificentiorem atque iſthoc tuo animo & facto dignum titulum tibi tribuam: ut qui admonitionem meam atque adeo obiurgationem non æquo tantum acceperis animo, ſed & mores vitamque emendatis.

Moribus debet reſpondere titulus.

Ais, ſuperioris meæ epiſtolæ verba cor tibi penetraſſe, adeoque pæne effodiſſe, mores tuos accuratius executienti. Id quo jamdiu nihil gratius mihi auditu accidere potuit. Neque enim ego iſta ſcripſeram ut oculis tantum legeres, verum etiam ut animo infigeres; atque inde teipſum tibi quaſi repræſentates. Id unice mihi credas velim, nequaquam illud me ſpectaſſe, ut moleſtia aut ægritudine te afficerem, ſed ut ad morum emendationem revocarem. Quid tu? Ais, quamprimum meam legeris epiſtolam, te lena pueroque dimiſſo, amori valedixiſſe. Factū tuum laudo; at multo magis laudavero ſi in eo quod cepiſti inſtituto perſeveres. Vitia namque ubi animum ſemel occuparunt, tam altas radices agere ſolent, ut vix exſtirpari poſſint: hinc fit, ut quæ jam abſceſſiſſe exiſtimamus, in intimis adhuc lateant penetralibus. Tu quod feciſti, bene vertat tibi perpetuumque ſit, ex animo voveo; ego vero quæ ſcripſi, ignoſci mihi peto: quamvis jam ſane quum emendatum te videam, iram tuam nihil morer. Citius enim abit odium, quam evellitur vitium.

Diſcuntur facile, vix dediſcuntur vitia.

Eadem illa tua epiſtola à me petis, quum ſuperiori mea inter alia levium quoque & amori operam dantium ſenum conditiones deſcripſerim, ut jam quibus moribus laudabiles ſenes ornati eſſe, quæ facere, quæ cavere debeant, paucis tibi indicem. In quo Sane facere non poſſum, quin tibi morem geram, quamvis fortaſſe ſtilus meus non tantum in conſulendo habiturus ſit prudentiæ, quantū in reprehendēdo habuit acrimoniæ: quod facilius ſit quævis in alium dicere, quàm bonum conſilium dare. Ego tamen ut pititioni tuæ aliquo modo ſatisfaciam, conſulam tibi ut potero, ea tamen conditione, ut quicumque hæc legerit vel audierit, non oblectandis iſta auribus, ſed emendandis moribus ſcripta eſſe putet.

Reprehēſio alterius facilis eſt.

Qui tuæ ætatis ſunt ſenes, & verbis tam cauti & factis tam probi eſſe debent, ut ne minimum quid vel faciant vel loquantur, quod juſte reprehendi poſſit. Futilis enim & diſſolutis moribus ſenex uno vel facto vel verbo magnum tori Reipublicæ damnum inferre poteſt.

Senum eſt, non exemplo tantum aliis prælucere, verum etiam ſalutaria petentibus dare conſilia: ut ſic juvenum temeritas ſenum prudentia compeſcatur & regatur.

Error juvenū eſt, prudētia Senum.

Senum eſt, ſedatis uti moribus, ut ſicut in juventute olim turbas & rixas ciebant, ſic jam paci ſtudeant.

Senum eſt, erudire ignorantes, & defendere imbecilles: quos ſi re nō poſſunt, conſilio ſaltim juvare debent. Afflictus namque homo ſæpe magis eo quod audit quam quod accipit ſublevatur.

Senum eſt, moleſta quævis negocia à ſe amoliri, ac bonam temporis partem viſitandis locis ſacris & hoſpitalibus conſumere. Quis enim neget æquum eſſe, ut qui Mundi vanitates olim ſectatus ſit, iam tandem ſacra loca frequentare & animæ curam gerere incipiat?

Senum

Senum eſt, omnem domi moleſtiam deponere; in templo vero peccata ſua deflere: ſiquidem majorem de ſalute ſua fiduciam habere non poteſt, quam qui facit vivus quod debet; & moriens quod poteſt.

Senum eſt, in dictis modeſtiam adhibere, in narrationibus prolixitatem vitare. Inprimis vero ab omnibus fabulis & nugis, nedum illiberali & ſcurrili ſermone abſtinere. Quod enim in juvene levitati, idem in ſene extremæ vel dementiæ vel malitiæ adſcribi ſolet.

Senum eſt, rixas liteſque omnes fugere, immo rem aliquando negligere, quam forenſibus ſe litibus implicare malle. Adoleſcentes enim ut labores facile ferunt, ita odia facile contemnũt: quibus ſuſtinendis ſenes pares eſſe nequeunt.

Fide, ſed vide. Senum eſt, cum bonis & probis converſari, in quorum ſinum omnia quæ volunt tuto poſſint deponere. Fido namque amico nihil in hac vita jucundius eſt & præſtabilius.

Senum eſt, ejuſmodi ſibi deligere amicos, qui animo ſinceri ſint, ſermone jucundi, in petendo verecundi. Amicitia enim & importunitas vix ulla copula junguntur, &, quod dicitur, ex eadẽ patina non diu capiunt cibum.

Senum eſt, pueris nuces relinquere, & rei familiaris curam habere, quam qui neglexerit, næ ejus ſæpe frigebit focus.

Senum eſt, puro & nitido uti veſtitu; non tamen laſcivo. Affectata enim in veſtitu elegantia, in juvene curioſitas, in ſene levitas cenſetur.

Odia diſſimulanda, Senum eſt, nec odia cum æmulis, nec jurgia cum vicinis ſerere. Neque enim generoſo animo gravius aut moleſtius quidquam accidere poteſt, quam ſi contumelioſe aliquid in ſe dictum ſentiat, ulciſci tamen non queat.

Senum eſt, erga miſeros & afflictos ſumma uti pietate & miſericordia, quos juvenes plerũque ob rerum imperitiam aſpernantur. At ſenes qui magnam humanorum caſuum varietatem ſunt experti, atque ipſi etiam acerba interdum deguſtarunt, hoc perſuaſum habere debent, quantum ipſi pauperibus, tantum Deum ipſis miſericordiæ impertiturum.

Senum eſt, ejuſmodi libros circumferre, quorum lectio & ad animæ promovẽdam ſalutem, & temporis fallendum tædium, faciat. Quum enim nullas ad laborandum, immo vix ad ambulandum ſufficientes vires habeant fieri non poteſt, quin aſſiduis cogitationibus diſtrahantur; eoq; ſatius eſt, ut aliorum factis legendis, quam ſuis ipſorum non ſine moleſtia ruminandis animum habeant occupatum.

Senum eſt, à ſocietatibus publicis conſiliis & Reipublicæ adminiſtratione, quantũ fieri poteſt, abſtinere. Quũ n. ibi vel de privatis vel de publicis utilitatibus, & quidẽ ab iis quibus animus & genua, quod dicitur, adhuc virent, conſilia ſuſcipiantur, fit plerumque, ut ſenum aliorumque, qui paullo circumſpectiores ſunt, cunctatio contemnatur.

Quod ſi tamen in conſilium adhibeantur, diligenter cavebunt, ne temerarii, pertinaces, aut loquaces videantur. Opinione enim juvenilis ætas plerumque ducitur; at ſenes rationem ducem ſequi debent.

Senum eſt ſobrietati, pudori & caſtitati in primis ſtudere. Ætati enim illi virtutes magis quibus vita, quam cani quibus caput ſplendet, laudem conciliant & auctoritatem.

Senum eſt, ſingulis diebus ſacro Miſſæ officio, & precibus veſpertinis intereſſe. Quod ſi quis onus hoc nimis grave exiſtimet, cum eo ita agam, ut toties iam ſenex ſacrum frequentet, quoties olim juvenis amicæ limen frequentavit.

Jam ad corpus quod attinet, animæ quidem in primis, & iſtius cura habenda eſt: quum ſenectus, Galeno teſte, morbus ſit numquam decreſcens, & ſanitas nunquam perfecta.

Dabunt ergo operam, ut in ædibus habitent, quæ aere gaudeant libero, & Soli ſint expoſitæ, & in quibus omnia non ad ſalubritatem modo, verum etiam oculorum atque animi oblectationem conducant. Meo quidem judicio à ſene nulli ſumtus melius collocantur, quam qui in commoda & ſalubri domo impenduntur.

Sed & diligentem cubiculi habebunt rationem, in primis ne vento illud ſit pervium, nec humido loco poſitum. Seni enim vel tenuis aura per feneſtram aut rimam intrans, plus nocet quam multæ olim noctes juveni ſub dio vigilatæ.

Senum eſt, pane bono & optime cocto in cibum, & vino ſincero & ſapidiſſimo in potum uti. Quum enim ſenum corpus morbis plerumq; & animus ægritudine confectus ſit; bono cibo corporis vires quodammodo reficiuntur, & bono vino curæ & triſtitia animo expelluntur. Vulgatum illud, Vinum lac eſſe ſenum.

Tantum cibi & potionis ſenes adhibere debent,

bent, Catone apud Ciceronem ſuadente, ut reficiantur vires, non opprimantur. tum ciborum in primis habendus eſt delectus. Etſi enim pecuniam ſenex habeat, qua quosvis cibos ſibi emat, calorem tamen non habet, quo eos concoquat & digerat. Et velut lychnus nimio affuſo oleo extinguitur, ſic corporis & animi vires nimio vino.

Senum eſt, procul à fluminibus & rivis degere, nec in loco quocunque humido diu commorari, aut in locis vento expoſitis dormire. Nam quum non minus teneri fere ſint quam pueri, aer facile corporis poros penetrat, & humor oſſa.

Quum ſemper alias, tum in cœna temperantes & ſobrii ſenes eſſe debent. Si namque frigidum & debilem ſtomachum multo cibo aut potu obruerint, multum ſane ructabunt, ſed parum dormient.

A veſtibus ipſorum ſordes omnes abeſſe debent. Induſium candidum, toga pura, lectus mollis, & cubiculum totum mundum & purgatum, & contra aeris etiam injurias aulæis munitum atque ornatum. Qui namque diu cupit vivere, ſordes omnes à corpore abſtergere, & curas ex animo ejicere debet.

Nec tamen domi deſidebunt ſemper, ſed, præſertim qui obeſiori ſunt corpore, in campum aliquando exſpaciabuntur, & convenienti aliquo exercitio corpus exercebunt; ne ſpiritus arvina præfocatus eos deſtituat.

Sedulo etiam cavebunt, ne familiæ vel diarium maligne exhibendo vel ſalaria tarde ſolvendo, obtrectandi, aut maligne ſerviendi præbeant occaſionem: tum ne ad vivum omnia reſecent; ſed potius conniveant aliquando, & commodum caſtigandi tempus exſpectent. Qui enim famulum non ut debet corripit, ad ſerviendum tardiorem, ad furandum vero promptiorē & aſtutiorem eum facit.

Senum denique eſt, eorum præſertim qui pedem alterum, quod dicitur, iam in cymba Charontis habent, diligenter ad mortem ſeſe præparare, ne improviſo ab ea opprimantur, ſed anima iam inter extrema labra natante, omnibus tentationum nebulis divinæ conſolationis luce diſcuſſis, fiducia pleni ex hoc Mundo emigrent, & in extremo illo judicio imperterriti conſiſtāt, & cum omnibus fidelibus æternæ vitæ gaudia ingrediantur.

Sequuntur contra illicitos amores remedia aliquot.

SUb finem, epiſtolæ ais, licet amorē abieceris, nondum tamen te omnem dolorem abieciſſe; nec prohibere poſſe, quin is identidem recurrat, & oſtium cordis tui pulſet: eoque conſilium à me petis, quo penitus eum animo queas evellere atque exturbare. Equidem amoris tam facile te obliviſci non poſſe, nequaquam miror, quum amantes cæci ſint, & nec ipſi quid velint quidve cupiant ſatis ſciant: ut quorum animus aſſiduis curis & cogitationibus diſtractus, vix unquam apud ſe eſt. De remediis Amoris multa paſſim apud ſcriptores, Plutarchum, Hermogenem, Horatium, & in primis apud Ovidium, qui de hac re ex profeſſo ſcripſit, extant. Verum quidquid illi ſcripſerint, aut alij ſcribant, ego unum hoc remedium contra amorem præſtantiſſimum eſſe aio, ut nunquam incipias amare. Tam mala beſtia amor eſt, ut vel tenui filo capi & ligari ſe patiatur, at nullis armis poſtea abigi poſſit. Hic illud verum eſt: *Aegrius ejicitur, quam non admittitur hoſpes.* Canem cauda, lupum auribus tenere laborioſum; dimittere, periculoſū eſt. Sic impudicam mulierem facile in domum tuam introduxeris; ſed non tam facile eieceris. Hamus eſt amor, qui capit quando capitur. Unusquisque ergo ſibi attendat quibuſcum converſetur, quas domos frequentet. Talos quidem in manu & poteſtate ſua habet luſor, ſed actus admodum eſt incertus.

Multum quoque juvabit tot tantorumque qui in amore ſunt, dolorum recordatio. Salubriter D. Auguſtinus monet, inquiens: *Quoties fœminam cernis, exiſtimes te inferni januā ingredi Satanæque ſagitta penetrari. Fœmina ſiquidem fuit ab initio peccati aucupatrix, eritque ſemper malorum inexhauſtus fomes.* Audi quid poſt homines natos ſapientiſſimus rex Salomon de ejusmodi amoribus loquatur. *Ne intenderis*, inquit, *fallaciæ mulieris. Favus enim diſtillans labia meretricis & nitidius oleo guttur eius. Noviſſima autem illius amara quaſi abſynthium, & lingua eius acuta quaſi gladius anceps. Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus ejus penetrant.* Ecquid vero turpis iſte amor affert quam corpori imbecillitatem, labem famæ & honori, facultatibus detrimentum, vitæ exitium, ſcandalum proximo, & æternum tandem animæ interitum? Pythagoras rogatus à quodam, quando mulieris utendum ſit conſuetudine, reſpondit: *Quum te ipſo*

ipſo voles fieri infirmior. Nec vero corpus tantum enervat libido, verum etiam ita faſcinat atq; irretit, ut nullis modis aut artibus expedire homo ſe poſſit. O quoties putas, monſtrorum ille domitor Hercules Omphales amoribus extricare ſe voluit nec potuit! eo quoque adactus, ut inter mulieres muliebria officia faceret, & imperioſæ dominæ ſandalio caput demulcendum præberet. Quid M. Antonius? Annon Cleopatræ amori non honorem modo & imperium, ſed vitam quoque poſthabuit? Poſſem hoc loco infinita producere exempla eorum, quos quaſi invitos ac reluctantes Amor perdidit. de quo veriſſime illud dici poteſt:

——— facilis deſcenſus Averni.

At vitare fuga, ſuperasque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt.

Ad ipſum amorem quod attinet, ſuadeo, ut nemo non modo alteri, ſed ne ſibi quidem ipſi fidat Utrumq; n. & amare & amari, naturale eſt homini, ut quos ſemel amor copularit, ij nodo inſolubili conjũcti, ac veluti cõglutinati videantur. Optimum vero remedium fuerit, ocium fugere, & aſſiduæ tam humanarum quam divinarum rerum contemplationi vacare. *Ocioſa enim mens per illicitas ſæpius cogitationes evagatur, à quibus abeſt ſublimium rerum meditatio. Et nunquam alta cogitabit qui fœminarum acceſſibus geſtiat*. Graviter Poeta non graviſſimus Martialis:

Quæritur Aegiſthus quare ſit factus adulter?
In promtu cauſa eſt, deſidioſus erat.

Et alius in iisdem caſtris bene verſatus:

Ocia ſi tollas, periere Cupidinis arcus:

Sed ex omnibus rebus nihil eſt quod libidinem magis priritet, quam ſuperflui potus ac cibi uſus. Magna eſt inter gulam & libidinis inſtrumenta cognatio. Sic ego exiſtimo, qui ventrem non nimis repleat, facile omnes libidinis faces exſtincturum: quorum præcipuus fomes gula eſt.

Recte Comicus Poeta: *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. Bene paſtos iuvencos laſcivire videmus, Et Germani dicunt, in dolio vini pleno plus gaudii quam in pſephopæctarum peta eſſe recõditum. Ebrietatis certe pediſſequa eſt Luxuria. Annon immoderatis vini uſus Loth Patriarcham, ut inceſtum cum filiabus committeret, induxit? *Vt homini cicuta venenum eſt, ita & vinũ* inquit Ariſtoteles. Bacchi fervorem lympha reſtinguendum Sapientes monent. Et alius primũ poculum ait eſſe neceſſitatis, ſecundum hilaritatis, tertium voluptatis, quartum furoris. Quoniam ergo luce clarius manifeſtum eſt, ebrietate & gula libidinis mirum in modum incendi; ſuadeo ut temperantia, labore, vigiliis, orationibus, rerumque divinarum contemplationibus corpus ita conſtringas & maceres, ne in libidines efferveſcat; ac quod D. Paullus Apoſtolus ad Rom. XIII. capite ſcribit, ſemper ob oculos habeas: *Abiiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis; ſic ut in die honeſte ambulemus. Non in comeſſationibus & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitiis; non in contentione & æmulatione: ſed induimini Dominum Ieſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in deſideriis.*

Plura, quæ multa tamen poſſem, hoc loco non addam; ſperans, ſi iis quæ à me præſcripta ſunt, recte uſus fueris, te in tua iſta ætate facile tã turpis amoris obliturum. Interim illud à te contendo, ut ſi forte ulcus illud tuum aſperiori manu contrectavi, eique cataplaſma violentius applicui, æquo animo accipias. Eſt enim amoris morbus tam occultus, ut nec ex vultu noſci, ut nec ex arteriæ pulſu deprehendi poſſit; ſed in cordis lateat penetralibus, ſic ut qui eo laborant, ejus quidem dolores ſentiant, detegere tamen aliis erubeſcant eoque efficacibus admodum medicamentis expellendus ſit. Noſti etiam illud, ſenes canes vix loris aſſueſcere: & vetullas pelles multa materia eſſe macerandas. & ulcus inveteratum non levi aut ſuſpenſa manu tractandum eſſe. Terreat te exemplum Burgi Licentiati hominis tibi optime noti, qui quum & ipſe iam ſenex amori operam dare cæpiſſet, ſubitanea morte ante paucos dies eſt exſtinctus, cum magno amicorum mœrore, & ceterorum omniũ, qui ipſum noverant, errore, &c. Burgi XXIV. Februar. MD XXIII.

Ad ABBATEM COMPLUTENSEM EPISTOLA.

Cur Deus bonos affligi permittat.

A*Ntonius de Guevara prædicator & Chroniſta imperialis, domino Abbati Complutenſis Eccleſiæ ſalutem impartitur plurimam.*

Binas tuas accepi litteras, quibus dicis, te omnibus in rebus erga me amici officio eſſe ſũctũ, Equidem

Equidem fateor quod dicis, & immenſas ago gratias pro eo quod facis. Nec me amicum habuiſſe unquam ſcio, qui verior aut ſincerior fuerit: nam etſi ſolent res ſecundæ immutare homines; te tamen erga me nulla amplitudo fortunæ mutavit. Tu quidem mihi, & ego tibi à cunabulis ſemper fuimus idem. Tu alter ego, & ego alter tu, unaque anima incolens duobus corporibus. Neſcio quid de te alii ſentiant, ego te alterum Scipionem, alterum Piladem, alterum Ionatham, alterum Prometheum ſum expertus. Quæcunque volui, te adjuvante ſemper ſum conſecutus.

Quæris à me, cur Deus Optimus Maximus patiatur, ut tot adverſa eveniant bonis viris. Ad hoc tibi reſpondeo, quod nil accidere bono viro mali poteſt, quia non miſcentur contraria, ut inquit Philoſophus. Adverſarum rerum impetus, viri fortis conturbat, ſed non vertit animum; quia ſemper in eodem ſtatu permanet. Vir bonus & juſtus omnia externa facile ſuſtinet. Sentit illa; & non victus, ſed victor evadit. Tunc apparet qualis & quantus ſit, & quibus polleat virtutibus, cum oſtendit quid ejus poſſit patientia. Omnia ad exercitationes obiici ſibi putat; quia virtus ſine adverſario marcet. Non decet heroicum virum, ut dura ac difficilia formidet, & de facto conqueratur, quia æquo animo ferenda ſunt: & ut inquit divinus Plato, non quid, ſed quemadmodum feras intereſt. Deus optimus Maximus habet adverſus bonos viros paternum animum: nam caſtigat omnem filium quem recipit, ut verum colligat robur. Languēt per inertiam ſaginata corpora: nec labore tantum, ſed etiam mole & ipſo ſuo onere deficiunt, inquit Seneca. Non fert ullum ictum illæſa felicitas. At ubi aſſidua rixa fuit cum ſuis incommodis, callum per injurias duxit, nec ulli malo cedit; ſed etiam ſi ſucciderit, de genu pugnat. Eſt enim Deus amantiſſimus bonorum, & illis ferocem fortunam, cum qua exerceantur, aſſignat. Necumquam boni viri miſerearis. Poteſt enim miſer dici, ſed non poteſt eſſe. Sæpe, immo ſæpiſſime, ſonat & vibrat in auribus meis vox illa Demetrij, dicentis: Nil mihi videtur infelicius eo, cui nil unquam evenit adverſi.

Sæpe adverſa fortuna fortiſſimos viros & ſibi pares quærit. Contumaciſſimum & fortiſſimum quemque aggreditur, adverſus quem vim ſuam exerceat. Quid ultra dicam & fortuna? Ignem expetitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, ingratitudinem in Scipione, ſanguinem in Carulo, & mortem in Catone. Non invenit magnum virum, niſi mala fortuna. Infelix eſt Mutius, qui ſua dextera ignes hoſtiū premit? Infelix eſt Fabricius, qui agrum ſuum, quantum à republica vacavit, manu propria fodit? Infelix eſt Torquatus, qui bellum geſſit, non ſolum cum Pyrrho, ſed etiam cum divitiis oblatis ab eo? Infelix eſt Regulus, quem adverſa fortuna duxit in crucem, & quem documentum fidei & exemplum patientiæ fecit? Qui talia patiuntur, abſit ut infelices eos vocemus. Sunt enim felices, non parva, ſed felicitate magna.

Sed & Deus in hac vita ſuos caſtigat, ut quoniam à peccati labe non ſunt immunes, eam hoc modo eluant, & ſic quaſi defæcati ad æternam illam vitam transferantur. Quanto vero ſatius eſt hic pati quam ibi? Quid, quod Deus hac ratione ſuorum patientiam tentat. Nec vero id eo facit, ut eos perdat; ſed ut hoc modo probatos, longe maioribus donis beet. Jobum illum videamus: qui hic quidem acerbiſſime vexatus, at poſtea multò maioribus divitiis, quam umquā antea habuerat, à Deo donatus fuit. Quid multis? Nullus umquam Deo charus fuit, quem non multis adverſitatibus exercuerit.

Hac de re ſi tu plura ſcire deſideres, non ad S. tantum Scripturam, verum etiam ad præſtantiſſimum Philoſophū Senecam te remitto: cujus hac de re ſingularis exſtat libellus. Vale, iterumque vale Ex Pineia, die xij. Maij, milleſimi quingenteſimi duodecimi anni.

Ad LUPUM SALAREM EPISTOLA.

Qua ejus avaritia reprehenditur & quadam avaritie proprietates explicantur.

Conſultiſſime, idemque avare domine.

Epiſtola tua recte mihi eſt reddita: cujus argumentum etſi quadam me voluptate affecit,

cit,neſcio tamen, an major ſit moleſtia,quam ex hominum de re fama hauſi, uno ore dicentium, ita te avaritiæ eſſe deditum, ut nihil niſi de corradendis divitiis cogitare videaris. Noveram patrem tuum, magnæ auctoritatis & illibatæ, uti mihi ſemper viſus eſt,conſcientiæ virum:qui magnos in ſtudia tua ſumtus fecit, non quidem ut colligendi pecunias, ſed ut leges interpretandi; non ut clientes aut conſultores auro emungendi, ſed ut injuria ſublevandi artem addiſceres. Quia vero ſalus tua mihi chara eſt,facere non poſſum, quin breviter tibi oſtendam, in quam intricatum labyrinthum ſis ingreſſus,& in quanto verſeris periculo; cumque in finem quædam avaritiæ incommoda(omnia quis poſſet?)exponam.

Iuriscõſulti officium

Elimelech, magnæ inter ſuas auctoritatis & potentiæ, quin etiam Judex ac Princeps Iſraelitici populi, quum in magna rerum omnium caritate aſſiduas famelicorum rogationes ferre non poſſet,relicta patria,in alienam terram profectus eſt,ut ibi peregrinaretur. Quoniam vero id malo animo,& conſilio fecerat, omnibus facultatibus exutus, una cum duobus filiis non multo poſt periit. In quo exemplo duo notanda ſunt. Primum, quod divitum erga egenos ſit officium Alterum quæ & quanta incommoda afferat avaritia. Ad primum quod attinet,monentur divites, ne importunas egenorum & opem vel ſtipem poſcentium preces & ſollicitationes ægre atque impatienter ferant, ne idem illis accidat quod Elimelecho & quod Sapiens iis eventurum minatur, qui aures ſuas ad preces egeni obturaverint,nimirum, ut ipſi quoque clament, nec tamen exaudiantur. Divitis illius epulonis à Chriſto D.N in Evangelio nobis propoſiti exemplum velim ſemper ob oculos habeant avari divites. Quid enim illo miſerius? qui ne guttam quidem aquæ, qua linguam refrigeraret,conſequi potuit; non ſane aliam ob cauſſam, quam quod panis micas de menſa ſua decidentes Lazaro denegaſſet. Quid vilius aquæ gutta? Hanc tamen quoque Deus juſtus judex ei denegavit. Juſtum enim erat, ut qui rem tam vilem,nimirum panis micas, eſurienti qua famem ſedaret, dare recuſaverat, guttam quoque aquæ,qua ardorem ſuum mitigaret, ne conſequeretur; ſed æternis flammis, ſine ulla ſui conſumtione,cruciaretur. O quam multi hujus ſimiles paſſim reperiuntur,nec tamen habere volunt! quibus nihil in animo atque ore eſt quam Adfer, adfer;

Elimelechi exẽplum.

Exẽplũ divitis Epulonis.

qui velut hirudines, miſerorum ſanguinem & medullas exſugunt; qui iam has iam illas ædes, iam hos iam illos agros coemunt,nec prius ſatiantur quam infelicem animam efflarint. Hi ſane nihilo meliorem eventum aut vitæ exitum ſibi polliceere debẽt,quam dives ille habuit? cui procul dubio,ſi ita moriuntur,æterni illius ſupplicij & cruciatus ſocii addentur.

Ex quo patet quæ quantaque incommoda & mala ex avaritiæ vitio exſiſtant Ecce enim,Elimelech qui facultates ſuas in patria egenis diſtribuere recuſaverat, eaſque ſecum aſportans in alienam terram, aſſervaverat,in exſilio inter peregrinos moritur. O avaritia,quantorum malorũ hominibus cauſſa es! Recte Eccleſiaſticus, avaro homine nihil pernicioſius, turpius & abiectius eſſe dicit: non quod avaritia majus aliis in ſuo genere ſit vitium, ſed quod divitiæ per eã congregatæ fomites ſint & nutrimentum, & ut perappoſite D. Apoſtolus ait,radix omnium malorum Idem 1.ad Thimotheum VI ait: *Qui volunt divites fieri,incidunt in tentationem & laqueum diaboli & deſideria multa inutilia & nociva quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* Et ad Epheſios V. Avaritiam ait eſſe idolorum ſervitutem non quod vere idololatria ſit avaritia,ſed per quandam ſimilitudinem, quod Avarus pecuniam Deum ſuum faciat,& pro Deo ſuo habeat & colat, ut quam omnibus aliis Rebus quæ in toto Mundo ſunt,præfert.

Avaritia quæ mala adferat.

Sequitur explicatio dicti Paulini, quomodo Avaritia idolorum ſit ſervitus.

Sed quo D Apoſtoli dictum melius ac rectius intelligatur iterum dico, Avaritiam non proprie eſſe idololatriam, ſed tantum per ſimilitudinem, quæ eſt inter idololatram & avarum. Quæ in duobus conſiſtit. Primo in exceſſu amoris. Secundo,in ſervitutis ſubiectione Quantum ad amoris exceſſum,ſimiles quodammodo ſunt idololatra & avarus. Quiſquis enim,(teſte S. Auguſtino) rem quampiam magis amat quam cetera omnia,ei ſe ſubiicit ac quaſi ſervit. Quum ergo avarus pecuniam magis amet quam reliqua omnia,quæ uſpiam in Mundo ſunt, ejus ſane ſervituti ſe mancipat, immo ex ea Deum ſuũ facit:atque ideo idololatriam committit.

Sed dicat quis, eadem ratione gulam ſervitutem eſſe diaboli, quum lurcones ventrem ſuum pro Deo habeant, uti Apoſtolus ad Philippenſes loquitur: *Quorum venter Deus eſt.* Reſpondeo, nullam hic proprie eſſe ſimilitudinem: quum gulones ventrem ſuum non magis ament quam ſeipſos, ſed eo tantum ament quatenus ad ſuſtentandam vitam & delicias capiendas eſt neceſſarius. Avarus autem pecuniam magis quam ſeipſum aut vitam ſuam amat: ut qui ſæpe famem, ſitim, frigus & quævis mala pati, adeoque mori malit, quàm paucos aliquot numulos erogare. Unde ſapiens, *Inſatiabilis*, inquit, *eſt oculus cupidi: in parte iniquitatis non ſatiabitur, donec conſumatur, areſaciens animam ſuam.* Ex quo patet Avarum magis ſervire pecuniæ, quam cupediarium ventri.

Altera idololatræ & avari ſimilitudo conſiſtit in ſervitutis ſubjectione. Hic vero tria notanda ſunt, primo veneratio, ſecundo immolatio ſeu ſacrificium, tertio cuſtodia ſeu aſſervatio. Quo ad venerationem, avarus idololatræ ſimilis eſt in eo, quod quemadmodum idololatræ idola ſua templis incluſa venerantur eisque ſerviunt, nec tamen appropinquare illis aut ea contingere audent, ob magnam reverentiam qua ea proſequuntur: ſic avari pecuniam in tanta habent veneratione, ut arcæ quidem incluſam ſervent, contingere tamen non audeant, ſed veluti rem ſacram, illibatam ad hæredes transmittant. O miſeros homines, qui eo quo alii ad luxum tam turpiter poſtea abuſuri ſunt, ad neceſſitatem & honeſtatem uti non audent! quique pecuniæ tamquam imperioſo domino tanta cum ſollicitudine, cura & anxietate ſerviunt! Et quemadmodum idololatræ è templis idola ſua aſportari nequaquam ferunt; ſic avaris nihil gravius poteſt accidere, quam ſi pecuniam ex arcâ ſua eximi & aliò transportari videant: cujus tamquam non ad uſum, ſed implendas tantum arcas factæ, condi ſemper ſunt, numquam promi.

Ad ſacrificium ſeu immolationem quod attinet, S. Chryſoſtomus probat avaros idololatris non modo ſimiles eſſe, verum etiam multo peiores ac deteſtabiliores. Idololatræ enim idololatræ enim idolis ſuis & deaſtris boves, vitulos, agnos & alia quæ in externis ſunt facultatibus, immolant; at avari ſeipſos pecuniæ, adeoque diabolo immolant. Quæ enim terra mariq; non adeunt pericula, ut lucrum faciant? quæ ſane Dei aut divini amoris cauſſa numquã eſſent ſubituri. Nec vero acquirendi tantum cura, ſed etiã continuo amittendi metu cruciantur. Quod ſi vel paululum ipſis pereat, ſeu furto ſeu vi ablatum, ad deſperationem ſtatim adiguntur, adeoq; non tantum præ mœrore contabeſcunt, verum etiam ſæpe manus ſibi ipſis conſciſcunt violentas, & longam ex ſe literam, ut Comicus jocatur, faciant.

Tertio in cuſtodia ſeu aſſervatione quoque avari idololatris ſunt ſimiles. Nam ſicut idololatræ idola ſua non aliter cuſtodiunt, quàm ſi veri ipſorum dij eſſent; ſic avari pecuniam cuſtodiunt tanquam Dominum & Deum ſuum. Qui re aliqua utitur tanquam ſua, ſuam illam eſſe ipſo facto demonſtrat. At contrarium in avaris videre eſt. Pecunia enim avarum non aliter quam pro ſervo habet, & velit nolit, ſervire ſibi cogit. Hinc quemadmodum uſus & fructus ſignum eſt dominii & proprietatis; ſic cuſtodia, ſubjectionis & ſervitutis.

Ex his multisq; aliis, quæ in hanc ſententiam dici poſſunt, liquido, opinor, conſtat, Avaritiam ſervitutem eſſe non idolorum modo, ſed & diabolorum. Atque utinam nulla exſtarent exempla, qui pecuniæ cupiditate inducti, vivos diabolos adorarunt, & deteſtabiles cum eis contractus & pacta inierunt, ut divitias conſequerentur. Quis ergo non fateatur cum Apoſtolo, Avaritiam omnium malorum eſſe radicem? quam, ut idem ait, appetentes, errant à fide, & inſerunt ſe doloribus multis. Nemo Deo dignus eſt niſi qui Mundi hujus divitias contemnit. Quod non ita accipies, quaſi ego omnes divitias abdicare & abjicere te jubeam; illud tantum moneo, ut pecuniam & quæ habes ita poſſideas, ne cor apponas: ſemperque illas quandoque relinquendas tibi fore cogites. Magnus eſt, qui & in paupertate dives, & in divitiis pauper eſſe poteſt. Dives nemo naſcitur. At natus, lacte & pane eſt contentus. Natura ad ſui ſuſtentationem panem requirit & aquam. Quisquis cupiditates ſuas coercet, ne deorum quidem opibus invidet, ut cum Seneca loquar. Inquieta eſt Mundi hujus felicitas: qua alius inflatur, alius molleſcit, alius obbruteſcit. Sæpius, & magis ex fide ridet pauper quam dives. Nulla cum cura, nulla ſollicitudo cruciat, Immo curæ omnes tamquam nebulæ ex animo ipſius diſpelluntur. Divites econtra, & qui beati dicuntur, fictis utuntur gaudiis. Splendor ille purpuræ ſplendida eſt miſeria. Divitiæ,

honores

honores, & quæ ejuſmodi ſunt, à recta nos deducunt ſemita: opinione hominum precioſa, ſed in ſe, vilia & abjecta. Quæ laudantur, non quod expetenda ſint; ſed expetuntur ideo, quod laudanda ſint. Inflant animum divitiæ, pariunt ſuperbiam, afferunt curas, & quod peſſimum eſt, à Deo avertunt. Vera bona fiduciam gignunt: falſa, audaciam. Ex virtutibus, animi exſiſtit magnitudo, ex divitiis inſolentia. Magnus Rex eſt, qui cupiditates ſuas tegere poteſt. Tale ego regnum tibi opto, mi amice, rogans & obſecrans, ut avaritiæ valedicas, & non pecuniam, ſed animæ tuæ ſalutem quæras, proximo ſuccurras, egenos re juves, nullumque diem abire patiaris, quin liberalitatis & beneficentiæ tuæ aliquod exſtet exemplum. Quantiſcumque te laboribus defatigaveris, quantiſcumque curis confeceris, quidquid comparſeris, aliis tandem relinquere cogeris. Memineris mortis quæ inevitabilis eſt; & extremi illius tranſitus, qui dubius eſt & auceps. Continuo aures tuas pulſet vox illa: *Redde rationem villicationis tuæ.* Quo meo conſilio ſi tu obtemperaveris, & avaritia abjecta liberalitati ſtudere cœperis, amicum ſemper me habebis. Sin minus, Deum comprecor, ut vitam quàm longiſſimam tibi largiatur. Neque enim avaro quidquam peius optari poteſt, quam longa vita: neque quidquam recti facit avarus, quàm moriens.

De LINGUA EJUSQUE EFFECTIS. DISSERTATIO, ſuper illo: *Mors & vita in manibus linguæ,* Proverb. 18.

SI quis quemcunque hominem roget, quid in hac vita maxime omnium expetat? Vitam, procul dubio reſpondebit. Quid maxime formidet? Mortem, dicet. Quamdiu enim vivimus, utimur fruimur iis quæ habemus; at per mortem deſinimus eſſe quod ſumus. Quid ergo mirum eſt, tantopere à nobis vitam expeti, & mortem formidari? quum D. N. & Servator Jeſus Chriſtus in mortis agone conſtitutus, mortem deprecatus ſit, inquiens: *Tranſeat à me calix iſte.* Et D. Apoſtolus Paullus longioris vitæ oſtendit deſiderium, quum ait: *Nolumus ſpoliari, ſed ſupervestiri.* Quis ergo non optet, quod juſti & ſancti viri optarunt? quis non metuat, quod iam inculpati homines metuerunt? Animantia ſui ſimilia procreant, fruges è ſeminibus, & ſemina è frugibus exſiſtunt; volucres ova excludunt, ut, quia moriendum ſibi vident, ſuperſtites ſui ſimiles relinquant. Tam homines quam reliqua animantia edunt, bibunt, dormiunt; veſtiuntur, laborant, ut vitam ſuſtentent, & mortem vitent. Seipſam namque conſervare ſtudet natura; cui nihil magis repugnat quam non eſſe. Homo periculosè ægrotans lubentius medicum audit, quorumvis ciborum uſum permittentem, quam ſacerdotem, extremam unctionem ſuadentem: quod ille longiorem promittat vitam, hic vero propinquam mortem ob oculos ponat.

Hoc bonus Rex Ezechias ſatis expertus eſt, cui Iſaias vates primo mortem intra illum ipſum diem, deinde longiorem vitam annunciavit: ſic ut quem peccata mortis reum fecerant, ei preces vitam impetrarint. Nullum tam brutum eſt animal quin Naturæ quodam inſtinctu ignem fugiat ne amburatur, aquam ne ſuffocetur, præcipitium ne caſu exanimetur. Etiam quæ vitam non amare videntur, mortem tamen fugiunt & timent. At homo non mortem modo timet, ſed & vitam unice amat. Qui enim vivit, ſcit quod & quid ſit; at mortuus quid ſe futurum ſit, neſcit. Jucundum eſt homini opes habere, multum poſſe, bene valere, at omnium jucundiſſimum, Vivere: adeoque nemo tam avarus eſt, quin de fortunis ſuis aliquid demi & vitæ addi, quam de vita detrahi & fortunis addi malit.

Sed ô rem admirabilem! Tantumne theſaurum, quo nullus in terra precioſior, tantas divitias quibus nullæ majores, tantumne bonum ex omnibus unum unicum, immo omnium bonorum divinitus nobis conceſſorum præcipuum, vitam nempe, in Linguæ poteſtate ſitam eſſe! Sic eſt profecto. Quod janua ædibus, hoc homini os officium præſtat: per quod ut corporis altrix eſca ingreditur, ſic animi indices cogitationes egrediuntur. Quod ergo Sapiens ait, mortem & vitam in linguæ eſſe manibus, hoc dicit ſcilicet, ante os tamquam domus noſtræ januam ſtare vitam ut abeat, & mortem ut ingrediatur. Neſcio ſane, an ulla corporis parte, periculoſiori loco tam diverſæ inter ſe res, quarum altera nihil charius, altera nihil

Os vitæ & mortis oſtiū.

Digitized by Google

magis odioſum eſt, collocari poſſint, quam in ore & lingua. Quum enim utrique janua hæc ſemper pateat; & vita ſine ullo ſenſu exire, & mors non animadverſa ingredi, & ſic utraque cuſtodē facilime fallere poterit.

Habemus theſaurum vaſis in fictilibus, inquit D. Apoſtolus Quibus verbis oſtendit, in quantis moleſtiis, laboribus & periculis verſentur Chriſtiani, tam precioſa dona in tam fragilibus vaſis portantes. Fidem ſcilicet in intellectu, Charitatem in voluntate, cognitionem in oculis, aſſenſum in auribus, in manibus beneficentiam, temperantiam in gula, caſtitatem in genitalibus, amorem in corde; vitam denique & mortem in lingua. Cui non miſerandum videatur, tam præclaras virtutes & divina dona tam fragilibus vaſis, tamque futilibus & putridis fere membris aſſervari quæ & facile frangantur, & difficilime tractentur & regantur? Optandum ſane fuerat, ſi ullæ hac jure apud Deum preces eſſent valituræ, ut vitæ locum ac ſedem magis ſecretam ac tutam, quam lingua eſt, aſſignaſſet. Quæ quoniam & oſſe caret, quo volubilitas ejus ſiſtatur, & nervo quo adſtringatur: fit ut loquenda nonnunquam taceat, & tacenda ſæpius loquatur. inter tenera tenerrimum, inter inquieta maxime inquietum, & inter periculoſa membra periculoſiſſimū eſt lingua loquax, ut vitæ & mortis receptaculum. Quiſquis ergo vitam ſervare, quiſquis mortem vitare cupit, magna cura & ſolicitudine linguam ſuam cuſtodiat; ne viventi, nec tamen ſentienti, mors oprebat

De diverſis linguæ effectis.

Diverſi linguæ effectus. Porro verbis illis Sapientis, diverſi linguæ effectus ſignificantur. Nam ut bona lingua vitam ſæpe multis ſervavit, ita vel unum malæ linguæ verbum nō paucos morti dedit. Cave, cave quid loquaris. Nobilis & excellſus animus contumelioſum verbum gravius fert, quam plebeius ferale vulnus Sed ne velut dictis caſtta hæc à nobis quis dicta exiſtimet, exemplis è S Scriptura petitis omnia plana faciemus.

Caini peccatū lingua commiſſum. Impius Cainus, à Deo de fratris cæde rogatus quum deprecari culpam debuiſſet, in hæc verba prorupit: *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Ad quæ verba S Auguſtinus, Mentiris, inquit, Cain, mentiris: quum Dei miſericordia multo major ſit quam iniquitas tua Deo enim proprium eſt, ignoſcere; ulciſci vero alienum & quodammodo contrarium. Quocirca Cain gravius in eo peccaſſe videtur, quod lingua loquutus eſt, de miſericordia Dei deſperans, quam quod manu perpetravit, fratrem occidēs. Exſecrabile erat Caini parricidium; ſed deſperatio, diabolica. Et peccato quidem Deus offenditur; ſed multo magis veniæ deſperatione.

Judæi Chriſtū linguis crucifixerunt. In hiſtoria Paſſionis D N. & Servatoris Jeſu Chriſti ex Evangeliſtis unus ait hora ſexta Jeſū fuiſſe cruci affixum In quo nulla contrarietas, ſed myſterium potius latet Id enim ſic intelligēdum eſt, Judæos hora tertia petiiſſe a Pilato, ut Chriſtus crucifigeretur; ſed hora ſexta demum, permittente Pilato, crucifixum, ſic ut priori illa hora Chriſtus Dominus noſter primo Judæorū linguis, altera vero militum manibus fuerit cruci affixus. Tantumne lingua peccatum poſſe cōmitti, ut qui Chriſtum ea crucifixerunt, id eſt, lingua ad crucem ſibi tradi petierunt, non minorem, adeoque majorem noxam meruerint, quam qui cruci manibus cum ſuis affixerunt! Sed mirum hoc non eſt, quum hi, qui clavis Domini manus & pedes confixerunt, eo ignorantia, qui lingua, ex deſtinata malitia peccarint.

Chriſtus pro crucifixoribus orat. At illud multo magis mirum eſt, quod Dominus noſter in cruce pendens, pro illis qui clavis ipſum confixerant, non vero pro illis qui lingua crucifixerant, patrem ſuum cœleſtem deprecatus eſt, inquiens: *Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciant*, Ex quo patet, miniſtros & ſatellites Pilati neſciviſſe quid facerent, at Judæos quid loquerentur bene ſciviſſe, Illud inprimis hic notādum eſt, à militibus & Pilati miniſtris Chriſtum denudatum, conſputum, ſpinis coronatum, virgis cæſum, & cruci tandem affixum; à ſolis vero Judæis illud *Crucifige, crucifige*, exclamatum: unde hi ſane potius quam illi tam injuſtæ necis rei exiſtimandi ſunt. Quidquid enim in Chriſtum D. N à Judæis peccatum fuit, lingua peccatum fuit: qua crucifigi eum poſtularunt: qua falſos teſtes contra eum inſtruxerunt, qua in cruce pendenti tam acerbe illuſerunt. Et iam ante iidem lingua Chriſti honori detraxerant, doctrinam calumniati fuerant, vitam & mores infamare ſtuduerant: ad mortem denique ſola lingua prodiderunt. Quis ergo non à lingua magis improborum, quam à bonorum cultris & armis cavendum ſibi putet?

Luciferi Magnus ille vates Iſaias Luciferi caſum ex-

Magnus

peccatũ quale.

ponens, inquit: *Quia dicebas in corde tuo: in cœlum conſcendam & ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, & ſimilis ero altiſſimo: propterea ad infernum detraheris.* In quibus verbis primo notandum eſt, Luciferum è cœlo detruſum non ob ullum aliud peccatum, quam animi præſumtionem, qua futuram, ad quam adſpirabat, magnitudinem conceperat; & linguæ (vel cordis potius) incontinentiam, qua nefarium iſtum conatum indicarat: eoque ex angelo pulcerrimo, omnium tæterrimus dæmon eſt factus, non ob id quod opere tentarat, ſed quod corde loquutus fuerat. Quapropter, ô homo, etiam atque etiam expende non modo oris, ſed cordis tui verba. Ecce enim, Luciferum non mala opera quæ fecerat, ſed ſuperbæ cogitationes quas conceperat, cœlo expulerunt; ſic ut Dei contemtus cœli ipſum faſtigio dejecerit & ſui ipſius exaltatio ad inferos detruſerit.

Sennacherib regis blaſphemia.

Sennacherib Aſſyriorum Rex cum maximis copiis ad Hieroſolymam oppugnandam proficiſcens, inter alia Ezechiæ regi hæc nunciari juſſit: *Non te ſeducat Deus tuus in quo habes fiduciam, non enim poterit quis eripere vos de manu mea, &c. Quis eſt de univerſis deis gentium quos vaſtaverunt patres mei, qui potuerit eruere populum ſuum de manu mea: ut poſſit etiam Deus veſter eruere vos de hac manu.* Quibus impotentis tyranni inſolentiæ & blaſphemiæ plenis verbis Deus tantopere fuit irritatus, ut miſſo angelo in ipſius exercitu ad centum & octoginta millia una nocte trucidarit, ipſum deinde tyrannum, qui tum evaſerat, filiis ad cædem objecerit. Ecce ibi tantæ potentiæ tyrannum, antequam ad deſtinatum perveniſſet locum, antequam vel unum hominem eorum quos internecioni deſtinaverat, occidiſſet, non modo caſtris exutum, & ingenti clade affectum, verum etiam paulo poſt vita ab iis quibus vitam dederat ſpoliatum; non aliam ob cauſſam, quàm quod linguæ contra Deum fræna laxaſſet. Et ante & poſt illa tempora complures Aſſyriorum, Perſarum, Medorum & Ægyptiorum reges, Iſraelitico populo arma intulerunt, & non modo graviſſima damna dederunt, verum etiam multa crudeliſſime patrarunt: nec tamen eam ob cauſſam tam conſpicuo exemplo à Deo puniti ſunt, eam tantum, credo, ob cauſſam, quod armis belligerantes, & animo & linguæ moderabantur. Si reges ſubditis, magiſtratus civibus, Prælati ſubditis juſtitiam adminiſtrent, magnam ſane laudem merentur; ſed non minorem vituperationem ac dedecus, ſi cuiquam male dicant. Delinquens enim ſæpe convicium aliquod aut gravius in ſe dictũ acerbius fert, quam vel graviſſimam pœnam. Nec ducem in caſtris, nec Prælatum in Monaſteriis vel moribus inſolentem, vel verbis acerbum eſſe in ſuos oportet: quibus nullum poteſt honorificentius contingere elogium, quam hoc, ſi omnes ipſorum timere juſtitiam, & laudare linguam & humanitatem dicantur. Si infelix ille Sennacherib non acerbis conviciis, ſed armis Ezechiam regem oppugnaſſet; fortaſſe DEO tum magis uſus fuiſſet propitio, & tam præſens quum ſui tum ſuorum exitium vitaſſet. Qua in re neque prudentis regis, nec magnanimi bellatoris officio functus eſt, quum armis non verbis pugnandum ſit.

Pœna verbis non exaſperanda.

Babylonica turris ædificatores lingua abuſi.

Caini poſteri turrim ad cœlum usque educere conati ſunt, ut ſi forte diluvium terris iterum à Deo immitteretur, in ea ab exitio tueri ſe poſſent. Exiſtimabant quippe homines ſuperbiſſimi, penes ſe poteſtatem eſſe mortem evitandi, non penes Deum, vitam ipſis adimendi. Sed magnum illud myſterium eſt, quod Deus non ipſorum oppida everti, non regiones vaſtari, non fortunas eripi eis permiſit, non cœptas ſubſtructiones dejecit, non fulmine vivos ad Orcum demiſit, ſed linguarum tantum confuſione punivit. Ex quo recte quis inferre poſſit, Deum magis irritatum fuiſſe ſuperbis & inſolentibus verbis quæ loquuti fuerant, quam opere quod ædificabant. Si namque turri magis quam verbis fuiſſet iratus, cæmenta, lapides, & quæcumq; congerebantur, disjeciſſet ac difflaſſet; non vero linguas ipſorum diviſiſſet, ut alter alterum non intelligeret, niſi externis quibusdam ſignis. Erat autem ante id tempus, S. Scriptura teſte, univerſa terra labij unius: quia vero Deus impios hominum conatus videbat, confudit linguas ipſorum, ut non audiret vel intelligeret unusquisque vocem proximi ſui. Poterat hos Deus eodem modo quo Pharaonem aquis ſubmergere, quo Sodomam & Gomorram ſulphureo perdere imbre, quo Ægyptios tenebris damnare, quo Moyſis ſororem lepra percutere, quo Aaronis filios ad infernum vivos demittere: horum tamen nihil illis fecit; ſed quia lingua peccarant, per linguam eos punivit. Atque utinam omnes qui multa garriendo, murmurando, conviciando, calumniando, blaſphemando lingua abutuntur, eodem modo uti Babylonicæ

Digitized by Google

Turris ædificatores, in linguis punirentur, & nemine intelligerentur! Tunc enim ſine dubio, auditoribus dictitati, omiſſis nugis, ſeria potius & utilia eſſent loquuturi.

Saulis occiſi hiſtoria.

Poſt mortem Saulis quum David ab Amalechitarum cæde reverſus biduum in valle Ebron commoratus eſſet, vidit hominem propere, cōſciſſa veſte, & capite pulvere conſperſo accurrentem. Qui rogatus à Davide unde veniret, reſpondit, Se venire ex caſtris Hebræorum & nuncium afferre non modo de fuga Iſraelitarum, ſed & de cæde Saulis & filii ejus Jonathæ. Ulterius quærenti Davidi, quomodo id comperiſſet, reſpondit idem: Caſu veni in montem Gelboe, & Saul incumbebat ſuper haſtam ſuam. Qui quum vidiſſet me, dixit mihi: Quiſnam es tu? Et aio ad eum. Amalechites ego ſum. Et loquutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me, quoniam tenent me anguſtiæ: & adhuc tota anima mea in me eſt. Stansque ſuper eum, occidi illum. Et tuli diadema quod erat in capite ejus, & armillam de brachio illius: & attuli ad te Dominum meum. Apprehendens autem David veſtimenta ſua, ſcidit, omnesque viri qui erant cum eo: & planxerunt, & fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Jonatham filium ejus, &c. Dixitque David ad juvenem qui nunciaverat ei: Unde es tu? Qui reſpondit: Filius hominis advenæ Amalechitæ ego ſum. Et ait ad eum David: Quare non timuiſti mittere manum tuam, ut occideres Chriſtum Domini? Vocansque David unum de pueris ſuis, ait: Accedens irrue in eum. Qui percuſſit illum & mortuus eſt. Et ait ad eum David: Sanguis tuus ſuper caput tuum. Os enim tuum loquutum eſt adverſum te, dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini.

Amalechita ſuis verbis ſe jugulat.

Ex hac hiſtoria patet, à Davide juvenis hujus cædem fuiſſe imperatam, non tam propter parricidium ab ipſo perpetratum, quam linguæ incontinentiam, qua illud profeſſus fuerat & jactarat. Sic miſer hic Saulem gladio, at lingua ſeipſum occidit. Notum omnibus erat, quo animo Saul in Davidem fuerit, & quam acriter eum hactenus fuiſſet perſequutus: eoque exiſtimabat hic juvenis, ſi Davidi hoſtis, & quidem à ſe occiſi interitum nunciaret, non modo bonam apud ipſum gratiam ſe initurum, verum etiam egregio munere cohoneſtatum iri. At David nec ſuam ipſius utilitatem, quæ ex morte Saulis ad ipſum redundabat, reſpicere, aut tantum apud ſe poſſe voluit, quominus culpam & ſcelus contra Deum commiſſum puniret. O quam paucos hodie reperias Davidis ſimiles! qui ſcilicet hoſtis mortem veris lachrymis deplorent, & lugeant immo ulciſcantur quoque. Quis hodie non hoſti interitum non dico imprecatur, ſed machinatur? cui non de hoſtis interitu nuncium accideret gratiſſimum? eo tantum, quod aliqua inde ſpetatur utilitas; ſine qua etiam plerique eum quem metuunt, aut oderunt, periiſſe gaudent. Immo quotus quisque vel amici obitum vere atque ex animo luget? O inuſitatum atque inauditum exemplum, ut quis eum occidi jubeat, qui capitalem noſtrum hoſtem occidit, à quo ipſi ad necem fueramus cōquiſiti! Ut quis hoſtis ſui injurias, etiam poſt mortem ipſius, ulciſcatur! Magna hæc eſt perfectio: quum Chriſtus in Evangelio non à nobis exigat, ut hoſtem mortuum lugeamus, ſed ut vivo amorem & benevolentiam præſtemus.

Davidis perfectio.

Nemo miretur, me hoc in propoſito diutius aliquāto immorari, Inter pauca ſingulare & rarum eſt hoc exemplum. Optimus enim rex David non inimicum tantum ſuum dilexit, ſed luxit quoque, ſepelivit, & de parricida vindictam ſumſit, non aliter quam ſi ſuaipſius cædes fuiſſet vindicanda ſic ut etiam ante legem Evangelicam, David perfectus fuerit Evangelicus. Dubites hic, utrum major laus ſit Davidis, quam juvenis illius probrum: qui multipliciter ſane peccavit; quod ex acie fugit, quod regem Saulem occidit, quod cæde ejus gaviſus fuit, quod nuncium ejus ad Davidem perferre, & de ea jactare ſe auſus eſt. Quare juſto ſupplicio fuit affectus, qui tot tamque mala una fere ſerie edidit facinora.

Differentia hujus & illius vitæ.

In horribili illo divitis Epulonis & Lazari exemplo ait Dominus & Salvator noſter, à divite illo Abrahamum his verbis compellatum: *Pater Abraham, miſerere mei*, utpote gentilis tui. Pergit: *Et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam; ut refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Hic primo notandum eſt, quantum inter hanc & illam alteram vitam ſit diſcrimen. In hac vita moris eſt, ut divites ab egenis rogentur; in illa vero divites egenorum implorant opem. In hac vita mendicorum à divitibus ſublevatur egeſtas; at in illa mendici divitibus de ſuo eleemoſynam largiuntur. Ut breviter

Digitized by Google

breviter dicam: omnia contrario ſe modo habent. Hunc divitem vide. Quantillum petit! guttam ſcilicet aquæ, refrigerandæ linguæ. At juſtitia Dei nequaquam eum exaudire, multo minus voti compotem facere voluit, eam ob cauſſam, quod & ipſe rem viliſſimam, panis ſcilicet micas, canum prædam, pauperi Lazaro denegaſſet.

In quo divas potiſſimum peccaris. Deinde illud quoque conſideratione dignum eſt, quod dives hic condemnatus in nullo membro corporis majorem ſenſerit cruciatum quam in lingua. Luxus ejus in victu & veſtitu perſtringitur quidem in Evangelio; at multo graviora fuiſſe peccata quæ lingua commiſerat, exitus ipſius & pœna docet. Non ille oculorum quibus vanitates aſpexerat, non aurium quas nugis & futilibus rebus audiendis præbuerat, non manuum quibus omnia quæ potuit corraſerat, nõ pedum quibus ad conquirendas divitias diſcurrerat, non gulæ per quam tot cupedias, Lazaro interim eſuriente, transmiſerat, ſed linguæ deplorat cruciatum. Quis ergo non linguam ſuam tamquam feram & idomitam beſtiam refrænandam ſibi putet, ne & aliis temporale, & nobis æternum inferat damnum? In homine cujuſcumque conditionis, nihil magis requiritur, quam ut in ſermone modeſtus ſit & cautus, utque tam ſilendi quam loquendi omnia teneat momenta. Sed præceptum hoc homines divitiis elati, parum ad ſe pertinere exiſtimant qui ubi cibo & vino incaluerunt, mox nugãtur, garriunt, præſentes vexant, abſentes traducunt, miſeris illudunt, vivos ſepeliunt quaſi, & mortuos è ſepulcris effodiunt. Ex horum numero dives hic fuit, nempe helluo, aleator, nugator, calumniator, detractor, ſubſannator, blaſphemator: qui quum ſolum ſe in hac vita beatum eſſe judicarit, æquum ſane eſt, ut in illa perpetuo ſit miſer, ſicque cum extrema ſui perditione aliam poſt hanc vitam ſupereſſe intelligat. Cum Lazaro hic nihil ſibi rei eſſe voluit: ne ergo ibi quoque ſit. Sui ſimilium delectatus eſt ſocietate: eã quoque ibi eũ iisdem colat. Neque enim quidquam magis eſt juſtitiæ conſentaneum, quam ut qui eorundem flagitiorum hic ſunt ſocii, ibi quoque earundem ſint ſocij pœnarum.

Ex his quæ hactenus dicta ſunt, breviter inferri poteſt: Si Cain invidus, Lucifer ſuperbus, elatus Sennacherib, audaciſſimi Babylonicæ turris molitores, imprudens ille Amalechita, & dives ille Epulo lingua non male fuiſſent uſi, neque hic vitæ, neque ibi animæ jacturam facturos fuiſſe.

De bonis linguæ effectu. Mortem in manibus linguæ ſitam eſſe, hactenus demonſtravimus: reſtat iam ut vitam quoque in ejuſdem manibus poſitam eſſe demonſtremus. Inter omnes corporis humani partes nihil magis neceſſarium eſt corde, nihil ſubtilius ſanguine, nihil pulcrius oculis, nihil gravius carne, nihil tenerius auribus, nihil arteriæ pulſu inquietius, nihil mollius liene, nihil periculoſius lingua. Non ſine cauſſa profecto dicimus, Linguam ex omnibus corporis humani partibus omnium eſſe periculoſiſſimam. Cor enim cogitat, voluntas aſſentitur, vident oculi, aures audiunt, pedes ambulant, manus tangunt: ſed Lingua occidit, & quidem magis quam ullus culter vel gladius. Hic enim carnem lædit, at Lingua ipſum Cor & viſcera penetrat. Mihi quidem inſtar nudi parietis Lingua videtur; in qua ſapiens pulcras & ad devotionem accommodatas imagines; ſtultus vero mille ineptias & ſtultitias depingit. Nam ſi recte utare, ſalutem; ſi male, interitum tibi affert. quum Lingua aliud nihil ſit, quam cogitationum noſtrarum præco, & mentis interpres. Quo vero melius intelligatur, quantum boni bona lingua poſſit efficere, hiſtoriam quandam Davidis regis è S. Scriptura aliquanto altius repetemus, triſtem quidem illã auditu, ſed ſcitu & neceſſariam & non injucundam: ut diſcamus inde facilem quidem eſſe peccatorum lapſum, ſed & reſipiſcentiam non omnino eſſe difficilem, ſi quis conceſſis à Deo mediis utatur.

Davidis præſtantia. Ex ſingulari Dei permiſſu Saule regno ſpoliato David rex Iſraelitarum factus eſt & unctus: qui non minus Deo gratus fuit, quam Saul fuerat inviſus. Inter patriarchas David fuit honoratiſſimus, inter reges maximus, inter prophetas illuminatiſſimus, inter duces fortiſſimus, & inter omnes Iſraelitas gratioſiſſimus: quod facile apparet è præſtantiſſimis quibus à Deo ornatus fuit donis; & è maximis quibus ab eodẽ liberat° fuit periculis. Quid enim? E caula eũ ad aulã præ ceteris omnibus ſuis fratribus traducit; pro plectro ſceptrum ab alio ablatum, eitradit; nõ regia tantum

Digitized by Google

tantum dignitate eum exornat, ſed & prophetico ſpiritu donat: & quod omnium eſt maximum, Deum & Salvatorem totius Mundi è ſemine ipſius naſciturum promittit. Tam charus Deo David fuit, ut ipſi tribuat, quod numquam ulli hominum tribuiſſe legitur: adeo ut invento eo, exclamare non dubitarit: *Inveni virum ſecundum cor meum.* At quæ cauſſa fuit, cur tam impenſe & ardenter Davidem Deus amarit? Ea nimirum, quod David impenſe quoque & ardenter Deo ſerviret. Ex quo patet, amorem quo Deus nos complectitur, & cultum qui ipſi à nobis exhibetur, eadem menſura menſurari, & eodem pondere ponderari.

Ocium pulvinar Satanæ.

Quum hoc modo David proſpera utens corporis valetudine, auctoritate & potentia inter reges ſui temporis florentiſſimus, in pace & ſumma felicitate viveret, res quæpiam incidit, quæ non minus honorem ipſius & exiſtimationem læſit, quam univerſum populum magno ſcandalo affecit. Veriſſimum eſt illud Poetæ;

> *Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe.*
> *Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.*

Et Principes majorem pœnam merentur ob ſcandalum quod dant, quam ob peccatum quod committunt. Quod ſi David tum Pſalmis ſcribendis fuiſſet intentus aut foris bellum geſſiſſet, aut de publicis negociis in Senatu deliberaſſet, aut alia quæ ipſius erant muneris, obiiſſet, facile & Dei iram & populi ſcandalum vitare potuiſſet. Sed ita ſemper fuit, itaque ſemper erit, ut quibus cum hoſte foris pax eſt, domi à vitiis oppugnentur. Ait D. Auguſtinus in libro De Civitate Dei, Carthaginem poſtquam deſtructa eſſet, Romæ plus nocuiſſe quam quum opibus adhuc floreret, & armis cum ipſa vehementiſſime non utra imperaret, ſed utra eſſet, contenderet: quod ante id tempus pleraque vitia Romæ vix nomine nota eſſent, quorum poſtea veluti momento uberrima ſeges ſuccrevit.

Acrior eſt cum vitiis quàm cū hoſte cõpenſio.

Quid vero illud eſt, inquis, quod Davidis illam felicitatem interpellavit? *Accidit quadam die, ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem, & ambularet in ſolario domus regiæ: viditque mulierem ſe lavantem ex adverſo, ſuper ſolarium ſuum. Erat autem mulier pulcra valde. Miſit ergo Rex; & requiſivit quæ eſſet mulier. Nunciatumque eſt ei, quod ipſa eſſet Berſabee filia Heliam, uxor Uriæ Ethæi. Miſſis itaque nunciis, tulit eam. Quæ quum ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum ea. Et reverſa eſt domum ſuam concepto fœtu.* Habes primum peccatum Davidis, cui feneſtram aperuit ocium. Audi reliqua.

Davidis adulterium.

Quum Berſabe vereretur ne maritus; David, ne populus flagitium hoc reſciſceret: peccatum peccato cumulare quàm deprecari maluit: ſcriptiſque ad Joabum militiæ præfectum, ſub cuius ſignis militabat Urias, litteris, juſſit Uriam in primo aciei cornu collocari, ubi aſperrimum eſt prœlium, & in ipſo prœlii ardore deſeri, ut interficeretur. Quod etiam ita factum eſt. Sed ô David! Annon tuum eſt illud: *Abyſſus abyſſum invocat?* An neſciebas peccatum unum aliud poſt ſe trahere, & hoc rurſus aliud, donec tandem in ipſam abyſſum perveniatur? Non hoc te fugerat, ſed cupiditate & libidine victus, quaſi ultro manum præbuiſti: è gulæ vitio ad ocium, ex ocio ad aſpectum, ex aſpectu ad deſiderium, ex deſiderio ad ſollicitationem, ex ſollicitatione ad fraudem, ex fraude ad adulterium, ex adulterio ad homicidium progreſſus. Laqueis quidem Satanas Davidem implicuit, ſed iis quos ſibi ipſe contexuerat. Quod ſi tanto amaſſet Deum opere, quanto ab ipſo amabatur, numquam ſane ſcelere hoc ſe obſtrinxiſſet.

Homicidium.

Tantam enim eorum qui ex animo ipſum amant, eique omnibus viribus ſervire ſtudent, Deus curam gerit, ut in graviora peccata numquam eos labi patiatur. Quod vero erramus nonnumquam, decipimur, labimur, adeoque in cœno peccatorum volutamur, mirum non eſt, nec exemplo caret: quum etiam Angeli lapſi ſint & peccato involuti. Tantum Deus nobis cum lachrymis deprecandus & exorandus eſt, ut ſi forte, permittente ipſo, ceciderimus, ipſo adjuvante mature reſurgamus. David oſtendere volens, quomodo Deus amicos ſuos tractet, inquit: *Non dabit fluctuationem juſto.* De peccatoribus vero: *Deduces eos in puteum interitus.* Quaſi diceret: Tanta ô Domine, tu cura & ſolicitudine tuos cuſtodis, ut etiam è mediis fluctibus emergant, malos vero & hoſtes tuos ſic perſequeris, ut etiam in terræ ſpeluncis & puteis ſubmergantur & ſuffocentur. Terribilis eſt vox illa, qua regius propheta utitur, dum dicit, malos non in flumen aut ſtagnum, ſed *in puteum interitus* deduci. Ex reliquis enim aquis, immo ex ipſo mari multi ſæpe enatarunt: at ſi quis in profundum aliquem

Deſerentes ſe Deus deſerit.

Digitized by Google

quem & anguſtum puteum delapſus ſit, vix vertere ſe, nedum eluctari inde poteſt. Tum vero in puteum homo delabitur, & quaſi pro conclamato habendus eſt, quando Deo permittente, peccatis ita immergitur, ut nullam inde eluctandi ac reſipiſcendi invenire poſſit viam. Hæc de peccato Davidis dicta ſunto, in quod ille quidem incidit, ſed Dei adjuvante miſericordia, mature ſeſe rurſus expedivit, ſic ut quamvis caſu hoc graviſſime fuerit afflictus, facile tamen ſit reſanatus.

Poſtridie ejus diei, quo David tantum deſignarat flagitium, à Nathane Propheta divinitus miſſo commonefactus fuit; Quandoquidem duplici crimine, adulterio nempe & homicidio ſe maculare ac Deum offendere non dubitarit, reliquum eſſe, ut hoc divina exigente juſtitia dignas tantis flagitiis exſpectet pœnas. Verbis his perculſus David ſublatis in cœlum oculis, in verbum hoc erupit: *Peccavi* Erat David magni quidem, ſed honeſti & verecundi animi. Quum ergo ſcelus ſuum propalatum audiret, non erubuit tantum, verum etiam, ut facile credi poteſt, vehementer ingemuit, & cum lachrymis dixit: *Peccavi.*

Equidem arbitror, Davidem tanto facilius à Deo veniam impetraſſe, eo quod culpam ſuam non deteſtatus modo, ſed & confeſſus ſit. Majus enim peccatum eſt, peccatum negare vel excuſare, quam ipſum peccare. Nullas latebras, nullos colores aut excuſationes David peccato ſuo quæſivit, ut diceret: infirmum ſe eſſe, & hominem à quo nihil humani ſit alienum à carne ſtimulatum, à diabolo ſupplantatum, velut ex improviſo in hoc peccatum incidiſſe: ſed culpam ingenue & ſimpliciter faſſus eſt, absque ulla circuitione dicens: *Peccavi:* ſic ut ſe ipſum accuſando, quodammodo excuſarit.

Hic illud inprimis notandum eſt, non Deum à Davide, poſtquam atrox illud peccatum commiſerat, ſed Davidem à Deo fuiſſe quæſitum & præventum. Unde patet immenſa vis divini amoris, quo Deus ſuos complectitur, adeo ut etiamſi in peccatum aliquod labantur, non tamẽ diu ei adhæreſcant, ſed à Deo extrahantur Matthæum Chriſtus D. N è telonco ad ſe vocavit, Paulum in itinere Damaſcum verſus proſtravit, ſed mox erexit; cæco in via luminis uſum; claudo apud piſcinam commoranti ſanitatem reſtituit: & adoleſcentem Naimiticum quum jam efferretur, reſuſcitavit. O quanto plures ſunt, quos Deus quærit, quàm qui Deum quærunt! O ineffabilem divini amoris magnitudinem! Siccine, ô Deus, non quærentes te quæris, non rogantes ſollicitas; excitas dormientes, & nolentes etiam trahis! ſic, ut ſi quis peſſum eat, id non tam fiat ex eo quod peccarit, quam quod peccare non ceſſarit, nec vitam mature emendarit. Deo ergo ad januam cordis noſtri pulſanti aperiamus, quærenti occurramus, ſequamur ducentem, vocantem audiamus, promittenti credamus, & benefacienti ſerviamus. Tam liberalis & munificus eſt Deus noſter, ut plura nobis largiri paratus ſit quam ab ipſo petere audeamus. Illud tantum unice caveamus, ne tam beneficum dominum ad iram provocemus; quod fit, ſi in peccatis perſeveremus. Eamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Si namque Davidem Deus, à quo tantopere offenſus atque irritatus fuerat, tam ſollicite quæſivit: quis dubitet eum nobis quoque fore propitium, ſi modo ex toto animo eum colamus & veneremur. Ad domum Dei ut nemo ingredi compellitur, ita neque ingredi prohibetur. Quis non miretur, Davidem caſu tam gravi afflictum ita ſecure agere, ac ſi Deo magnum cultum præſtitiſſet: & tamen à divina gratia præveniri, excitari, & quaſi rogari, ut ſurgere modo, & domum reverti velit. Reſipiſcenti enim veniam non oblatam, ſed jam jam datam eſſe.

Neque illud prætereundum mihi videtur, quod quamvis David oculis peccarit, quibus Berſabeam aſpexit, peccarit auribus, quas amoris præbuit internunciis, peccarit manibus quibus litteras de Uria occidendo ſcripſit, peccarit corde, quo impudicum illum amorem concepit, peccarit denique toto corpore, quo adulterium commiſit; nulla tamen re magis peccarit quàm ſuo exemplo. Non legitur David hic magnam vim lachrymarum profudiſſe, non corpus jejunio aut aliis caſtigationibus, quibus ſancti homines multum uſi ſunt, & adhuc etiam utuntur, maceraſſe, non ullum votum nuncupaſſe, ſed unum tantum hoc verbum dixiſſe, *Peccavi.* Non enim ſalutis noſtræ cardo in verborum multitudine, ſed in vitæ morumque emendatione, & Chriſtiano dignis virtutibus conſiſtit.

Peccatis deſiſtendum.

O Jeſu benigniſſime! ô unicum animæ meæ ſolatium! Utinam, utinam cum Davide illud tantum dicere poſſim, *Peccavi*: non vero, *Pecco*, aut *Volo peccare*? Tum enim certo certior eſ-

Digitized by Google

ſem, peccata mihi eo ipſo momento à te remiſſa eſſe, ac divinæ tuæ gratiæ & miſericordiæ fores patere. Sed væ miſero mihi & infelici homini! qui quum ad calcem vitæ meæ iam pervenerim, vix illam adhuc de moribus ac vita emendanda cogitationem ſuſcepi. Vere potuit David rex dicere, *Peccavi*; vere potuit Maria Magdalena dicere, *Peccavi*; vere potuit cruciarius dicere, *Peccavi*; Hi enim omnes peccarũt quidẽ, ſed à peccatis cõverſi, nihil magis caverunt quã ne iterũ peccarent. At miſer ego fateri & dicere cogor, non tantum me heri aut hodie peccaſſe, ſed cras etiam, adeoque ſemper peccaturum, niſi tua ò mitiſſime Jeſu, benignitas & miſericordia mihi ſuccurrat. Cado iam jam, niſi me ſuffulcias; neq; reſurgere umquam potero, niſi tu me erigas. Si David ad Deum dixiſſet, *Pecco*, aut; *Peccabo*, Domine: numquam à Deo exauditus, multo minus veniam eſſet conſequutus: ſed quia dixit, *Peccavi*, cum firmo propoſito amplius non peccandi, quamprimum verbum illud proloquutus fuit, peccati veniam meruit. O ſanctam, ò benedictã, ò ſuaviſſimam D. N. Jeſu Chriſti legem! Pro tot tantiſque delictis quæ quotidie committimus, Deus nihil amplius à nobis exigit quam ut cum Davide ex animo quis dicat, Peccavi Domine; neque poſthac, tua adjuvante gratia, peccabo. Quid faciam miſer! Negare non poſſum, Domine, cujus animus mihi eſt conſcius; celare non poſſum, quod tu ſolus omnium optime noſti. Puer peccavi, peccavi adoleſcens, peccavi juvenis, vir peccavi: hoc unum jam à te peto, Domine, ut gratiam tuam mihi largiare, ne in hac decrepita mea ætate peccare pergam, & quæ juvenis peccavi, ſenex quoque peccem. Peccare jam ceſſarat David, quando Deum ita deprecatus eſt: *Delicta juventutis meæ ne memineris, Domine.* Neque enim in tam tenera iſta ætate ſenſi quid facerem, nec ſcivi quid deſiderarim.

Dei ad ignoſcẽdum facilitas.

Illud quoque obſervatione dignum eſt, quod David non peccata quæ puer, ſed quæ juvenis, maturo iam & confirmato judicio, commiſerat, condonari ſibi petit. Quæ enim pueri peccant, ignorantiæ, at quæ juvenes & viri malitiæ adſcribenda ſunt. Senex iam David delictorum juventutis ſuæ veniam rogat. & ſane credibile eſt, ſi vel minimi peccati ſibi fuiſſet conſcius in decrepita iſta ætate à ſe deſignati, ejus culpam multo magis & [illegible] & deprecaturum fuiſſe. Ex quo facile poteſt intelligi, quantum ad veniam à Deo impetrandam illud faciat, ut & peccata corde ſentiamus, & lingua fateamur, & opere poſthac vitemus: quæ Deus quidem condonat, ſed ita ne amplius eadem committamus.

Aetas peccata aggravat

Illud denique hoc loco notandum eſt, eodem momento quo David dixerat, *Peccavi*, Deum dixiſſe, *Ignovi*. Quod ſi res actioneſque hominum diligentius intueamur, videbimus profecto Deum ad peccata remittenda multo eſſe promtiorem quam nos ad fatenda. In quo ſane tacita quædam inter Creatorem & Creaturam apparet conſpiratio. Nam commiſſum adulterium ſequuta eſt Berſabee imprægnatio, imprægnationem proditio ad necem Uriæ, Uriæ mortem Nathanis increpatio, increpationem culpæ confeſſio & pœnitentia, pœnitentiam Dei gratia & miſericordia: ſic ut eadem celeritate qua David Dominum fugerat, à Domino quæſitus ſit & in viam reductus. Ex quo patet, Linguam quæ multis vitam ademit, Davidi vitam conſervaſſe. Nam ut culpa reum ipſum fecerat; ſic culpæ confeſſio veniam ei impetravit.

Ex quo uno patet, quantum boni bona lingua efficere poſſit, quum unum verbum ad duplicis ac tantæ noxæ expiationem ſatis fuerit. O delicatum & mirabile membrum! In tuis manibus vita & mors ſitæ ſunt. Vita quidem iis qui recte te utuntur; mors, qui male. Demus ergo operam, ne cum Lucifero ſuperbe, ne cum turris Babylonicæ ædificatoribus vane, ne cum Sennacherib elate, ne cum Amalecita imprudenter, ſed cum Davide humiliter & ingenue loquamur. Loquatur unuſquiſque veritatem ad proximum ſuum. Nugæ & ſcurrilia ne audiantur quidem inter nos. Bonos mores corrumpunt colloquia prava. Vitemus eos quorum guttur, ut David ait, ſepulcrum patens eſt; qui linguis ſuis doloſe agunt: quorum lingua novacula eſt acutior.

O Deus, qui vitam & mortem ac linguam noſtram in manu tua habes; da, quæſumus, ut ea ad nominis tui gloriam, proximi noſtri commodum, ac noſtram ipſorum ſalutem ſemper utamur: per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ad vitam æternam nos perducat, Amen.

Antonii

Digitized by Google

Antonii DE GUEVARA De *Perſeverantia Oratio.*

Vxor Loth in ſtatuam ſalis converſa.

NOn minima ſapientiæ pars cenſetur, Fratres chariſſimi, ab aliis exemplum capere, ut aliorum incommodis edocti, melius ſapere, & ex aliorum vitiis, noſtra emendare diſcamus. At profecto, ſi omnia executiamus, nihil omnibus in rebus, ſi modo voti noſtri compotes fieri velimus, magis neceſſarium eſt, quam ut in bono perſeveremus. Exemplo nobis ſit uxor Lothi, cui non minus quam marito interdictum fuerat, ne Sodomis egreſſa reſpiceret: quod interdictum quum contemſiſſet, in ſtatuam ſalis converſa fuit. Quod vero in ſalis ſtatuam, & non in aliud ſaxi aut lapidis genus mutata dicitur, myſterio non caret. Hoc enim ii homines denotantur qui ubi boni quid agere cœperint, mox deficiunt, nec in inſtituto perſeverant, ut & alii, qui in rebus adverſis reſpiciunt, id eſt, animum deſpondent, & de promiſſione Dei dubitant, & de auxilio deſperant. Salis inſuper illa ſtatua nos monet, ne inſulſi ſimus, id eſt, ſtolidi & fatui, omnique quaſi ſapientia deſtituti. Hanc enim hiſtoriam Nicolaus Lyranus & alii Catholici Doctores myſtice ſic interpretantur. Quemadmodum, inquiunt, ſal omnium ciborum condimentum eſt, ſine quo vix quidquam palato ſapere poteſt: ſic pœna hujus mulieris virtutes & ſapientiam commendare nobis debet, ut tanto eas tenacius amplectamur, & à vitiis deſiſtamus. Hinc etiam D. N. & Salvator Lucæ XVII eos hortatur qui in agro ſunt, ne revertantur. Myſtice per uxorem Lothi denotantur ii qui à divina gratia vocati ſunt, ſed ad ea quæ antea deſeruerant, mox retrovertuntur. De quibus idem D. N. & Salvator Lucæ IX. loquitur, dum ait, eum qui aratro manum admoverit, & retroſpiciat, non eſſe aptum ad regnum Dei. Quibus omnibus monemur, ne ſi à peccatis deſtiterimus, ad vomitum redeamus, niſi æternum velimus ſubire ſupplicium. Quod ergo Lothi uxor retroſpiciens in ſalis ſtatuam mutata, nobis ob oculos ponitur, eo fit, ut exemplo ipſius territi, melius ſapiamus, & tam temeritatem quam ſecordiam fugere diſcamus.

Sed inprimis illud hic nobis præcipitur, ut in bono ſemper progrediamur, neque umquam manum remittamus. Quo loco diligenter notanda ſunt ea quæ de Perſeverantia S. Bonaventura ſcribit, nimirum: Perſeverantiam triplicem eſſe. Primam eſſe voluntaris, qua omnes paſſiones & affectus vincuntur & quaſi vinciuntur: Et hæc illa virtus eſt quæ Fortitudo appellatur. Deinde perſeverantia quoque appellatur bonum propoſitum in bonis operibus & virtutibus perſeverandi: & hæc illa eſt proprietas, quæ ad omnes virtutes requiritur. Tertio Perſeverantia dicitur illa, qua quis ipſo actu in bono ad finem perſeverat.

Perſeverantiam Theologi ſingularem virtutem eſſe dicunt, cujus munus eſt, in omni opere bono & laudabili quæ ſuſtinenda ſunt ſuſtinere, & ad finem uſque, vel quam diu neceſſarium fuerit perdurare. S. Thomas quomodo ſpecialis virtus ſit Perſeverantia declarans, inquit, Perſeverantiæ objectum eſſe rem bonam, ſed gravem & difficilem: eoque fieri ut ſi ſpecialis cauſſa illius difficultatis incidat, ibi quoque peculiaris virtutis nomen Perſeverantia illa accipiat.

In virtutum objectis duo plerumque ſunt, Bonitas nempe & difficultas: & quidem tam in ſpecie facti, ſecundum rationem proprii objecti, quam in temporis continuatione ſeu perſeverantia.

Quemadmodum vero Temperantia & Fortitudo ſpeciales ſunt virtutes, quum illa moderatio ſit voluptatum, per ſe frænatu difficilium: hæc audaciæ & timiditatis, maxime in iis quæ mortis pericula & dolores concernunt: ſic Perſeverantia ſpecialis virtus eſt, & in boni ad finem uſque perduratione conſiſtit. Hanc virtutem S. Bernardus ita commend‍at: ut Chriſtiano homini illud unum aſſidua mente cogitandum, & opere implendum dicat: *Perſevera, perſevera, perſevera.* neque enim coronatum iri niſi qui ſtrenue decertarit: at ſtrenue decertare eum ſolum, qui ad finem uſque in bono perſeverat. Alio loco idem Bernardus inquit: Sine perſeverantia nec ſervitium mercedem, nec beneficium gratiam, nec fortitudinem laudem mereri. Quod ſi aſtutia Samſonis, & Salomonis ſapientia perſeverantiam habuiſſent continentem, nec illum roboris, nec hunc ſapientiæ cum tanto etiam animæ periculo jacturam facturum fuiſſe. S. Hieronymus inquit, apud bonos Chri-

ſtianos non initium ſed finem eſſe quærendum: pro exemplo nobis D. Paullum Apoſtolum proponens, qui male cœperit, ſed bene curſum finiverit: quum Judæ felix prædicetur initium, ſed exitus plusquam infauſtus. Qui enim bene incipiunt, nec in propoſito perſeverant, tanto graviorem ſibi damnationem acerſunt: ſicut hoc quam plurimis aliorum quoque exemplum demonſtrari poſſet.

D. Gregorius de Perſeverantia loquens ait, Fruſtranea eſſe omnia bona opera, ſi non finem uſque vitæ ſine ceſſatione continuentur. Fruſtra enim ad metam currit, qui in medio ſubſiſtit curſu; nec progreditur. Id faciunt quotquot initio quidem rem magno calore aggrediuntur, ſed mox tepeſcunt, immo plane refrigerantur & cœpta omnino omittunt. D. Auguſtinus in epiſtola ad Fratres in eremo Perſeverantiam mirum in modum commendat, illud D. Paulli inculcans, dicentis, neminem coronatum iri niſi qui decertarit, & ad finem uſque perſeverarit. Quocirca parum eſt bene incipere, niſi quis etiam conſtanter progrediatur. Multi cum Iſraelitis per deſertum ambulant, ſed pauci in terram promiſſam perveniunt. Idem dicit, Perſeverantiam informare merita noſtra, recreare currentes, coronare pugnantes, & ad ſalutis ſtatum perducere. Longam hanc illam eſſe ad talarem Jobi veſtem, & caudam hoſtiæ Deo immolandæ. Hanc unicam illam eſſe virtutem qua Deo conciliemur & devinciamur.

Et ſane hæc illa virtus eſt, quæ martyribus, virginibus, Confeſſoribus immarceſſibilem illam coronam impoſuit. Hæc illa veſtis eſt ſine rugis, ſine omni macula. Cave ô Chriſtiane quiſquis bene cœpiſti, ne cadas, ne deſiſtas; ne ſis inſtar fœni, quod jam viret, ſed defectum ſtatim marcet. Laboremus diligenter, perſeveremus conſtanter. Vos in primis, ô Monachi, vos ô Virgines, ita currite ut comprehendatis, & inoffenſo pede ad calcem perveniatis. Cogitate, Fratres chariſſimi, diabolum quidquid poteſt, ſic currentibus objicere, ut vel eos retardet & à curſu abſterreat, vel etiam omnino ſupplantet; illorum deinde caſu ad peſſimos ſuos conatus abutatur. Contra has inſidias nullum præſentius eſt remedium quam Perſeverantia. Hæc enim ſola ita comparata eſt, ut bonum cœptum felici coronare poſſit exitu: ut ſic prima ultimis, & media utriſque reſpondeant. Turpe profecto monſtrum eſt, quod pulcrum habet initium, & malum finem. Longe turpiſſimum vero eſt, quod juſtitiæ prima ſui parte conſentaneum videtur, ſed poſteriori in iniquitatem exit. Monſtrum Horatius ridiculum fore dicit: *Monſtri inſtar eſt, bene excipere & male finire.*

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris: ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

At mihi credite, turpius monſtrum eſt, vita bene cœpta, ſed male continuata, ac peſſime terminata. Monſtra ſunt, qui caput hominis ſed ventrem bovis, & pedes lupi habent. Quid, quæſo, juvat, viam ingredi niſi progrediare, & niſi ad deſtinatum pervenias locum: ſatius profecto fuerat, viam veritatis numquam cognoviſſe, quam ab ea deflectere. Hoc ſcitote, aut in bono vobis perſeverandum, aut mortem ſubeundam. Si ergo jam operi manum admoviſtis, ſi ædificare cœpiſtis, in opere ſtrenue pergite, nec prius deſiſtite quam ſupremam operi impoſueritis manum. Quod ſi nondum cœpiſtis; agite quamprimum vos operi accingite. Si diabolo florem ætatis veſtræ conſecraſtis, ſaltim fæces Deo conſecrate. Miſericors eſt Deus noſter: neminem ad ſe quamvis ſero venientem ſpernit, neminem repellit. Cum filio perdito vos obviis ulnis excipiet; candida vos induet veſte: annulum digitis veſtris inſeret, & calceis induet pedes veſtros. Tunc renovabitur ut aquilæ juventus veſtra. Semper ob oculos vobis ponite Judæ Iſcariotis exemplum, cujus præclara initia turpiſſimum & cum æterno animæ exitio conjunctum habuere exitum. *Pœnitētia vera numquā eſt ſera.* Saulis & Salomonis exempla in memoriam vobis revocate, qui per inconſtantiam in ſummum dedecus & extrema pericula ſunt delapſi. Magnus eſt eorum numerus qui bene cœperunt: ſed exiguus eorum qui conſtanter perſeverarunt. Eſtote prudentes, & caute ambulate. Qui ſtat, videat ne cadat. Beatus, atque iterum beatus eſt, qui in bono bene incipit, & in eo ad finem uſque perſeverat. Non enim qui bene cœperit, ſed qui ad finem perſeveraverit, ſalvus erit. Recte D. Auguſtinus Perſeverantiam in bono certum prædeſtinationis & electionis ad æternam ſalutem ſignum eſſe ait. Et S. Bernardus Perſeverantiā ait finem eſſe & perfectionē omnium virtutū, & bonorum operum theſaurum, ſine qua nemo Deum videre, aut æternam gloriam adipiſci poteſt.

Qua-

Digitized by Google

Quænam omnium virtutum regina ſit.

HOc loco non abs re facturus mihi videor, ſi illud breviter diſquiram, quænam omnium virtutum ſit nobiliſſima & maxime neceſſaria, adeoque digna quæ ceterarum Regina dicatur.

Hanc quæſtionem multi quidem doctrina & Chriſtiana pietate præſtantes viri ventilarunt: quibus tamen omnibus parum inter ſe convenit: ut verum hic ſit illud. Quod capita tot ſenſus. Horum ego aliquot opiniones indicabo, deinde meam exponam.

An Humilitas, Sunt qui Humilitati primas adſcribant, ut quæ radix ſit & fundamentum ceterarum virtutum. Id ſentire videtur D. Gregorius, inquiens, Qui ceteras omnes virtutes habeat, humilitatem vero non habeat, ſimilem eſſe ei qui cineres in vento ferat. Hos enim ſtatim diſſipari; ac tantum abeſſe ut integri domum deportari queant, ut etiam ferentis oculos oppleant & excæcent. Nec ab hac ſententia alienus eſt D. Auguſtinus quando ait, per Humilitatem Deum factum eſſe hominem, per eam mortali vitam eſſe datam, per eam cœlos apertos, Mundum purgatum, & animas è limbo liberatas. Idem D. Virginis Mariæ humilitatem januam Paradiſi, & ſcalam cœli appellat, per quam Deus in terram deſcenderit. Ex quibus non injuria colligere quis poſſit, Humilitatem omnium virtutum eſſe præcipuam & quaſi reginam. Sed hæc ſententia à vero aliquantum diſcrepare mihi videtur. Poteſt enim ficta eſſe Humilitas: de qua Eccleſiaſticus cap. XIX. ſic loquitur. *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo. Et eſt juſtus, qui ſe nimium ſubmittit à multa humilitate: & eſt juſtus qui inclinat faciem ſuam, & fingit non videre ſe quod ignoratum eſt.* Talis eſt hypocritarum Humilitas, quam externis illi moribus ac geſtibus præ ſe ferunt, animis interim in modum elati.

An Fides Alii Fidem omnium virtutum reginam faciunt: quam D. Paullus Apoſtolus vocat ſperandarum rerum ſubſtantiam, & non apparentium argumentum. Idem ait, ſine fide impoſſibile eſſe, placere Deo. S. Auguſtinus Fidem vocat omnis boni fundamentum, & principium ſalutis, ſine qua nemo Filiorum Dei numero adſcribi poſſit, ſine qua etiam nemo in hac vita juſtitiam, aut in altera illa æternam felicitatem queat adipiſci. Sed quamvis magnam virtutem Fidem eſſe non negem: reginam tamen omniũ virtutum eſſe dicere vix auſim, quum Fides etiam in malis Chriſtianis, adeoque in ipſis diabolis reperiatur, Teſte enim D. Jacobo Apoſtolo. Et dæmones credunt, & contremiſcunt: quamvis hoc de Fide actuali, non vero infuſa intelligendum ſit.

Sapientia an ſumma virtutũ. Nonnulli cum Salomone Sapientiæ primas tribuunt. Salomon certe eam non formæ tantum, dignitatibus, divitiis, & ſi quæ alia bona externa ſunt, ſed omnino omnibus rebus hujus vitæ præfert: eoque ad illius ſtudium omnes exhortatur. Apud illum Sapientia de ſeipſo ſic loquitur: *Accipite diſciplinam meam & non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite.* Et paullo poſt: *Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperna & juſtitia. Melior eſt fructus meus auro & lapide pretioſo: & gemmina mea argento electo.* Quid multis? Hanc unam virtutem tot nominibus commendat, ut nec argento, nec auro, nec gemmis comparari poſſit aut debeat. Unde concludunt nonnulli, hanc inter omnes virtutes tenere Principatum. Sed & hi meo judicio, à ſcopo aliquantum aberrant. Duplex enim eſt Sapientia. Una bona, altera mala. Hæc tamen aſtutia vel calliditas potius dicenda eſt. De hac Sapientia loquitur D.N & Salvator Jeſus Chriſtus, Luc. XVI. inquiens, Filios hujus ſæculi ſapientiores ſeu prudentiores eſſe filiis lucis, in generatione ſua. Et D Paullus hanc intelligit quando dicit, Sapientiam carnis, mortem eſſe. Et alibi: Sapientiam hujus Mundi, ſtultitiam eſſe apud Deum.

An Caſtitas ſeu Virginitas. Non deſunt qui omnibus virtutibus Caſtitatem ſive immaculatam Virginitatem præferunt: quæ inter alia hoc elogium meruit, ut Angelorum ſoror dicatur. Ait S Hieronymus, illibatam in ſæculari ſtatu caſtitatem & omni carnis appetitu carentem, non humanam, ſed angelicã eſſe vitam. Et S Ambroſius hominum virginitatem, Angelorum virginitati præfert: quum homines ex devictis in corde cupiditatibus, magnam victoriæ laudem adipiſcantur: Angeli vero, ut qui nullos ſentiunt carnis ſtimulos, caſtitatem facile tueri poſſint, Quod locis quibusdam perpetua nix reperitur, non adeo mirũ eſt, quum nec pedibus ibi conculcetur, nec ſolis radiis liquefiat. At quis non miretur, ſi nix pedibus conculcata, medio in cœno candorem tueatur? Eodem modo, quamvis Angeli in

niſi nulla eſt contrarietas, ubi nullæ ſunt tentationes, virgineam ſuam puritatem conſervent, non uſque adeo mirum videri debet. At hominem carne circumdatum, in media hominū turba viventem, tot tantiſque expoſitum tentationum ſtimulis, illibatam tueri pudicitiam, ut rarum, ita ſumma laude dignum, & quaſi quiddam divinum eſt. Quia ergo ex iis quæ dicta ſunt pater, hominum Virginitatem multo plus laudis mereri quam Angelorum caſtimoniam; non inepte quidam exiſtimare videntur, Caſtitatem omnium virtutum eſſe reginam. Sed & horum opinio, ut quidem ego ſentio, à vero deviat: quum virginitas & caſtimonia ejuſmodi plerumque cum ſtulta quadam arrogantia, & arrogante ſtultitia conjuncta ſit, ut videre eſt in quinque illis fatuis Virginibus, quæ etſi Virgines fuerint, oleum tamen in lampadibus ſuis non habuerunt, eoque cœlo excluſæ, nuptialibus epulis & gaudiis, quæ ſpe jam devoraverant, privatæ ſunt, audientes illud: Non novi vos.

An Spes. Quidam Spem ſupremo inter omnes virtutes loco collocant. Unde Salomon Beatum in Domino ſperantem appellat. Et regius vates, Beatus, inquit, vir qui ſperat in eo. Sanctus Auguſtinus virtutem hanc ad cœlum laudibus extollens, turrim eam munitiſſimam vocat, in quam qui confugiunt, non confundantur, ſed gratia repleantur, non decipiantur, ſed illuminentur, non fame contabeſcant, ſed ſaturentur. Ab hac eadem ait timorem hominum expugnari, & omne mundanum ſolatium annihilari, falſas & inanes cupiditates extingui, ſuperbiam contemni, invidiam retundi; omnia denique vitia profligari. In hac ait charitatem regnare, ut quæ omnia credat ad ſalutem neceſſaria, & promiſſa divinitus patienter exſpectet. Hac ait cogitationes noſtras acui, charitati imponi faſtigium, eamque ad hoſtes etiam extendi. Hac ait Patriarchas omnia viciſſe, prophetas omnia ſuſtinuiſſe, Apoſtolos etiam mortem ultro lætis animis ſubiiſſe. Hac una freti martyres cruciatus acerbiſſimos, duriſſima ſupplicia Virgines ſuſtinuiſſe, & Confeſſores omne genus contumelias perpeſſos eſſe. Hanc eandem ait tam in cœlibatu quam in matrimonio caſtitatis & continentiæ eſſe cuſtodem. Hanc orphanorum & viduarum, hanc ægrotorum, hanc egenorum, hanc peregrinorum, unum eſſe ſolatium. Hac denique omnia hujus vitæ incommoda & miſerias non patienter tantum, verum etiam alacriter perferri ac ſuperari. Ex his tam præclaris elogiis nonnullis Spes omnium virtutum regina eſſe videtur. Sed his in mentem illud revocandum eſt, etiam improbos Spem habere, quamvis vanam & ſtultam. Hinc Magiſter ſententiarum talem non Spem, ſed præſumtionem & ſtultam confidentiam appellandam eſſe dicit. Et Salomon Proverb. X. inquit, Spem impiorum perituram.

De Juſtitia. Alii ſupremam inter virtutes excellentiam Juſtitiæ adſcribunt, ut quæ non ſolum ſuum cuique tribuat, verum etiam pacem & concordiam, immo ipſa regna conſervet. Hanc D. Auguſtinus non uno loco commendat, inquiens, Per hanc caſtitatem & puritatem regnare, per hanc florere dignitates, & per hanc patientiam operari. Qui hanc amplexus fuerit, unà cum Moyſe & Iſraelitis per cruore peccatorum rubefactum mare ſiccis pedibus tranſiturum. Hanc menſuram eſſe qua pœnæ menſurandæ, & merita magna & parva ponderanda ſint. Infinita ſunt, quæ in hujus virtutis laudem adferri poſſint. Eoque non abſurda eorum videtur ſententia, qui Virtuti huic principem locum aſſignant. Sed enim fieri ſæpe videmus, hanc ipſam virtutem non incorrupte ſervari, ſed vel amore, vel odio, vel donis & muneribus inflecti. Bene notandum mihi illud videtur quod Iſaias cap. XI. inquit: *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Quo innuitur, quemadmodum cingulo media pars corporis cingitur: ſic Juſtitię eſſe ſemper & in omnibus mediū tenere, & ex æquo omnibus, magnis & parvis, divitibus & egenis, dominis & ſervis, jus eſſe adminiſtrandum. At quis non videt, cingulum hoc non medio ſemper circumduci, ſed nimis ſæpe ad zonam, quæ à cingulo dependere ſolet, ſeſe inflectere: ſic ut corrupti muneribus judicès, innoxios condemnent, & nocentes abſolvant. Et profecto tam rara hæc virtus eſt, & etiamſi præſtantiſſimam eam eſſe lubens fatear, tamen ob idipſum quod in tam paucis reperitur, principatum ei adſcribendum non putem.

De Patientia. Patientiam alii ſummis laudibus extollunt, & omnium rerum perfectionem in ſe complecti dicunt. Hinc S. Jacobus ait, Patientiæ opus perfectum eſſe debere: Quaſi diceret, Qui patientiam poſſideant, perfecta opera facere: & poſt multos

Digitized by Google

multos exantlatos labores, perfectam felicitatem adepturos. Gloſſa vero ſuper illud Salvatoris, *In patientia poſſidebitis animas veſtras*, Patientia, inquit, radix eſt & clypeus omnium virtutum. Unde non immerito videtur inferri poſſe, primum locum inter omnes virtutes Patientiæ ſeu Tolerantiæ deberi. Sed & iſti hallucinantur. Multi namque reperiuntur qui patientiſſime adverſa quæque tolerant interim tamen omni vitiorum genere pleni ſunt. Divinæ Revelationis D Joanni Apoſtolo factæ capite II. hæc verba habentur. *Angelo* (id eſt Epiſcopo) *Epheſi Eccleſiæ hæc ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio candelabrorũ aureorum: Scio opera tua, & laborẽ, & patientiam tuam; & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & inveniſti eos mendaces: Et patientiam habes; & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Sed habeo adverſum te pauca, quod charitatem tuã primã reliquiſti Memor eſto itaq; unde excideris: & age pœnitentiã, & prima opera fac, &c.* Ex quibus verbis luce clarius apparet, Patientiam non modo non ſummam, ſed aliquando ne virtutem quidem eſſe.

An Fortitudo, Alii Fortitudinem ceteris virtutibus anteponunt; quum Sacra Scriptura Domini gaudium noſtram appellet Fortitudinem. S. Ambroſius Fortitudinem ait, ceterarum virtutum decus conſervare & tueri, pugnare contra vitia, neque umquam vinci, ſed ſemper victricem diſcere. Unde quidam efficere volunt, Fortitudinem pro virtutum præcipua habendam. Sed & horum opinio à vero non parum abeſt. Nam Fortitudo ſuperbiam ſæpe & proximi contemptum habet adjunctum. Hinc Dominus apud prophetam Iſaiam cap. XIII. dicit: *Ecce viſitabo ſuper orbis mala & contra impios iniquitatem eorum Et requieſcere faciam ſuperbiam infidelium; & arrogantiam Fortium humiliabo.* Sed & docet experientia multos ſæpe fortitudine ad res vanas, immo impias quandoque abuti: quibus cum propheta dicere licet: *In vanitatibus conſumpſi fortitudinem meam.* Ex quo manifeſtum eſt eos quoque errare qui primum inter virtutes locum Fortitudini adſcribunt

De Miſericordia. Nonnulli Clementiam ſeu Miſericordiam omnium virtutum reginam faciunt, ut quæ aditum nobis ad cœlum aperiat, teſte ipſo D. N. & Salvatore Jeſu Chriſto, qui Miſericordes beatos appellat, eo quod & ipſi miſericordiam à Domino ſint conſecuturi. Et S. Auguſtinus tantam vim & efficaciam Miſericordiæ eſſe ſcribit, ut nunquam inanis ad auctorem redeat. Salomon Proverb. XI. ait: *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors. qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abjicit.* Ex ibidem: *Clementia præparat vitam. & ſectatio malorum mortem.* Idem miſericordiam Deo omni ſacrificio gratiorem eſſe dicit. Michæas propheta non ſolum miſericordiam nobis commendat, ſed & regulam quandam, ad quam ea exerceri debeat, præſcribit, nimirum, ut judicium faciamus, & miſericordiam diligamus. Quia ergo tanti apud Deũ eſt miſericordia, præcipuum ei inter virtutes locum quidam tribuere non dubitant. Sed & hi in errore ſunt. Videas enim non paucos Miſericordiæ ſtudere operibus, eleemoſynas largiendo, nudos veſtiendo, eſurientes paſcendo; ac impiam interim vitam agere, fœnore alios exhaurientes, aut per fraudem circumvenientes: idem facientes ac ſi quis bovem furatus, exta deinde pro eleemoſyna pauperibus erogaret: aut ſi quis viginti ſpoliaret, & unum deinde nudum veſtiret. Talis miſericordia Deo nequaquam accepta eſt, quum, Syracide teſte, impiorum ſacrificiis Deus non delectetur, nec ad injuſtorum holocauſta reſpiciat. Nec profecto ſacrificiis ejuſmodi peccata expiari poſſunt. Qui vero de pauperum ſpoliis ſacrificat, idem facit ac ſi filium in conſpectu patris jugularet. Ex quo facile colligi poteſt, neque huic virtuti inter reliquas regnum deberi,

De Temperantia. Sed & illi à ſcopo aberrare mihi videntur, qui Temperantiæ primas tribuunt: quamvis ea una ſit ex quatuor cardinalibus virtutibus; cujus munus in coercendis cupiditatibus verſatur. S. Bonaventura Temperantiam pro materiæ vel objecti, à quo cupiditates excitantur, qualitate deſcribendam eſſe dicit. Unde intelligitur, Temperantiam malarum tantũ cupiditatum eſſe directricem, vel potius victricem: ſicut Temperantia circa pravas tantum cupiditates refrænandas verſetur. Quod vero virtus hæc ceterarum regina dici non poſſit, inde præcipue patet, quod Charitate, quæ eſt omnis perfectionis vinculum, caret.

De Charitate. Hinc multo ſane meliori judicio & ratione nonnulli præcipuũ inter virtutes locũ Charitati adſcribunt: ut in qua, S. Gregorio atteſtante, cetera-

Digitized by Google

ceterarum omnium bonitas & perfectio conſiſtat. Atque ideo hæc non virtus ſimpliciter, ſed forma virtutis à Philoſophis vocatur. Nam ſicut forma, ſecundum Philoſophorum placita, dat eſſe rei; ſic Charitas ceteras virtutes informans, facit ut virtutes dici mereantur. Sed non ipſi tantum virtuti, ſed operibus quoque virtutis perfectionem largitur Charitas, ut per ea homo ultimum finem, qui per ſe Deus eſt, aſſequi poſſit. Multo vero perfectius eſt id quod primo & per ſe in Deum dirigitur, quam quod aliud reſpicit. Talis vero eſt Charitas ſive Amor Dei, cujus primus & unus ſcopus eſt cum Deo ſe conjungere. De hac Charitate S. Paullus Apoſtolus, altiorē nobis ad cœlum viam monſtrans, I. ad Corinth. XIII ſic loquitur: *Si linguis hominum loquar & angelorum, Charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuerim prophetiam & noverim myſteria omnia & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita ut montes transferam: Charitatem autem non habuero, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.* Ex quibus & aliis, quæ plures adferri hic poſſent, rationibus, effici videtur, Charitatem omnium virtutum eſſe reginam.

De Perſeverantia. Verum enimvero ſentiant alii quod volunt, mihi quidem Perſeverantia, quamvis cardinalibus virtutibus non annumeretur, omnium tamen virtutum excellentiſſima magiſtra & regina videtur: ut ſine qua ceteræ omnes inanes ſunt & infructuoſæ. Ipſum Salvatorem noſtrum audiamus. *Qui*, inquit, *ad finem uſque perſeverat ſalvus erit.* Non dicit, qui incipit, qui progreditur; ſed, qui perſeverat. S. Gregorius omnem bonorum operum bonitatem in Perſeverantia ſitam eſſe dicit. Hæc multis V. T. typis fuit adumbrata, præcipue vero eo quod Deus in lege præcepit, ut in ſacrificiis cauda hoſtiæ unà combureretur. Caudam vero hoſtiæ immolat qui bonorum operum ſacrificium bono fine conſummat. Et Joſephus à patre Jacobo plus ceteris dilectus, tunica talari indutus fuiſſe dicitur, quæ nihil aliud eſt, niſi bonus finis. S. Gregorius Mariæ Magdalenæ & comitum ipſius, quæ ad Chriſti corpus ungendum venerant, amorem deprædicans, vim ejus inde potiſſimum demonſtrat, quod quum diſcipuli omnes à ſepulcro receſſiſſent, ipſæ tamen recedere ab eo noluerint. Atque eam ob cauſſam Chriſtum quoque poſtquam à mortuis reſurrexit, primum ipſis apparuiſſe, ut quæ ſingulari charitate & zelo ipſum ante quæſiverant. Et S. Ambroſius in eandem ſententiam ſcribit, Chriſtum Mariæ Magdalenæ primum à ſurrectione ſe conſpiciendum exhibuiſſe, quod incredibili charitate incenſa, apud ſepulcrum ſubſtitiſſet. Sic ſapientes illas virgines nullam aliam ob cauſſam à ſponſo fuiſſe intromiſſas, quā quod adventum ipſius magna vigilantia exſpectarint, & in bono ad finem uſque perſeverarint. Quibus etiam S. Auguſtinus iisdem fere verbis, in libro De verbis Domini, adſtipulatur.

Perſeverantia virtutū præcipua. Ex his omnibus recte concludi poteſt, Perſeverantiam omnium aliarum virtutum reginā eſſe. Quid enim, quæſo, profuturum ſit tibi; ſi hodie credas, cras vero rurſus infidelis fias? Quam mercedem ſperare poteris, ſi hodie caſtimoniam ſerves, at cras libidine te polluas? Quē fructum adferet tibi hodierna humilitas, ſi cras ei ſuperbia & arrogantia ſuccedat? Quid profuerit, ſi hodie quidvis perferas ac patiaris, cras vero ita moroſus ſis, ut nemo te jam ferre poſſit? An ex temperantia laudem aliquam ſperabis, ſi hodie abſtemius ſis & continens, cras vero hellueris ac libidineris? Quid prodeſt, ſi quis hodie Deum amet, cras negligat? atque utinam non ſint, qui nullum eſſe Deum cupiant, quo impune peccare poſſit. Quid prodeſt, ſi hodie mitis ſis & beneficus, cras immiſericors & ſævus? Quid liberalitatem profuturam tibi exiſtimas, ſi hodie egenis de tuo largiaris, cras de alieno rapias, quà vi quà fraude? Quid profuerit, ſi hodie jejunio & precibus vaces, cras vero quodvis flagitium & ſcelus deſignes!

Hæc quum ita ſe habeant, agite, in virtutum ſtudia & bona opera ita incumbamus, ne umquam remittat manus noſtra, ne retroſpiciamus, multo minus retrogrediamur, ſed ut in Fide, Spe & Charitate, per aſſiduum jejunii & precationis uſum ad finem uſque perſeveremus, donec tandem ex hac lachrymarum valle & exſilio ad cœleſtem patriam perducamur.

An-

Digitized by Google

Antonij DE GUEVARA

EPISTOLA.

De *Matrimonialium ſacrorum ritibus.*

Matrimonium omnium populorũ & ſeculorum conſenſu probatũ.

AB omnibus, qui unquam fuere, populis, & in omnibus mundi regnis ſemper & approbatum & receptum fuit conjugium, cum abſque eo neque hominum frequentia mundus celebrari, neque gens humana propagari poſſit. Ac ſane circa approbationem, commendationem & acceptationem conjugii nulla fuit ullius ſeculi cum altero diſcrepantia: In ceremoniis vero formaque contrahendi matrimonii magna fuit inter priſci ævi homines diverſitas. Non minore enim illi in contrahendis conjugiis varietate, quam in liguriendis hodie eduliis lurcones, utebantur.

Plato divinus in libris de Republica docebat ac ſuadebat, ut non tantum animantes ac poſſeſſiones, ſed etiam mulieres eſſent communes. Duobus enim his verbis, hoc eſt meum, hoc eſt tuum, è medio ſublatis, nullas fore in mundo contentiones affirmabat. Plato ob ea quæ clare dixit plurima, divinus autor dicitur. Sed humanus optimo jure dicendus eſt, qui præceptum tam profanum dedit. Quid enim abſurdius dici, quid à ratione alienius cogitari poteſt, veſtes quidem proprias, uxores vero communes eſſe? Bruta non diutius fœtus ſuos agnoſcunt, quam donec uberibus illos nutriant. Idem vel etiam peius aliquid inter homines eventurum eſſet, ſi mulieres eſſent in civitate communes. Utut enim matrem, ex qua natus eſſet aliquis, agnoſceret, patrem certe, à quo procreatus eſſet, ignoraret.

Tarentum urbs apud veteres clariſſima, & non vulgaris Romanorum terror fuit. Ejus incolæ in more habebant, ut juſtum quærendorum liberorum gratia ducerent uxorem; ſed præter eam duas voluptatis gratia pellices eligere licitum erat.

Spartianus Ælium Verum Imperatorem in re uxoria maxima libertate vel potius licentia fuiſſe uſum refert, eumque uxori, quæ & ætate & forma pollebat, de extraneis conquerenti voluptatibus dixiſſe narrat; Non eſt quod de me queraris uxor: Tua quippe utor conſuetudine, quoad ex me concipias: reliquo tempore per alias exercere cupiditates ſuas viris licet. Uxor enim dignitatis nomen eſt, non voluptatis: Alioqui ſarcina eſt moleſtiæ tædiique plena. Quod huic Imperatori Romano, idem Ptolemæo regi Ægyptiorum accidit, qui ut uberem reginæ conjugi querimoniarum materiam præbebat; ita pellici abunde ſatisfaciebat.

Athenæ omnium doctrinarum inventrices.

Cum autem Græci omnes ſapientes ſint habiti, tum præter cæteros Athenienſes ſapientiæ laude excelluerunt. Erant enim Athenæ tum ſapientum, qui rempublicam gubernabant, tum philoſophorum, qui ſcientias profitebantur, domicilium. Illi ergo ſapientes Athenienſium ſtatuerunt, ut ſingulis civibus duas habere juſtas uxores fas eſſet, gravi conſtituta pœna, ſi quis concubinas haberet. Si enim viri uxores ſectarentur alienas, male vivendi anſam uxoribus præberi dicebant: qua in lege ferenda illud, quemadmodum in politicis Plutarchus ait, ſpectarunt Græci, quod abſque uxoris conſuetudine vivere vir nec poſſit nec debeat, ideoque duas voluere duci, ut ſi morbo vel puerperio detineatur altera, altera domi eſſet, quæ lectum occuparet, menſamque curaret. Sed hoc etiã ſpectarunt Athenienſes legem illam ferentes, ut ſi altera ſterilis aut effœta eſſet, urbi cives altera pareret; quod ſi uſu veniret, ea quæ pariebat, pro domina, quæ non pariebat, ancillæ inſtar habebatur.

Ea lex cum ferretur, jam Socrates in matrimonio Xanthippen habebat, qui ut legi pareret, alterã quoq; ducere coactus fuit, nomine Myrto, Ariſtidis filiam; quæ cũ ſubinde zelotypia quadam in contentionem ambæ venirent, ita ut moleſta vicinis ipſarũ eſſent jurgia: Socrates; Cum me, inquit, & oculis ſtrabonem, & repandis cruribus, & capillis criſpis, & ſtatura puſillũ, & recalva fronte, & piloſis manibus & barba cana; (& ſimis naribus) eſſe videatis; cur vos, quæ pulcræ eſtis, propter me, quem adeo deformem natura finxit, jurgia contentioneſque exercetis? Quæ verba à Socrate joco dicta tantum effecere, ut ſeriæ deſinerent rixæ.

Lacenæ pluribus nubunt.

Lacedæmonii qui in pacis bellique negotiis contrarii ſemper Athenienſibus fuere, pro lege habebant, non ut duas vir uxores duceret, ſed ut duobus fœmina viris nuberet, hãc prætexentes cauſſam, ut altero in militiã profecto, domi alter maneret, Nulla enim ratione ferendũ in ci-

Digitized by Google

tantum dignitate eum exornat, ſed & prophetico ſpiritu donat: & quod omnium eſt maximum, Deum & Salvatorem totius Mundi è ſemine ipſius naſciturum promittit. Tam charus Deo David fuit, ut ipſi tribuat, quod numquam ulli hominum tribuiſſe legitur: adeo ut invento eo, exclamare non dubitarit: *Inveni virum ſecundum cor meum.* At quæ cauſſa fuit, cur tam impenſe & ardenter Davidem Deus amarit? Ea nimirum, quod David impenſe quoque & ardenter Deo ſerviret. Ex quo patet, amorem quo Deus nos complectitur, & cultum qui ipſi à nobis exhibetur, eadem menſura menſurari, & eodem pondere ponderari.

Ocium pulvinar Satanæ.

Quum hoc modo David proſpera utens corporis valetudine, auctoritate & potentia inter reges ſui temporis florentiſſimus, in pace & ſumma felicitate viveret, res quæpiam incidit, quæ non minus honorem ipſius & exiſtimationem læſit, quàm univerſum populum magno ſcandalo affecit. Veriſſimum eſt illud Poetæ:

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe.
Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

Et Principes maiorem pœnam merentur ob ſcandalum quod dant, quam ob peccatum quod committunt. Quod ſi David tum Pſalmis ſcribendis fuiſſet intentus aut foris bellum geſſiſſet, aut de publicis negociis in Senatu deliberaſſet, aut alia quæ ipſius erant muneris, obiiſſet, facile & Dei iram & populi ſcandalum vitare potuiſſet. Sed ita ſemper fuit, itaque ſemper erit, ut quibus cum hoſte foris pax eſt, domi a vitiis oppugnentur. Ait D. Auguſtinus in libro De Civitate Dei, Carthaginem poſtquam deſtructa eſſet, Romæ plus nocuiſſe quam quum opibus adhuc floreret. & armis cum ipſa vehementiſſime non utra imperaret, ſed utra eſſet, contenderet: quod ante id tempus pleraque vitia Romæ vix nomine nota eſſent, quorum poſtea veluti momento uberrima ſeges ſuccrevit.

Acrior eſt cum vitiis quam eſt hoſte contentio.

Quid vero illud eſt, inquis, quod Davidis illam felicitatem interpellavit? *Accidit quadam die, ut ſurgeret David de ſtrato ſuo poſt meridiem, & ambularet in ſolario domus regiæ: viditque mulierem ſe lavantem ex adverſo ſuper ſolarium ſuum. Erat autem mulier pulcra valde. Miſit ergo Rex; & requiſivit quæ eſſet mulier. Nunciatumque eſt ei, quod ipſa eſſet Berſabee filia Heliam, uxor Uriæ Ethæi. Miſſis itaque nunciis, tulit eam. Quæ quum ingreſſa eſſet ad illum, dormivit cum ea. Et reverſa eſt domum ſuam concepto fœtu.* Habes primum peccatum Davidis, cui feneſtram aperuit ocium. Audi reliqua.

Davidis adulterium.

Quum Berſabe vereretur ne maritus; David, ne populus flagitium hoc reſciſceret: peccatum peccato cumulare quàm deprecari maluit: ſcriptisque ad Joabum militiæ præfectum, ſub cuius ſignis militabat Urias, litteris, juſſit Uriam in primo aciei cornu collocari, ubi aſperrimum eſt prœlium, & in ipſo prœlii ardore deſeri, ut interficeretur. Quod etiam ita factum eſt. Sed ô David! Annon tuum eſt illud: *Abyſſus abyſſum invocat?* An neſciebas peccatum unum aliud poſt ſe trahere, & hoc rurſus aliud, donec tandem in ipſam abyſſum perveniatur? Non hoc te fugerat, ſed cupiditate & libidine victus, quaſi ultro manum præbuiſti: e gulæ vitio ad ocium, ex ocio ad aſpectum, ex aſpectu ad deſiderium, ex deſiderio ad ſollicitationem, ex ſollicitatione ad fraudem, ex fraude ad adulterium, ex adulterio ad homicidium progreſſus. Laqueis quidem Satanas Davidem implicuit, ſed iis quos ſibi ipſe contexuerat.

Homicidium.

Quod ſi tanto amaſſet Deum opere, quanto ab ipſo amabatur, numquam ſane ſcelere hoc ſe obſtrinxiſſet. Tantam enim eorum qui ex animo ipſum amant, eique omnibus viribus ſervire ſtudent, Deus curam gerit, ut in graviora peccata numquam eos labi patiatur. Quod vero erramus nonnumquam, decipimur, labimur, adeoque in cœno peccatorum volutamur, mirum non eſt, nec exemplo caret: quum etiam Angeli lapſi ſint & peccato involuti. Tantum Deus nobis cum lachrymis deprecandus & exorandus eſt, ut ſi forte, permittente ipſo, ceciderimus, ipſo adjuvante mature reſurgamus.

Deſerentes ſe Deus deſerit.

David oſtendere volens, quomodo Deus amicos ſuos tractet, inquit: *Non dabit fluctuationem juſto.* De peccatoribus vero: *Deduces eos in puteum interitus.* Quaſi diceret: Tanta ô Domine, tu cura & ſolicitudine tuos cuſtodis, ut etiam è mediis fluctibus emergant, malos vero & hoſtes tuos ſic perſequeris, ut etiam in terræ ſpeluncis & puteis ſubmergantur & ſuffocentur. Terribilis eſt vox illa, qua regius propheta utitur, dum dicit, malos non in flumen aut ſtagnum, ſed *in puteum interitus* deduci. Ex reliquis enim aquis, immo ex ipſo mari multi ſæpe enatarunt: at ſi quis in profundum aliquem

Digitized by Google

quem & anguſtum puteum delapſus ſit, vix vertere ſe, nedum eluctari inde poteſt. Tum vero in puteum homo delabitur, & quaſi pro conclamato habendus eſt, quando Deo permittente, peccatis ita immergitur, ut nullam inde eluctandi ac reſipiſcendi invenire poſſit viam. Hæc de peccato Davidis dicta ſunto, in quod ille quidem incidit, ſed Dei adjuvante miſericordia, mature ſeſe rurſus expedivit, ſic ut quamvis caſu hoc graviſſime fuerit afflictus, facile tamen ſit reſanatus.

Poſtridie ejus diei, quo David tantum deſignarat flagitium, à Nathane Propheta divinitus miſſo commonefactus fuit; Quandoquidem duplici crimine, adulterio nempe & homicidio ſe maculare ac Deum offendere non dubitarit, reliquum eſſe, ut hoc divina exigente juſtitia dignas tantis flagitiis exſpectet pœnas. Verbis his perculſus David ſublatis in cœlum oculis, in verbum hoc erupit: *Peccavi* Erat David magni quidem, ſed honeſti & verecundi animi. Quum ergo ſcelus ſuum propalatum audiret, non erubuit tantum, verum etiam, ut facile credi poteſt, vehementer ingemuit, & cum lachrymis dixit: *Peccavi*.

Equidem arbitror, Davidem tanto facilius à Deo veniam impetraſſe, eo quod culpam ſuam non deteſtatus modo, ſed & confeſſus ſit. Majus enim peccatum eſt, peccatum negare vel excuſare, quam ipſum peccare. Nullas latebras, nullos colores aut excuſationes David peccato ſuo quæſivit, ut diceret: infirmum ſe eſſe, & hominem à quo nihil humani ſit alienum à carne ſtimulatum, à diabolo ſupplantatum, velut ex improviſo in hoc peccatum incidiſſe: ſed culpam ingenue & ſimpliciter faſſus eſt, absque ulla circuitione dicens: *Peccavi*: ſic ut ſe ipſum accuſando, quodammodo excuſarit.

Hic illud inprimis notandum eſt, non Deum à Davide, poſtquam atrox illud peccatum commiſerat, ſed Davidem à Deo fuiſſe quæſitum & præventum. Unde patet immenſa vis divini amoris, quo Deus ſuos complectitur, adeo ut etiamſi in peccatum aliquod labantur, non tamē diu ei adhæreſcant, ſed à Deo extrahantur. Matthæum Chriſtus D. N è telonio ad ſe vocavit, Paulum in itinere Damaſcum verſus proſtravit, ſed mox erexit; cæco in via luminis uſum; claudo apud piſcinam commoranti ſanitatem reſtituit: & adoleſcentem Naimiticum quum jam efferretur, reſuſcitavit. O quanto plures ſunt, quos Deus quærit, quàm qui Deum quærunt! O ineffabilem divini amoris magnitudinem! Siccine, ô Deus, non quærentes te quæris, non rogantes ſollicitas; excitas dormientes, & nolentes etiam trahis! ſic, ut ſi quis peſſum eat, id non tam fiat ex eo quod peccarit, quam quod peccare non ceſſarit, nec vitam mature emendarit. Deo ergo ad januam cordis noſtri pulſanti aperiamus, quærenti occurramus, ſequamur ducentem, vocantem audiamus, promittenti credamus, & benefacienti ſerviamus. Tam liberalis & munificus eſt Deus noſter, ut plura nobis largiri paratus ſit quam ab ipſo petere audeamus. Illud tantum unice caveamus, ne tam beneficum dominum ad iram provocemus; quod fit, ſi in peccatis perſeveremus. Eamus cum fiducia ad thronum gratiæ ejus. Si namque Davidem Deus, à quo tantopere offenſus atque irritatus fuerat, tam ſollicite quæſivit: quis dubitet eum nobis quoque fore propitium, ſi modo ex toto animo eum colamus & veneremur. Ad domum Dei ut nemo ingredi compellitur, ita neque ingredi prohibetur. Quis non miretur, Davidem caſu tam gravi afflictum ita ſecure agere, ac ſi Deo magnum cultum præſtitiſſet: & tamen à divina gratia præveniri, excitari, & quaſi rogari, ut ſurgere modo, & domum reverti velit. Reſipiſcenti enim veniam non oblatam, ſed jam jam datam eſſe.

Neque illud prætereundum mihi videtur, quod quamvis David oculis peccarit, quibus Berſabeam aſpexit, peccarit auribus, quas amoris præbuit internunciis, peccarit manibus quibus litteras de Uria occidendo ſcripſit, peccarit corde, quo impudicum illum amorem concepit, peccarit denique toto corpore, quo adulterium commiſit; nulla tamen re magis peccarit quàm ſuo exemplo. Non legitur David hic magnam vim lachrymarum profudiſſe, non corpus jejunio aut aliis caſtigationibus, quibus ſancti homines multum uſi ſunt, & adhuc etiam utuntur, maceraſſe, non ullum votum nuncupaſſe, ſed unum tantum hoc verbum dixiſſe, *Peccavi*. Non enim ſalutis noſtræ cardo in verborum multitudine, ſed in vitæ morumque emendatione, & Chriſtiano dignis virtutibus conſiſtit.

O Jeſu benigniſſime! ô unicum animæ meæ ſolatium! Utinam, utinam eum Davide illud tantum dicere poſſim, *Peccavi*: non vero, *Pecco*, aut *Volo peccare*! Tum enim certo certior eſ- *Peccatis deſiſtendum.*

T ſem,

Digitized by Google

ſem, peccata mihi eo ipſo momento à te remiſſa eſſe, ac divinæ tuæ gratiæ & miſericordiæ fores patere. Sed væ miſero mihi & infelici homini! qui quum ad calcem vitæ meæ iam pervenerim, vix illam adhuc de moribus ac vita emendanda cogitationem ſuſcepi. Vere potuit David rex dicere, *Peccavi*; vere potuit Maria Magdalena dicere, *Peccavi*; vere potuit cruciarius dicere, *Peccavi*; Hi enim omnes peccarũt quidẽ, ſed à peccatis cõverſi, nihil magis caverunt quã ne iterũ peccarent. At miſer ego fateri & dicere cogor, non tantum me heri aut hodie peccaſſe, ſed cras etiam, adeoque ſemper peccaturum, niſi tua ô mitiſſime Jeſu, benignitas & miſericordia mihi ſuccurrat. Cado iam jam, niſi me ſuffulcias; neq; reſurgere umquam potero, niſi tu me erigas. Si David ad Deum dixiſſet, *Pecco*, aut; *Peccabo*, Domine: numquam à Deo exauditus, multo minus veniam eſſet conſequutus: ſed quia dixit, *Peccavi*, cum firmo propoſito amplius non peccandi, quamprimum verbum illud proloquutus fuit, peccati veniam meruit O ſanctam, ô benedictã, ô ſuaviſſimam D. N. Jeſu Chriſti legem! Pro tot tantisque delictis quæ quotidie committimus, Deus nihil amplius a nobis exigit quam ut cum Davide ex animo quis dicat, Peccavi Domine; neque poſthac, tua adjuvante gratia, peccabo. Quid faciam miſer! Negare non poſſum, Domine, cujus animus mihi eſt conſcius; celare non poſſum, quod tu ſolus omnium optime noſti. Puer peccavi, peccavi adoleſcens, peccavi juvenis, vir peccavi: hoc unum jam a te peto, Domine, ut gratiam tuam mihi largiare, ne in hac decrepita mea ætate peccare pergam, & quæ juvenis peccavi, ſenex quoque peccem. Peccare iam ceſſarat David, quando Deum ita deprecatus eſt: *Delicta juventutis meæ ne memineris, Domine.* Neque enim in tam tenera iſta ætate ſenſi quid facerem, nec ſcivi quid deſiderarim.

Dei ad ignoſcẽdum facilitas.

Illud quoque obſervatione dignum eſt, quod David non peccata quæ puer, ſed quæ juvenis, maturo iam & confirmato judicio, commiſerat, condonari ſibi petit. Quæ enim pueri peccant, ignorantiæ, at quæ juvenes & viri, malitiæ adſcribenda ſunt. Senex iam David delictorum juventutis ſuæ veniam rogat. & ſane credibile eſt, ſi vel minimi peccati ſibi fuiſſet conſcius in decrepita iſta ætate à ſe deſignati, ejus culpam multo magis & faſſurum & deprecaturum fuiſſe. Ex quo facile poteſt intelligi, quantum ad veniam à Deo impetrandam illud

Aetas peccata aggravat

faciat, ut & peccata corde ſentiamus, & lingua fateamur, & opere poſthac vitemus: quæ Deus quidem condonat, ſed ita ne amplius eadem committamus.

Illud denique hoc loco notandum eſt, eodem momento quo David dixerat, *Peccavi*, Deum dixiſſe, *Ignovi*. Quod ſi res actionesque hominum diligentius intueamur, videbimus profecto Deum ad peccata remittenda multo eſſe promtiorem quam nos ad fatenda, In quo ſane tacita quædam inter Creatorem & Creaturam apparet conſpiratio. Nam commiſſum adulterium ſequuta eſt Berſabee impregnatio, impregnationem proditio ad necem Uriæ, Uriæ mortem Nathanis increpatio, increpationem culpæ confeſſio & pœnitentia, pœnitentiam Dei gratia & miſericordia: ſic ut eadem celeritate qua David Dominum fugerat, à Domino quæſitus ſit & in viam reductus. Ex quo patet, Linguam quæ multis vitam ademit, Davidi vitam conſervaſſe. Nam ut culpa reum ipſum fecerat; ſic culpæ confeſſio veniam ei impetravit.

Ex quo uno patet, quantum boni bona lingua efficere poſſit, quum unum verbum ad duplicis ac tantæ noxæ expiationem ſatis fuerit. O delicatum & mirabile membrum! In tuis manibus vita & mors ſitæ ſunt. Vita quidem iis qui recte utuntur; mors, qui male. Demus ergo operam, ne cum Lucifero ſuperbe, ne cum turris Babylonicæ ædificatoribus vane, ne cum Sennacherib elate, ne cum Amalechita imprudenter, ſed cum Davide humiliter & ingenue loquamur. Loquatur unus quiſque veritatem ad proximum ſuum. Nugæ & ſcurrilia ne audiantur quidem inter nos. Bonos mores corrumpunt colloquia prava. Vitemus eos quorum guttur, ut David ait, ſepulcrum patens eſt; qui linguis ſuis doloſe agunt: quorum lingua novacula eſt acutior.

O Deus, qui vitam & mortem ac linguam noſtram in manu tua habes; da, quæſumus, ut ea ad nominis tui gloriam, proximi noſtri commodum, ac noſtram ipſorum ſalutem ſemper utamur: per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui ad vitam æternam nos perducat, Amen.

Antonii

Digitized by Google

Antonii DE GUEVARA De *Perſeverantia Oratio.*

Vxor Loth in ſtatuam ſalis converſa.

NOn minima ſapientiæ pars cenſetur, Fratres chariſſimi, ab aliis exemplum capere, ut aliorum incommodis edocti, melius ſapere, & ex aliorum vitiis, noſtra emendare diſcamus, At profecto, ſi omnia excutiamus, nihil omnibus in rebus, ſi modo voti noſtri compotes fieri velimus, magis neceſſarium eſt, quam ut in bono perſeveremus. Exemplo nobis ſit uxor Lothi, cui non minus quam marito interdictum fuerat, ne Sodomis egreſſa reſpiceret: quod interdictum quum contemſiſſet, in ſtatuam ſalis converſa fuit. Quod vero in ſalis ſtatuam, & non in aliud ſaxi aut lapidis genus mutata dicitur, myſterio non caret. Hoc enim ii homines denotantur qui ubi boni quid agere cœperint, mox deficiunt, nec in inſtituto perſeverant, ut & alii, qui in rebus adverſis reſpiciunt, id eſt, animum deſpondent, & de promiſſione Dei dubitant, & de auxilio deſperant. Salis inſuper illa ſtatua nos monet, ne inſulſi ſimus, id eſt, ſtolidi & fatui, omnique quaſi ſapientia deſtituti. Hanc enim hiſtoriam Nicolaus Lyranus & alii Catholici Doctores myſtice ſic interpretantur, Quemadmodum, inquiunt, ſal omnium ciborum condimentum eſt, ſine quo vix quidquam palato ſapere poteſt: ſic pœna hujus mulieris virtutes & ſapientiam commendare nobis debet, ut tanto eas tenacius amplectamur, & à vitiis deſiſtamus. Hinc etiam D. N. & Salvator Lucæ XVII. eos hortatur qui in agro ſunt, ne revertantur. Myſtice per uxorem Lothi denotantur ii qui à divina gratia vocati ſunt, ſed ad ea quæ antea deſeruerant, mox retroveituntur. De quibus idem D. N. & Salvator Lucæ IX. loquitur, dum ait, eum qui aratro manum admoverit, & retroſpiciat, non eſſe aptum ad regnum Dei. Quibus omnibus monemur, ne ſi à peccatis deſtiterimus, ad vomitum redeamus, niſi æternum velimus ſubire ſupplicium. Quod ergo Lothi uxor retroſpiciens in ſalis ſtatuam mutata, nobis ob oculos ponitur, eo fit, ut exemplo ipſius territi, melius ſapiamus, & tam temeritatem quam ſecordiam fugere diſcamus.

Sed inprimis illud hic nobis præcipitur, ut in bono ſemper progrediamur, neque umquam manum remittamus. Quo loco diligenter notanda ſunt ea quæ de Perſeverantia S. Bonaventura ſcribit, nimirum: Perſeverantiam triplicem eſſe. Primam eſſe voluntatis, qua omnes paſſiones & affectus vincuntur & quaſi vinciuntur: Et hæc illa virtus eſt quæ Fortitudo appellatur. Deinde perſeverantia quoque appellatur bonum propoſitum in bonis operibus & virtutibus perſeverandi: & hæc illa eſt proprietas, quæ ad omnes virtutes requiritur. Tertio Perſeverantia dicitur illa, qua quis ipſo actu in bono ad finem perſeverat.

Perſeverantiam Theologi ſingularem virtutem eſſe dicunt, cujus munus eſt, in omni opere bono & laudabili quæ ſuſtinenda ſunt ſuſtinere, & ad finem uſque, vel quam diu neceſſarium fuerit perdurare. S. Thomas quomodo ſpecialis virtus ſit Perſeverantia declarans, inquit, Perſeverantiæ objectum eſſe rem bonam, ſed gravem & difficilem: eoque fieri ut ſi ſpecialis cauſſa illius difficultatis incidat, ibi quoque peculiaris virtutis nomen Perſeverantia illa accipiat.

In virtutum objectis duo plerumque ſunt, Bonitas nempe & difficultas: & quidem tam in ſpecie facti, ſecundum rationem proprii objecti, quam in temporis continuatione ſeu perſeverantia.

Quemadmodum vero Temperantia & Fortitudo ſpeciales ſunt virtutes, quum illa moderatio ſit voluptatum, per ſe ſi ænatu difficilium: hæc audaciæ & timiditatis, maxime in iis quæ mortis pericula & dolores concernunt: ſic Perſeverantia ſpecialis virtus eſt, & in boni ad finem uſque perduratione conſiſtit. Hanc virtutem S. Bernardus ita commend: ut Chriſtiano homini illud unum aſſidua mente cogitandum, & opere implendum dicat: *Perſevera, perſevera, perſevera*. neque enim coronatum iri niſi qui ſtrenue decertarit: at ſtrenue decertare eum ſolum, qui ad finem uſque in bono perſeverat. Alio loco idem Bernardus inquit: Sine perſeverantia nec ſervitium mercedem, nec beneficium gratiam, nec fortitudinem laudem mereri. Quod ſi aſtutia Samſonis, & Salomonis ſapientia perſeverantiam habuiſſent comitem, nec illum roboris, nec hunc ſapientiæ cum tanto etiam animæ periculo jacturam facturum fuiſſe. S. Hieronymus inquit, apud bonos Chri-

Digitized by Google

ſtianos non initium ſed finem eſſe quærendum: pro exemplo nobis D. Paullum Apoſtolum proponens, qui male cœperit, ſed bene curſum finiverit: quum Judæ felix prædicetur initium, ſed exitus plusquam infauſtus. Qui enim bene incipiunt, nec in propoſito perſeverant, tanto graviorem ſibi damnationem accerſunt: ſicut hoc quam plurimis aliorum quoque exemplum demonſtrari poſſet.

D. Gregorius de Perſeverantia loquens ait, Fruſtranea eſſe omnia bona opera, ſi non finem uſque vitæ ſine ceſſatione continuentur. Fruſtra enim ad metam currit, qui in medio ſubſiſtit curſu; nec progreditur. Id faciunt quotquot initio quidem rem magno calore aggrediuntur, ſed mox tepeſcunt, immo plane refrigerantur & cœpta omnino omittunt. D. Auguſtinus in epiſtola ad Fratres in eremo Perſeverantiam mirum in modum commendat, illud D. Paulli inculcans, dicentis, neminem coronatum iri niſi qui decertarit, & ad finem uſque perſeverarit. Quocirca parum eſt bene incipere, niſi quis etiam conſtanter progrediatur. Multi cum Iſraelitis per deſertum ambulant, ſed pauci in terram promiſſam perveniunt. Idem dicit, Perſeverantiam informare merita noſtra, recreare currentes, coronare pugnantes, & ad ſalutis ſtatum perducere. Longam hanc illam eſſe ad talarem Jobi veſtem, & caudam hoſtiæ Deo immolandæ. Hanc unicam illam eſſe virtutem qua Deo conciliemur & devinciamur.

Et ſane hæc illa virtus eſt, quæ martyribus, virginibus, Confeſſoribus immarceſſibilem illam coronam impoſuit. Hæc illa veſtis eſt ſine rugis, ſine omni macula. Cave ò Chriſtiane quiſquis bene cœpiſti, ne cadas, ne deſiſtas; ne ſis inſtar fœni, quod jam viret, ſed defectum ſtatim marcet. Laboremus diligenter, perſeveremus conſtanter. Vos inprimis, ò Monachi, vos ò Virgines, ita currite ut comprehendatis, & inoffenſo pede ad calcem perveniatis. Cogitate, Fratres chariſſimi, diabolum quidquid poteſt, ſic currentibus objicere, ut vel eos retardet & à curſu abſterreat, vel etiam omnino ſupplantet; illorum deinde caſu ad peſſimos ſuos conatus abutatur. Contra has inſidias nullum præſentius eſt remedium quam Perſeverantia. Hæc enim ſola ita comparata eſt, ut bonum cœptum felici coronare poſſit exitu: ut ſic prima ultimis, & media utriſque reſpondeant. Turpe profecto monſtrum eſt, quod pulcrum habet initium, & malum finem. Longe turpiſſimum vero eſt, quod juſtitiæ prima ſui parte conſentaneum videtur, ſed poſteriori in iniquitatem exit. Monſtrum Horatius ridiculum fore dicit:

Monſtri inſtar eſt, bene excipere & male finire.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris: ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

At mihi credite, turpius monſtrum eſt, vita bene cœpta, ſed male continuata, ac peſſime terminata. Monſtra ſunt, qui caput hominis ſed ventrem bovis, & pedes lupi habent. Quid, quæſo, juvat, viam ingredi niſi progrediare, & niſi ad deſtinatum pervenias locum: ſatius profecto fuerat, viam veritatis numquam cognoviſſe, quam ab ea deflectere. Hoc ſcitote, aut in bono vobis perſeverandum, aut mortem ſubeundam. Si ergo jam operi manum admoviſtis, ſi ædificare cœpiſtis, in opere ſtrenue pergite, nec prius deſiſtite quam ſupremam operi impoſueritis manum. Quod ſi nondum cœpiſtis; agite quamprimum vos operi accingite. Si diabolo florem ætatis veſtræ conſecraſtis, ſaltim fæces Deo conſecrate. Miſericors eſt Deus noſter: neminem ad ſe quamvis ſero venientem ſpernit, neminem repellit. Cum filio perdito vos obviis ulnis excipiet; candida vos induet veſte: annulum digitis veſtris inſeret, & calceis induet pedes veſtros. Tunc renovabitur ut aquilæ juventus veſtra. Semper ob oculos vobis ponite Judæ Iſcariotis exemplum, cujus præclara initia turpiſſimum & cum æterno animæ exitio conjunctum habuere exitum. Saulis & Salomonis exempla in memoriam vobis revocate, qui per inconſtantiam in ſummum dedecus & extrema pericula ſunt delapſi. Magnus eſt eorum numerus qui bene cœperunt: ſed exiguus eorum qui conſtanter perſeverarunt. Eſtote prudentes, & caute ambulate. Qui ſtat, videat ne cadat. Beatus, atque iterum beatus eſt, qui in bono bene incipit, & in eo ad finem uſque perſeverat. Non enim qui bene cœperit, ſed qui ad finem perſeveraverit, ſalvus erit. Recte D. Auguſtinus Perſeverantiam in bono certum prædeſtinationis & electionis ad æternam ſalutem ſignum eſſe ait. Et S. Bernardus Perſeverantiā ait finem eſſe & perfectionē omnium virtutū, & bonorum operum theſaurum, ſine qua nemo Deum videre, aut æternam gloriam adipiſci poteſt.

Pœnitētia vera numquā eſt ſera.

Qua-

Digitized by Google

Quænam omnium virtutum regina ſit.

HOc loco non abs re facturus mihi videor, ſi illud breviter diſquiram, quænam omnium virtutum ſit nobiliſſima & maxime neceſſaria, adeoque digna quæ ceterarum Regina dicatur.

Hanc quæſtionem multi quidem doctrina & Chriſtiana pietate præſtantes viri ventilarunt: quibus tamen omnibus parum inter ſe convenit: ut verum hic ſit illud. Quod capita tot ſenſus. Horum ego aliquot opiniones indicabo, deinde meam exponam.

An Humilitas. Sunt qui Humilitati primas adſcribant, ut quæ radix ſit & fundamentum ceterarum virtutum. Id ſentire videtur D. Gregorius, inquiens, Qui ceteras omnes virtutes habeat, humilitatem vero non habeat, ſimilem eſſe ei qui cineres in vento ferat. Hos enim ſtatim diſſipari; ac tantum abeſſe ut integri domum deportari queant, ut etiam ferentis oculos oppleant & excæcent. Nec ab hac ſententia alienus eſt D. Auguſtinus quando ait, per Humilitatem Deum factum eſſe hominem, per eam mortali vitam eſſe datam, per eam cœlos apertos, Mundum purgatum, & animas è limbo liberatas. Idem D. Virginis Mariæ humilitatem januam Paradiſi, & ſcalam cœli appellat, per quam Deus in terram deſcenderit. Ex quibus non injuria colligere quis poſſit, Humilitatem omnium virtutum eſſe præcipuam & quaſi reginam. Sed hæc ſententia à vero aliquantum diſcrepare mihi videtur. Poteſt enim ficta eſſe Humilitas: de qua Eccleſiaſticus cap. XIX. ſic loquitur. *Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo. Et eſt juſtus, qui ſe nimium ſubmittit à multa humilitate: & eſt juſtus qui inclinat faciem ſuam, & fingit non videre ſe quod ignoratum eſt.* Talis eſt hypocritarum Humilitas, quam externis illi moribus ac geſtibus præ ſe ferunt, animis interim in modum elati.

An Fides Alii Fidem omnium virtutum reginam faciunt: quam D. Paullus Apoſtolus vocat ſperandarum rerum ſubſtantiam, & non apparentium argumentum. Idem ait, ſine fide impoſſibile eſſe, placere Deo. S. Auguſtinus Fidem vocat omnis boni fundamentum, & principium ſalutis, ſine qua nemo Filiorum Dei numero adſcribi poſſit, ſine qua etiam nemo in hac vita juſtitiam, aut in altera illa æternam felicitatem queat adipiſci. Sed quamvis magnam virtutem Fidem eſſe non negem: reginam tamen omniū virtutum eſſe dicere vix auſim, quum Fides etiam in malis Chriſtianis, adeoque in ipſis diabolis reperiatur, Teſte enim D. Jacobo Apoſtolo. Et dæmones credunt, & contremiſcunt: quamvis hoc de Fide actuali, non vero infuſa intelligendum ſit.

Nonnulli cum Salomone Sapientiæ primas tribuunt. *Sapientia an ſumma virtutū.* Salomon certe eam non formæ tantum, dignitatibus, divitiis, & ſi quæ alia bona externa ſunt, ſed omnino omnibus rebus hujus vitæ præfert: eoque ad illius ſtudium omnes exhortatur. Apud illum Sapientia de ſeipſo ſic loquitur: *Accipite diſciplinam meam & non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligite,* Et paullo poſt: *Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ & juſtitia. Melior eſt fructus meus auro & lapide pretioſo: & genimina mea argento electo.* Quid multis? Hanc unam virtutem tot nominibus commendat, ut nec argento, nec auro, nec gemmis comparari poſſit aut debeat. Unde concludunt nonnulli, hanc inter omnes virtutes tenere Principatum. Sed & hi meo judicio, à ſcopo aliquantum aberrant. Duplex enim eſt Sapientia. Una bona, altera mala. Hæc tamen aſtutia vel calliditas potius dicenda eſt. De hac Sapientia loquitur D. N. & Salvator Jeſus Chriſtus, Luc. XVI. inquiens, Filios hujus ſæculi ſapientiores ſeu prudentiores eſſe filiis lucis, in generatione ſua. Et D. Paullus hanc intelligit quando dicit, Sapientiam carnis, mortem eſſe. Et alibi: Sapientiam hujus Mundi, ſtultitiam eſſe apud Deum.

Non deſunt qui omnibus virtutibus Caſtitatem ſive immaculatam Virginitatem præferunt: *An Caſtitas ſeu Virginitas.* quæ inter alia hoc elogium meruit, ut Angelorum ſoror dicatur. Ait S. Hieronymus, illibatam in ſæculari ſtatu caſtitatem & omni carnis appetitu carentem, non humanam, ſed angelicā eſſe vitam. Et S. Ambroſius hominum virginitatem, Angelorum virginitati præfert: quum homines ex devictis in corde cupiditatibus, magnam victoriæ laudem adipiſcantur: Angeli vero, ut qui nullos ſentiunt carnis ſtimulos, caſtitatem facile tueri poſſint. Quod locis quibusdam perpetua nix reperitur, non adeo mirū eſt, quum nec pedibus ibi conculcetur, nec ſolis radiis liquefiat. At quis non miretur, ſi nix pedibus conculcata, medio in cœno candorem tueatur? Eodem modo, quamvis Angeli in

ubi nulla eſt contrarietas, ubi nullæ ſunt tentationes, virgineam ſuam puritatem conſervent, non uſque adeo mirum videri debet. At hominem carne circumdatum, in media hominũ turba viventem, tot tantiſque expoſitum tentationum ſtimulis, illibatam tueri pudicitiam, ut rarum, ita ſumma laude dignum, & quaſi quiddam divinum eſt. Quia ergo ex iis quæ dicta ſunt patet, hominum Virginitatem multo plus laudis mereri quam Angelorum caſtimoniam; non inepte quidam exiſtimare videntur, Caſtitatem omnium virtutum eſſe reginam. Sed & hominum opinio, ut quidem ego ſentio, à vero deviat: quum virginitas & caſtimonia ejuſmodi plerumque cum ſtulta quadam arrogantia, & arrogante ſtultitia conjuncta ſit, ut videre eſt in quinque illis fatuis Virginibus, quæ etſi Virgines fuerint, oleum tamen in lampadibus ſuis non habuerunt, eoque cœlo excluſæ, nuptialibus epulis & gaudiis, quæ ſpe jam devoraverant, privatæ ſunt, audientes illud: Non novi vos.

An Spes. Quidam Spem ſupremo inter omnes virtutes loco collocant. Unde Salomon Beatum in Domino ſperantem appellat. Et regius vates, Beatus, inquit, vir qui ſperat in eo. Sanctus Auguſtinus virtutem hanc ad cœlum laudibus extollens, turrim eam munitiſſimam vocat, in quam qui confugiunt, non confundantur, ſed gratia repleantur, non decipiantur, ſed illuminentur, non fame contabeſcant, ſed ſaturentur. Ab hac eadem ait timorem hominum expugnari, & omne mundanum ſolatium annihilari, falſas & inanes cupiditates exſtingui, ſuperbiam contemni, invidiam retundi; omnia denique vitia profligari. In hac ait charitatem regnare, ut quæ omnia credat ad ſalutem neceſſaria, & promiſſa divinitus patienter exſpectet. Hæc ait cogitationes noſtras acui, charitati imponi faſtigium, eamque ad hoſtes etiam extendi. Hac ait Patriarchas omnia viciſſe, prophetas omnia ſuſtinuiſſe, Apoſtolos etiam mortem ultro lætis animis ſubiiſſe. Hac una freti martyres cruciatus acerbiſſimos, duriſſima ſupplicia Virgines ſuſtinuiſſe, & Confeſſores omne genus contumelias perpeſſos eſſe. Hanc eandem ait tam in cœlibatu quam in matrimonio caſtitatis & continentiæ eſſe cuſtodem. Hanc orphanorum & viduarum, hanc ægrotorum, hanc egenorum, hanc peregrinorum, unum eſſe ſolatium. Hac denique omnia hujus vitæ incommoda & miſerias non patienter tantum, verum etiam alacriter perferri ac ſuperari. Ex his tam præclaris elogiis nonnullis Spes omnium virtutum regina eſſe videtur. Sed his in mentem illud revocandum eſt, etiam improbos Spem habere, quamvis vanam & ſtultam. Hinc Magiſter ſententiarum talem non Spem, ſed præſumtionem & ſtultam confidentiam appellandam eſſe dicit. Et Salomon Proverb. X. inquit, Spem impiorum perituram.

De Juſtitia. Alii ſupremam inter virtutes excellentiam Juſtitiæ adſcribunt, ut quæ non ſolum ſuum cuique tribuat, verum etiam pacem & concordiam, immo ipſa regna conſervet. Hanc D. Auguſtinus non uno loco commendat, inquiens, Per hanc caſtitatem & puritatem regnare, per hanc florere dignitates, & per hanc patientiam operari. Qui hanc amplexus fuerit, unà cum Moyſe & Iſraelitis per cruore peccatorum rubefactum mare ſiccis pedibus tranſiturum. Hanc menſuram eſſe qua pœnæ menſurandæ, & merita magna & parva ponderanda ſint. Infinita ſunt, quæ in hujus virtutis laudem adſerri poſſunt. Eoque non abſurda eorum videtur ſententia, qui Virtuti huic principem locum aſſignant. Sed enim fieri ſæpe videmus, hanc ipſam virtutem non incorrupte ſervari, ſed vel amore, vel odio, vel donis & muneribus inflecti. Bene notandum mihi illud videtur quod Iſaias cap. XI. inquit: *Erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Quo innuitur, quemadmodum cingulo media pars corporis cingitur: ſic Juſtitię eſſe ſemper & in omnibus mediũ tenere, & ex æquo omnibus, magnis & parvis, divitibus & egenis, dominis & ſervis, jus eſſe adminiſtrandum. At quis non videt, cingulum hoc non medio ſemper circumduci, ſed nimis ſæpe ad zonam, quæ à cingulo dependere ſolet, ſeſe inflectere: ſic ut corrupti muneribus judices, innoxios condemnent, & nocentes abſolvant. Et profectò tam rara hæc virtus eſt, & etiamſi præſtantiſſimam eam eſſe lubens fatear, tamen ob idipſum quod in tam paucis reperitur, principatum ei adſcribendum non putem.

De Patientia. Patientiam alii ſummis laudibus extollunt, & omnium rerum perfectionem in ſe complecti dicunt. Hinc S. Jacobus ait, Patientiæ opus perfectum eſſe debere: Quaſi diceret, Qui patientiam poſſideant, perfecta opera facere: & poſt multos

Digitized by Google

multos exantlatos labores, perfectam felicitatem adepturos. Gloſſa vero ſuper illud Salvatoris, *In patientia poſſidebitis animas veſtras*, Patientia, inquit, radix eſt & clypeus omnium virtutum. Unde non immerito videtur inferri poſſe, primum locum inter omnes virrutes Patientiæ ſeu Tolerantiæ deberi. Sed & iſti hallucinantur. Multi namque reperiuntur qui patientiſſime adverſa quæque tolerant interim tamen omni vitiorum genere pleni ſunt. Divinæ Revelationis D. Joanni Apoſtolo factæ cap. 2. II. hæc verba habentur. *Angelo* (id eſt Epiſcopo) *Epheſi Eccleſiæ hæc ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio candelabrorũ aureorum: Scio opera tua, & laborẽ, & patientiam tuam; & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, & non ſunt, & invenisti eos mendaces: Et patientiam habes; & ſuſtinuiſti propter nomen meum, & non defeciſti. Sed habeo adverſum te pauca, quod charitatem tuã primã reliquiſti. Memor eſto itaq; unde excideris: & age pœnitentiã, & prima opera fac, &c.* Ex quibus verbis luce clarius apparet, Patientiam non modo non ſummam, ſed aliquando ne virtutem quidem eſſe.

An Fortitudo. Alii Fortitudinem ceteris virtutibus anteponunt; quum Sacra Scriptura Domini gaudium noſtram appellet Fortitudinem. S. Ambroſius Fortitudinem ait, ceterarum virtutum decus conſervare & tueri, pugnare contra vitia, neque umquam vinci, ſed ſemper victricem diſcere. Unde quidam efficere volunt, Fortitudinem pro virtutum præcipua habendam. Sed & horum opinio à vero non parum abeſt. Nam Fortitudo ſuperbiam ſæpe & proximi contemptum habet adjunctum. Hinc Dominus apud propheram Iſaiam cap. XIII. dicit: *Ecce viſitabo ſuper orbis mala & contra impios iniquitatem eorum. Et quieſcere faciam ſuperbiam infidelium; & arrogantiam Fortium humiliabo.* Sed & docet experientia multos ſæpe fortitudine ad res vanas, immo impias quandoque abuti: quibus cum propheta dicere licet: *In vanitatibus conſumſi fortitudinem meam.* Ex quo manifeſtum eſt eos quoque errare qui primum inter virtutes locum Fortitudini adſcribunt.

De Misericordia. Nonnulli Clementiam ſeu Miſericordiam omnium virtutum reginam faciunt, ut quæ aditum nobis ad cœlum aperiat, teſte ipſo D. N. & Salvatore Jeſu Chriſto, qui Miſericordes beatos appellat, eo quod & ipſi miſericordiam à Domino ſint conſequuturi. Et S. Auguſtinus tantam vim & efficaciam Miſericordiæ eſſe ſcribit, ut numquam inanis ad auctorem redeat. Salomon Proverb. XI. ait: *Benefacit animæ ſuæ vir miſericors: qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abjicit.* Et ibidem: *Clementia præparat vitam, & ſectatio malorum mortem.* Idem miſericordiam Deo omni ſacrificio gratiorem eſſe dicit. Micheas propheta non ſolum miſericordiam nobis commendat, ſed & regulam quandam, ad quam ea exerceri debeat, præſeribit, nimirum, ut judicium faciamus, & miſericordiam diligamus. Quia ergo tanti apud Deũ eſt miſericordia, præcipuum ei inter virtutes locum quidam tribuere non dubitant. Sed & hi in errore ſunt. Videas enim non paucos Miſericordiæ ſtudere operibus, eleemoſynas largiendo, nudos veſtiendo, eſurientes paſcendo; at impiam interim vitam agere, fœnore alios exhaurientes, aut per fraudem circumvenientes: idem facientes ac ſi quis bovem furatus, ex ea deinde pro eleemoſyna pauperibus erogaret: aut ſi quis viginti ſpoliaret, & unum deinde nudum veſtiret. Talis miſericordia Deo nequaquam accepta eſt, quum, Syracide teſte, impiorum ſacrificiis Deus non delectetur, nec ad injuſtorum holocauſta reſpiciat. Nec profecto ſacrificiis ejuſmodi peccata expiari poſſunt. Qui vero de pauperum ſpoliis ſacrificat, idem facit ac ſi filium in conſpectu patris jugularet. Ex quo facile colligi poteſt, neque huic virtuti inter reliquas regnum deberi.

De Temperantia. Sed & illi à ſcopo aberrare mihi videntur, qui Temperantiæ primas tribuunt: quamvis ea una ſit ex quatuor cardinalibus virtutibus; cujus munus in coercendis cupiditatibus verſatur. S. Bonaventura Temperantiam pro materiæ vel objecti, à quo cupiditates excitantur, qualitate deſcribendam eſſe dicit. Unde intelligitur, Temperantiam malarum tantũ cupiditatum eſſe directricem, vel potius victricem: ſicut Temperantia circa pravas tantum cupiditates refrænandas verſetur. Quod vero virtus hæc ceterarum regina dici non poſſit, inde præcipue patet, quod Charitate, quæ eſt omnis perfectionis vinculum, caret.

De Charitate. Hinc multo ſane meliori judicio & ratione nonnulli præcipuum inter virtutes locum Charitati adſcribunt: ut in qua, S. Gregorio atteſtante, cetera-

Antonij DE GUEVARA *EPISTOLA.*

De *Matrimonialium ſacrorum ritibus.*

Matrimonium omnium populorū & ſeculorum conſenſu probatū.

AB omnibus, qui unquam fuere, populis, & in omnibus mundi regnis ſemper & approbatum & receptum fuit conjugium, cum abſque eo neque hominum frequentia mundus celebrari, neque gens humana propagari poſſit. Ac ſane circa approbationem, commendationem & acceptationem conjugii nulla fuit ullius ſeculi cum altero diſcrepantia: In ceremoniis vero formaque contrahendi matrimonii magna fuit inter priſci ævi homines diverſitas. Non minore enim illi in contrahendis conjugiis varietate, quam in liguriendis hodie edulis lurcones, utebantur.

Plato divinus in libris de Republica docebat ac ſuadebat, ut non tantum animantes ac poſſeſſiones, ſed etiam mulieres eſſent communes. Duobus enim his verbis, hoc eſt meum, hoc eſt tuum, è medio ſublatis, nullas fore in mundo contentiones affirmabat. Plato ob ea quæ clare dixit plurima, divinus autor dicitur. Sed humanus optimo jure dicendus eſt, qui præceptum tam profanum dedit. Quid enim abſurdius dici, quid à ratione alienius cogitari poteſt, veſtes quidem proprias, uxores vero communes eſſe? Bruta non diutius fœtus ſuos agnoſcunt, quam donec uberibus illos nutriant. Idem vel etiam peius aliquid inter homines eventurum eſſet, ſi mulieres eſſent in civitate communes. Utut enim matrem, ex qua natus eſſet aliquis, agnoſceret, patrem certe, à quo procreatus eſſet, ignoraret.

Tarentum urbs apud veteres clariſſima, & non vulgaris Romanorum terror fuit. Ejus incolæ in more habebant, ut juſtum quærendorum liberorum gratia ducerent uxorem; ſed præter eam duas voluptatis gratia pellices eligere licitum erat.

Spartianus Ælium Verum Imperatorem in re uxoria maxima libertate vel potius licentia fuiſſe uſum refert, eumque uxori, quæ & ætate & forma pollebat, de extraneis conquerenti voluptatibus dixiſſe narrat; Non eſt quod de me queraris uxor: Tua quippe utor conſuetudine, quoad ex me concipias: reliquo tempore per alias exercere cupiditates ſuas viris licet. Uxor enim dignitatis nomen eſt, non voluptatis: Alioqui ſarcina eſt moleſtiæ tædiique plena. Quod huic Imperatori Romano, idem Ptolemæo regi Ægyptiorum accidit, qui ut ubetem reginæ conjugi querimoniarum materiam præbebat; ita pellici abunde ſatisfaciebat.

Athenæ omnium doctrinarum inventrices.

Cum autem Græci omnes ſapientes ſint habiti, tum præter cæteros Athenienſes ſapientiæ laude excelluerunt. Erant enim Athenæ tum ſapientum, qui rempublicam gubernabant, tum philoſophorum, qui ſcientias profitebantur, domicilium. Illi ergo ſapientes Athenienſium ſtatuerunt, ut ſingulis civibus duas habere juſtas uxores fas eſſet, gravi conſtituta pœna, ſi quis concubinas haberet. Si enim viri uxores ſectarentur alienas, male vivendi anſam uxoribus præberi dicebant: qua in lege ferenda illud, quemadmodum in politicis Plutarchus ait, ſpectarunt Græci, quod abſque uxoris conſuetudine vivere vir nec poſſit nec debeat, ideoque duas voluere duci, ut ſi morbo vel puerperio detineatur altera, altera domi eſſet, quæ lectum occuparet, menſamque curaret. Sed hoc etiā ſpectarunt Athenienſes legem illam ferentes, ut ſi altera ſterilis aut effœta eſſet, urbi cives altera pareret; quod ſi uſu veniret, ea quæ pariebat, pro domina, quæ non pariebat, ancillæ inſtar habebatur.

Ea lex cum ferretur, jam Socrates in matrimonio Xanthippen habebat, qui ut legi pareret, alterā quoq; ducere coactus fuit, nomine Myrto, Ariſtidis filiam; quæ cū ſubinde zelotypia quadam in contentionem ambæ venirent, ita ut moleſta vicinis ipſarū eſſent jurgia: Socrates, Cum me, inquit, & oculis ſtrabonem, & repandis cruribus, & capillis criſpis, & ſtatura puſillū, & recalva fronte, & piloſis manibus & barba cana, (& ſimis naribus) eſſe videatis; cur vos, quæ pulcræ eſtis, propter me, quem adeò deformem natura finxit, jurgia contentioneſque exercetis? Quæ verba à Socrate joco dicta tantum effecere, ut feriæ deſinerent rixæ.

Lacænæ pluribus nubunt.

Lacedæmonii qui in pacis bellique negotiis contrarii ſemper Athenienſibus fuere, pro lege habebant, non ut duas vir uxores duceret, ſed ut duobus fœmina viris nuberet, hāc prætexentes cauſſam, ut altero in militiā profecto, domi alter maneret. Nulla enim ratione ferendū in civitate

Digitized by Google

vitate dicebant, ut fœmina ſola domi viveret.

Plinius ad Quadratum, & D. Hieronymus ad Ruſticum monachum ſcribens, autor eſt, Athenienſibus legitimum fuiſſe, ut fratri ſoror nuberet; ut autem patruus neptem duceret non licuiſſe, quod dicerent, ſi fratri ſoror nuberet, inter æquales matrimonium contrahi: ſin patruus nepti commiſceretur, perinde eſſe ac ſi patri filia nuberet. Miltiadæ, viri inter Græcos clariſſimi filius Cimon in matrimonio habuit ſororem germanam ſuam Elpinicen: qui interrogatus, cur ſororem duceret: Mea, inquit, ſoror & pulcra, & prudens, & dives, & genere mihi æqualis, & à communi patre meæ fidei concredita eſt. Cum ergo parentum preces pro mandatis eſſe filiis debeant: optimum factu putavi, ſi quam natura mihi pro ſorore dederat, ultro uxorem ducerem.

Polygamia Ægyptiorū

Ægyptios Diodorus Siculus ait, antequam leges accepiſſent, ſingulos plures pro voluntate & facultatum modo duxiſſe, ſervata utrinque libertate, ut à viro uxor, ubi viſum eſſet, diſcederet, & vir uxorem minus placentem repudiaret fieri enim non poſſe dicebant, ut multos ſimul annos vir & uxor citra crebras graviſſimaſque viverent offenſiones. Addit autem ibidem Diodorus Siculus peculiare quiddam, quod neque in libris unquam aliis legi, neque de veteribus audivi, nullum ſcilicet apud Ægyptios diſcrimen fuiſſe liberorum, ſed promiſcue pro legitimis habitos, etiam qui è ſerva emta eſſent ſuſcepti. Solum enim patrem exiſtimabant generis autorem; matrem & nutrimentum & locum infanti præbere: ideoque filios qui naſcerentur, carnem ſolummodo matribus debere, honorem vero & dignitatem hæreditate paterna adipiſci.

Julius Cæſar in commentariis Britanniæ, quæ nunc Anglia dicitur, incolas in more habuiſſe refert, ut una fœmina quinque viris nuberet, cujuſmodi fœditas de nulla gente in hiſtoriis priſcis legitur. Si enim uni viro plures uxores eſſe turpe: annon uni fœminæ multos viros eſſe flagitioſum ac probroſum eſſet?

Fœminas nobiles & virtute præſtantes propter duas cauſſas nubere decet: primum, ut liberos ex benedictione divina nanciſcantur, facultatum & nominis hæredes: deinde ut cum maritis conſociatæ honoratæque in ſua ſingulæ domo vivant. Alioquin jam nunc dico & affirmo, Fœminam uno viro non contentam, nec univerſis ejusdem vici contentam fore.

Finis cōjugii duplex.

Plutarchus in apophthegmatis Cimbros ſolitos ait filias ex ſe genitas ducere, quam conſuetudinem Marius Conſul, poſtquam de illis in Germania victis triumphum Romæ egerat, ſuſtulit. Filius enim tali matrimonio natus ejusdem patris & filius & nepos, ejusdem matris & filius & frater: ejusdem fratris amitinus, & nepos & frater erat: quæ conſuetudo feris potius ſylveſtribus, quam hominibus ratione præditis congruit. Multæ enim aut pleræque beſtiarum, quos ſuperiore anno pro filiis habuerunt, hoc anno pro viris admittunt.

Strabo de ſitu orbis, & Seneca in Epiſtolis dicunt, Lydis & Armeniis morem fuiſſe, ut filias in portus & ad littora maris mitterent, uti dotes corporis injuria à peregrinis contraherent, honeſta nimirum tam honeſto vinculo conjugia juncturæ!

Romani ut in cæteris ſapientes & moderati fuerunt, ſic in matrimoniis jungendis præcelluerunt. Habuerunt enim & legē antiquiſſimā & conſuetudinē uſitatiſſimā, ut civiū quiſq; unicā duceret uxorem. Unde quemadmodum inter Chriſtianos peccatū mortale eſt digamia: ſic apud Romanos eadem probrum erat & infamia.

Inter diſertos ac graves Romanorum oratores fuit Metellus Numidicus, qui cum in Senatu ſententiam quodam die diceret, ita locutus fertur: Diu multumque cogitavi, Patres Conſcripti, quidnā conſilii vobis in negocio matrimoniorū darem. Nā Conſilii ſubiti & repentini non ſemper felix eſt exitus. Neque ut uxores ducatis ſuadeo: neque ut nullas ducatis, vobis autor ſum. Nam ſi ſine uxore poſſemus eſſe, omnes ea moleſtia careremus. Sed quid faciemus? Quirites? quoniam Tales natura nos fecit, ut & habere conjuges periculoſiſſimum, & vivere ſine iis laborioſiſſimū ſit: Auſim ego dicere, ſi meo locus eſſet conſilio, non male cōſultum iri, ut voluptati, quippe momentaneæ, reſiſtatur, neque uxor, ut onus perpetuum, capiatur. Hæc Metelli Numidici verba non admodum grata Patribus fuerunt, qui maluiſſent, quæ de incommodis rei uxoriæ dixit, ſilentio fuiſſe ab illo prætermiſſa, cum verum ſit, nullum omnium vitæ genus eligi poſſe, in quo ſuas fortuna vices non exerceat.

Varii variarū gentium ritus.

Jam vero cum magna veteres in conjugiis jungendis diverſitate uſi ſint, non minorem illos varietatem vanitatemque in iisdem auſpicandis ritus.

Digitized by Google

candis uſurpaſſe obſervandum eſt. Bocarius Florentinus libro quem de nuptiis antiquorum ſcripſit, multos exponit diverſoſque ritus, quibus in contrahendis priſci nuptiis utebantur, quorum nonnullos non approbandi vel admittendi, ſed condemnandi & deridendi gratia referam. Non aliam enim ob cauſſam ſcriptores peccata ab aliis commiſſa literis mandarunt, quam ut tanto pulcrius veritas, quam alii amplexi ſunt, eluceſcat.

Cimbri in more habebant, ut ipſo nuptiarum die, poſtquam inter propinquos de matrimonio jam convenerat, ſponſus ungues ſibi demeret, ſponſæque præſegmina mitteret, & viciſſim ſponſa unguium ſibi demtorum præſegmina ſponſo mitteret: quæ ſi utrinque accepiſſent, mox pro juſtis conjugibus habebantur, & vitam porro ſimul agebant conjugalem.

Teutonum ritu ſponſus ſponſæ, & ſponſa ſponſi caput radebat, quod ſimul atque mutuo uterque conſenſu feciſſent, nuptias celebrabant.

Armeniis lex fuit, ut dextram ſponſus aurem ſponſæ, ipſa vero ſponſi aurem ſiniſtram rumperet, quo facto & ipſa illius ſe conjugem, & ille hujus ſe maritum teſtabatur.

Elamitis ſolenne fuit ut ſponſæ digitum annularem ſponſus pungeret, & ſanguinem inde manantem ſugeret, & ipſa itidem digitum ſponſi annularem pungeret: & ſimul atque ſanguinem è digitis alter alterius libaſſent, vitam agebant conjugalem.

Numidæ pro more habuerunt, ut ſponſus in terram expueret, idemque ſponſa faceret, lutoque ex amborum ſputis temperato mox ſponſus ſponſæ, & ipſa ſponſi frontem collineret; ita contracti jam conjugii ſignum erat lutum alterutrinque illitum.

Daci nuptias celebraturi certum in locum ſponſum ſponſamque devehebant, quo cum conveniſſent, ſponſus novum ſponſæ, quod libuerat, itemque ſponſa ſponſo nomen imponebat; quæ nominum impoſitio cum ab utroque rata habebatur, ſignum erat contracti conjugii.

Apud Pannonas nuptiali die deum ſponſus familiarem ſponſæ ex argento factum, quos Lares vocabant, qui erant dii domeſtici, itemque ſponſo deum ſponſa argenteum mittebat, & poſtquam alterius deum alter acceperat, jam conjuges erant.

Thraces in contrahendo matrimonio more utebantur plane barbaro. Sponſa enim ferramento ſubtiliſſimo candente quendam fronti ſponſi characterem inurebat, & ſponſus viciſſim in fronte ſponſæ ferro candente characterem imprimebat: quibus cauteriis notati conjuges habebantur.

Sicyoniorum lex nuptialis erat, ut ſponſus ſponſæ, & viciſſim ſponſa ſponſo calceum mitteret; quod ſi alter alterius accepiſſet calceum, ſignum erat contracti matrimonii.

Tarentini in more habebant, ut nupturi menſæ accumberent, & ſponſus ſponſæ, & ſponſa viciſſim ſponſi tantum manu ingeſta comederet. Quod ſi per incuriam alter eorum propria manu cibum in os ingereret, nec firmum nec ratum erat conjugium.

Scythis lex erat, ut quemadmodum noſtro ævo matrimonium inituri manus dant & accipiunt, ita pedibus ſponſus ſponſæ pedes, genua genibus, manus manibus, cubitis cubitos, capite caput tangeret; & tandem poſtquam inter ſe complexi erant, ſatis confirmatum habebatur matrimonium.

Perſequitur amoris conjugalis vim & finem.

Quicunque in vita arduum quippiam conſequi cupiunt, varias adipiſcendi illius rationes inveſtigant & excogitant. Multa enim ſolertia obtinentur, in quibus violentia fruſtra ſit. Cum ergo religio Chriſtiana matrimonium inter viros fœminaſque ſanguine conjunctos non ferat, & ne de ſexuum diverſitate dicam, quorum alter validus, alter imbecillis eſt, ſæpe eveniat, ut maritus & uxor non minus ingenio naturaque inter ſe diſſideant, quam genere & ſanguine differunt: Conſilium neceſſarium juxta ac ſalutare fœminis Principibus & illuſtribus, imo ceteris etiam plebejis dederim, ut quoniam maritos & ipſas unà eſſe, dormire, converſari, negotiari, loqui, vivere denique & mori neceſſe eſt; in hoc curas cogitationeſque omnes conferant, ut mores illorum ferre aſſueſcant. Nam ut verum dicam, uxoris eſt mariti ingenium in univerſum ſequi; mariti vero uxoris ingenium in nonnullis tolerare. Ita modo hac moroſitatem illius patienter ferente, modo illo hujus importunitatem prudenter diſſimulante, futurum eſt, ut tam concinnum & concordem ſervent vitæ concentum & conſenſum,

Digitized by Google

ut ipſorum vita & proſperitate in republica gaudeant univerſi. Conjugum enim tumultuoſorum, inquietorum & rixoſorum mortem tantum abeſt ut vicini defleant, ut ea nunciata, evangelia mutuo petant.

Imperiũ domeſticũ marito debetur. Quantumvis ſit maritus in ſumtu tenax, geſtu incivilis, ingenio durus, genere obſcurus, ſermone præceps, in adverſis timidus, in proſperis incautus; tamen cum maritus ſit, quo minus domi ſuæ ſolus imperet, prohibere non poſſumus. Quamobrem ſalutari jam conſilio ſunt inſtruendæ uxores, quo commodius grave & diuturnum onus ſuſtinere poſſint. Nullum enim invenias hodie virum tanta morum nobilitate & amabilitate conſpicuum, ut nullum uxor in ipſo nævum reperiat.

Primum opera danda uxoribus, ut ſerio maritos ament atque ita ſe gerant, ne ſimulate ab illis amentur. Teſte enim experientia, rariſſime matrimonii vinculum vel ob paupertatem infirmum, vel ob divitias ratum perpetuumque eſt. Sed male conjugatos hebdomadis ſpacio diſtrahit odium; alios amor ad tumulum uſque conglutinat. Carnibus ſiccis & inſipidis ut veſcare, embammate opus eſt: ut onera conjugii, quæ & multa, & moleſta, & diuturna ſunt, tolerabilia reddantur, ſolus amor præſtare poteſt. Ut enim Plato divinus dicebat, Non decet quicquam altero laborioſius diei ratione contentionis adhibitæ, ſed ratione amoris, quo id conficimus, vel fervidi vel tepidi. Quantumvis enim aſperum & difficile ſit negotium aliquod grave, ſi amore duce inchoetur, & progreſſum facilem, & exitum felicem habet. Jucundiſſimus enim eſt labor, in quo amor conciliaturam exercet.

Maritũ etiam vitioſũ uxor proba diligit. Agnoſco ſane & ſponte fateor, conſilium eſſe inſuave, quo uxores inſtruo, ut nimirum uxor virtute præſtans maritum vitiis deditum, honeſta diſſolutum, prudens rudem, ſapiens ſtolidum amet? Quotidiana enim experientia docet, nonnullos viros tam abjecto ingenio, & nonnullas fœminas tam laudatæ eſſe converſationis, ut optimo jure ipſas imperare potius viris, quam illorum imperium ferre deceat. Sed hoc licet in caſibus quibuſdam certis verum eſſe demus: in univerſum tamen uxores ad amandos maritos devinctas eſſe ajo atque affirmo: quippe quibus ſpontaneæ non coactæ nupſerunt. In hujuſmodi enim calamitate, Si nimirum uxori conjugium parum ex ſententia cedat, non tam de marito, à quo petita eſt, quam de ſeipſa, quæ petitioni locum dedit, conquerendi cauſſam habet. Infortunia quippe, quæ noſtra nobis eveniunt incuria, ſi jure deploranda, non minus jure diſſimulanda ſunt.

Quantumvis truculento & implacabili vir ſit ingenio, fieri non poteſt, quin uxorem, ſi ab illa ametur, amet. Qui ſi forte ingenii pravitate, ut ipſum amet, inducere in animum nequeat: at cauſſam ſaltem, ipſam odio perſequendi, non habebit: quod quidem haud parvi, ſed magni potius æſtimandum eſt. Multas enim invenias tum ex plebeiis, tum ex nobilibus fœminas, quæ æquo animo deliciis, in quibus habendæ, & amore quo proſequendæ maritis erant, carerent, dummodo verbis illi contumelioſis abſtinerent, & manus interdum violentas continerent.

Amoris conjugalis exẽpla. Plurima fœminarum nobilium exempla, nostra digniſſima hiſtoriæ ſuppeditant, Græcarum juxta ac Romanarum, quæ inito ſemel matrimonio, tantam viris fidem conſtantiamque præſtiterunt, ut non ſolum laborum comites fuerint, ſed ex præſentiſſimis etiam periculis illos liberaverint.

Plutarchus in libro de fœminis illuſtribus refert, cum Lacedæmonii Minyas, illuſtris ſanguinis viros, hoſtes ſuos acerrimos, capite damnaſſent, conjuges eorum publicam cuſtodiam, ubi incluſi capitali ſervabantur ſupplicio, intrare decreviſſe, tandemque impetraſſe à cuſtodibus aditum, velut allocuturas petituros viros, cum & lacrymas effudiſſent plurimas, & dona cuſtodibus non pauciora obtuliſſent; Ingreſſas autem carcerem mulieres cum maritis ſingulas ſuis, non modo veſtimenta, verum etiam libertatem permutaſſe, ut illi quidem veſtitu velati muliebri abirent, Ipſæ vero veſtes indutæ viriles in carcere manerent. Cum autem innoxiæ ducerentur ad ſupplicium mulieres ab iis, qui viros ſe damnatos rebantur ducere, non ſolum ignoviſſe illis Spartanos, ſed præmia quoque & honores decreviſſe, non aliam ob cauſſam, quam ut exemplum relinqueretur laudabile probiſque imitandum conjugibus.

Vetuſtiſſima & nobiliſſima Panthea, renunciata mariti in prœlio occiſi morte, ipſamet quæſitũ eum abiit, eum nondum exſpiraſſe ſperans; quem cum inveniſſet mortuum: illius ſanguine corpus faciemque ſuam lavit, & acinace pectus feriens, virumque amplexa animam exha-

exhalavit, atque ita eidem ambo tumulo fuerunt illati.

Diodorus Siculus autor eſt, Indorum fœminas cum more patrio plures ſingulis nuptæ eſſent, mortuo marito, in certamen judiciumque venire ſolitas, quam plurimum ille dilexiſſet, & victricem (gaudio exultantem) una cum viro in rogum impoſitam fuiſſe. Ita nimirum tunc mulieres illæ de morte ut de vita hodie viri, certabant. Hæc de Connubialium ſacrorum ritibus, quorum concluſio eſt, *Felicia eſſe inter pares conjugia.*

Ad JOANNEM DE TAVERA,

EPISTOLA.

In qua Tyrannidis & Idololatriæ origines ac primordia explicantur.

QUOD ad literas tuas ſerius quam promiſeram reſpondeo, non voluntati in te meæ, quæ ſemper eſt & erit promtiſſima, ſed negociorum quibus obruor multitudini adſcribas rogo. Verum ut præciſa omni ſupervacanea excuſatione, ad rem ipſam veniam, ſcias velim, de quibus ſcribis omnia valde mihi probari, exceptis quæ de primis Tyrannidis & Idololatriæ initiis commentus es. Qua tamen in re non tam Antiquitates, vel ex iis abs te adductas pugnantes inter ſe opiniones refellere mihi conſilium eſt, quam errorem tuum paucis oſtendere. Neque vero valde morabor, ſi nihil ejuſmodi in libris tuis ſcriptum reperire te dixeris: quum multa Græcis & Hebraicis litteris prodita exſtent, quæ lingua noſtra vernacula plane ignorat.

Quis primus fuerit tyrannus. Principio ſciendum eſt, primum Nimerodum, è Chami poſteris unum, quum antea æqua eſſet omnium libertas, tyrannide ceteros oppreſſiſſe, partim dominandi libidine & ſuperbia animi, partim avaritia inductum, & ſervitiis omnia compleviſſe: Deo pariter hominibuſque exoſum. Certum eſt enim, omnes eos qui per vim, omni proculcata juſtitia & æquitate, imperium ſibi in alios vindicare, aut omnia ad ſe rapere conantur, Dei hoſtes dici ac eſſe. Qui ut tanto melius libidines ſuas explere poſſint, in eo toti ſunt, ut ſublata è medio Juſtitia & oblitteratis legibus, omni ſceleri, flagitio & impietati aditus pateſiat. Hoc animi propoſito dicti Nimerodi tempore homines quidam de exſtruenda ad cœlum uſque pertingente turri, inter ſe conſpirarunt: unde & æternum nomen apud poſteros adipiſcerentur, & Deo ipſi quaſi bellum inferrent. Quum vero tantam ſuperbiam animique confidentiam Deus ferre non poſſet, architectis iſtis omnipotentiam ſuam teſtatam facere voluit, dum linguam eorum ita confudit, ut alter alterum amplius intelligere non poſſet. Ante cœptum vero hoc opus, terra erat labii unius, ut S. Scriptura loquitur: ut immiſſa ab irato Deo linguarum confuſione, gentes illæ non ſolum cœpto deſiſtere, verum etiam per totum terrarum orbem novas ſibi quærere ſedes coactæ ſint. *Turris Babylonicæ machinatores.*

Hoc modo diſperſi homines, plerique magnis errorum tenebris involuti ſunt: ac tandem divinitus olim eis tradita doctrina & promiſſionibus oblitteratis, idololatria & ſuperſtitiones mirum in modum ubique invaluerunt: gaudente interim ac triumphante diabolo, ut qui nulla ratione voto ſuo facilius potiri potuiſſet. *Linguarũ confuſio errorum mater.*

Ex quo patet, idololatriam & erroneam doctrinam ex hominum infidelitate & ad malum proclivitate primum ortam eſſe, quibus velut à natura inſitum eſt, ut à regia & ſalutari via declinantes, ad eam quæ ad exitum ducit abripiantur. Eandem ad rem non parum momenti attulit, Veritatis oblivio, & ſupina hominum in ea tam conſervanda quam aliis docenda negligentia. *1. Idololatriæ cauſſa prava hominũ natura.*

Secunda Idololatriæ cauſſa eſt Philautia, ſeu Amor ſuiipſius, & inſatiabilis hominum Cupiditas, ad quam explendam quum varii eſſent ab infidelibus excogitati modi, res eas per quas ea quæ vellent conſequuti erant, ex diaboli ſuggeſtione, divinis honoribus colendas ſibi putarunt. *2. Philautia.*

Tertio, Idololatria ex occulto quadam metu orta mihi videtur, quo infideles, quantumcumque depravati, ea quæ vel ſuaipſorum teſte conſcientia, mala eſſent atque illicita, concupiſcere aut à Deo petere religioni habebant. Quocirca eos ſibi deos eligendos ſtatuerunt, qui divinos honores ita ambiebant, ut interea ſuſque deque haberent, piè an impie viverent, ſalvarentur ad damnarentur homines: immo *3. Cupiditates.*

qui vitiorum ac vitæ turpitudine unice delectarentur: quum falſi illi ac fictitij dii nihil aliud ſint quàm ipſiſſimi diaboli, amatores malitiæ, & Veritatis ac Virtutis hoſtes. Hac ratione antiquus ille ſerpens facile hominibus perſuaſit, eſſe deum qui cædibus & bellis præſit, alium cui furta, alium cui temulentia, alium cui vagæ libidines curæ ſint; quibuſque licet turpiſſimis rebus, faveant illi, adeoque impenſe delectentur.

4. Incredulitas, ſeu ignorantia. Quarto Idololatriam non parum, immò præ ceteris rebus omnibus promovit Infidelitas, quam omnium malorum caput vel radicem merito dixeris. Quum enim miſeris hominibus ignota eſſent altitudo, potentia, & gloria Dei; neque illud caperent, quomodo unus toti huic Mundo omnibuſque quæ in eo ſunt & ſiunt rebus diſponendis ac guberandis poſſet ſufficere: magnum deorum numerum excogitarunt, atque eorum ſingulis diverſa munia attribuerunt. Quinetiam eò dementiæ progreſſi ſunt, ut Solem, Lunam, ſtellas, ſed quid hæc dico? immo vitulos, ſerpentes, cæpas, aliaſque res nihili, adeoque ipſum diabolum adorarint, oraculorum, quæ interdum ab eo edebantur, vanitate decepti. Hæc vero ſtultiſſimorum hominum cæcitas juſto Dei judicio adſcribenda eſt, utpote iis immiſſa, qui relicta luce, tenebras ſectati ſunt, atque ipſi ſuorum affectuum atque operum arbitri ac judices eſſe voluerunt. Quam ipſam ob cauſſam Deus Satanæ permiſit miracula quædam facere, quibus infideles iſti, ob multiplicia peccata in extremum exitiũ pertraherentur.

Populus Iudaicus à Deo electus. Etſi vero ante diluvium illud quo univerſum hominum genus, excepta Noæ familia, periit, Idololatria magnam terrarum partem occuparit, ac non multo poſt illorum poſteri ad eandem delapſi ſint, nec ab eadem potuerint avelli: memor tamen promiſſi primis olim Patribus à ſe facti miſericordiſſimus Deus, peculiarem ſibi populum, renovato velut antiquo fœdere, elegit, atque in eo veræ religionis ac divini cultus lumen accendit, quo tenebræ à malignis ſpiritibus invectæ, diſcuſſæ ſunt, certo nempe modo, quo Deus coli ſe juſſit, præſcripto, additoque, ne quem alium colerent, interdicto: ut ita in hoc ipſo populo divinæ doctrinæ veritas ac certiſſima divinæ miſericordiæ teſtimonia conſervarentur; omneſque gentes ac nationes intelligerent, quàm mirabilis ſit Deus in operibus ſuis; eædemque ad unius ac ſolius Dei cultum, repudiata omni idololatria & ſuperſtitione, & ad inferos, unde egreſſi ſunt, amandatis falſis illis & fictitiis diis, adducerentur.

Ad
DIDACUM
MENDOZAM
EPISTOLA.
De gentilium deorum origine.

QUum litteræ tuæ, *Excellentiſſime*, tum liber Chaldaicus à negociorum tuorum geſtore mihi reddita, magna me voluptate affecerunt; illæ quidem, quod tanti viri erga me ſingularem affectum & amorem teſtantur; hic vero, quod rara quædam atque cognitu digniſſima in eo deprehendiſſe mihi viſus ſum. *Occaſio ſcriptionis.* Ne ergo ingrati animi crimen impingi mihi queat, brevem, quam à me petiiſti, de gentilium deorum origine diſſertationem ad te mitto: in qua primo indicatur, quinam ſinguli fuerint, & quibus occaſionibus in deorum numerum relati. Deinde quomodo ea quæ Poetæ, inprimis vero Ovidius de fictitiis diis & varia eorum metamorphoſi tradiderunt, intelligenda ſint. Quæ omnia rogo ut diligenter attenteque legere ne graveris, quo & miſerabilem ethnicorum veræ fidei luce deſtitutorum cæcitatem, & divini beneficii in nos qui Chriſtiani, ac veræ religionis lumine illuſtrati ſumus, magnitudinem intelligas.

Quis Saturnus fuerit. In hoc fictitiorum deorum agmine familiam nobis ducent Jupiter & Saturnus. Hic filius fuit Cœli & Veſtæ. Fratrem habuit Titanem majorem natu: qui quum parenti ſuccedere vellet, tamen à matre exoratus regnum Saturno fratri conceſſit, hac lege: Ut maſculis omnibus, quos Saturnus ex ſe genuiſſet, è medio ſublatis, regnum ad Titanem ejuſque filios rediret. Saturnus igitur regno potitus, quum plures liberos ex ſe genitos devoraſſet, id eſt, interfeciſſet, tandem ei nati ſunt gemini, Jupiter & Juno: quorum hanc mater Saturno oſtendit, illum vero ad Veſtam aviam clam nutriendam ablegavit, quæ jam adulti Curetibus in Ida monte habitantibus curam commiſit.

Poſtca

Digitized by Google

Neptunus. Poſtea Neptunum quoque clam Saturno Ops peperit, atque itidem educandum curavit: à nando, mutatis primis literis (ut Cicero inquit 2. De Nat. deo) dictum: quem poſtea ſtulti homines deum maris fecerunt.

Pluto. Ops tertio rurſus geminos enixa eſt, Plutonem & Glaucam: ibique rurſus Glaucam non multo poſt mortuam Saturno oſtendit, Plutonem abſcondit: quem eadem ſtulta antiquitas inferorum deum eſſe credidit, Dieſpiter etiam, Summanus, Dis, Orcus, Uragus, Vedius Jupiter dictus: cui Proſerpinam Cereris filiam nuptam fabulantur. Terrena enim vis omnis natura Diti patri conſecrata eſt, auctore Cicerone libro 2. De Nat. deorum. Pluton vero, id eſt, dives vocatur, quia recidant omnia in terras, & oriantur à terris.

Gigantū Fabula. Porro Titan quum à Saturno, vel potius uxore Saturni deceptum ſe animadvertiſſet, unà cum filiis, qui Titanes à patre cognominabantur, bellum adverſus Saturnum ſuſcepit, illumque & uxorem captos, muro incluſit: quos tamen mox Jupiter filius, devictis Corybantum ſive Curetum ope Titanibus, liberavit: ex quo Gigantum cœlo bellum inferentium fabula originem traxit.

Saturnus regno exactus. Edoctus deinde oraculo Saturnus, fore ut à filiis regno pelleretur, Jovi, à quo liberatus fuerat, inſidias ſtruxit: quibus perceptis Jupiter clam magno collecto exercitu, patrem regno pepulit: qui in Italiam profugus, incolis rationem arandi terram, ſeminandi & plantandi commonſtravit (antea enim glandibus caſtaneis aliiſque terræ fructibus ſponte provenientibus victitabant) unde ab iis pro deo coli cœptus eſt.

Jupiter ſuſcepto regno, Junonem ſororem uxorem duxit, ac regni fines non vi, ſed virtute ac ſapientia longe lateque propagavit. Hic vim ac ſecreta Naturæ primus hominibus aperuiſſe, & ſalutares leges atque artes ad vitam melius tuendam, ac rempublicam regendam tuliſſe atque inveniſſe traditur; ex quo factum eſt, ut non tantum Rex optimus habitus, verum etiam pro deo cultus, adeoque ipſi deorum Concilio præeſſe creditus fuerit. Quod vero divinos ei honores tribuerit antiquitas, duplex cauſſa aſſignari poteſt. Prima, quod tanta quanta ab ipſo homines acceperant, beneficia promerito compenſandi nullam aliam ſibi reliquam eſſe rationem putabant, niſi deum cum facerent, cœloque locarent. Deinde quod vivus ipſe honorem hunc ambiviſſe videretur; ut qui cum Principe aliquo aut populo icto fœdere, illud ſemper excipiebat, ut templum ſibi dicaretur: quod à multis factum legimus.

Diviſio mundi tripartita A fratribus deinde rogatus, imperium cum eis diviſit. Et Jovi quidem plaga Orientalis, Plutoni Occidentalis, Neptuno vero oræ maritimæ atque inſulæ obtigerunt. Hinc locus datus eſt fabulæ, quod Jupiter cœli ac terræ, Neptunus maris, Pluto inferorum obtineat imperium: quod regiones ad Occidentem multo tenebricoſiores ſint, quàm quæ ad Orientem, Inde etiam Jupiter Saturnum patrem ad inferos pepuliſſe dicitur: quod Italia in quam Saturnus profugit, utpote ad Occidentem ſita, multo majoribus caloribus infeſtetur quàm Orientalis plaga, è qua Saturnus pulſus fuerat. Neptunus vero quia inſulis imperabat, deus maris fuit creditus,

Iovis adulteria. Alia nomina, quibus hæc gentilium deorum triga appellata fuit, hoc loco recenſere aut explicare operæ pretium non eſt, nec ad inſtitutum noſtrum multum facit. Quocirca ut ad Jovem redeamus, huic cœli imperium obtigiſſe fabulata eſt antiquitas, quod facta cum fratribus diviſione, ad Olympum montem, quē Græci pro cœlo habuerunt, ac cœlum vocarunt, fere habitaret: è quo (ut erat ad libidinem proclivis homo) quum ſæpe deſcenderet, ac miris artibus mulierum pudicitiæ inſidias ſtrueret, Poetis tot ejus metamorphoſes confingendi occaſionem dedit: ut quod in imbrem aureum converſus, in Danaes gremium influxiſſe dicitur: quo ſignificatur, magna vi auri feminæ illius caſtitatem ab ipſo fuiſſe expugnatam Hinc idem Amphitruonis aſſumta forma cum Alcmena concubuiſſe, id eſt, virum ut uxorem ſibi proſtitueret, auro induxiſſe; itemque in ignem converſus, cum Semele rem habuiſſe, id eſt, coqui opera ad heram corrumpendam introductus fuiſſe perhibetur. Et reliquas omnes libidinoſi hujus hominis transformationes, ad muliebri inſidiandum pudori comparatas, quis recenſere poſſit.

Ex quibus omnibus patet, quam miſeranda fuerit eorum hominum cæcitas, qui hircum hunc libidinoſum atque impurum adulterum pro vero cœli ac terrarum deo coluerunt atque adora-

Digitized by Google

adorarunt: ut ſepulcrum ipſius quod in Creta inſula fuit teſtatur. Quod ſi talis fuit is, quem deum optimum maximum ac deum deorum illi appellarunt, facile intelligi poteſt, quales illi minorum gentium dii fuerint: quorum omnium pater ille creditur: ut ſunt Apollo, deus Artium, Mars Belli, Mercurius Facundiæ, Bacchus Vini, Vulcanus Ignis, Venus Amoris, Neptunus Maris vel Aquæ, Ceres Frugum, Diana Caſtitatis: quos tam multos, immo innumeros alios fingebat antiquitas, quod unum deum totius Mundi gubernationi non ſufficere exiſtimarent.

Minorũ gentium dij.

Nec vero miſeri homines tantum pro diis colere ſatis habuerunt, verum etiam animantia, arbores, adeoque allium, atque alia terræ naſcentia divinis honoribus affecerunt; *Felices, quorum naſcuntur numina in hortis*, ut Juvenalis jocatur.

Multitudo deorum apud Romanos.

Quis vero incredibili eorumdẽ cæcitate, immo vecordia ac dementia non obſtupeſcat, tanta facilitate deos ſibi eligentium, ut Varronis tempore apud Romanos bis mille & octingínti dii fuerint numerati? Quin adeo invaluerat idololatria ac ſuperſtitio, ut quidquid ad vitam utile ac conducibile, expeteretur, vel tamquam noxium formidaretur, deus ipſis aut dea eſſet. Hinc Tullus Hoſtilius, tertius Romanorum Rex, quum Febri tertiana laboraret, ac Pallorem inde contraxiſſet, utrique tam Febri quam Pallori templum conſtruxit ac ſacrificavit, ut abs ſe abſcederent, nec in poſterum ſe infeſtarent, deprecatus.

Ludi Florales.

Quid, quod impudentiſſima meretrix, Flora nomine, in dearum numerum relata eſt, eam tantum ob cauſſam, quod quum magnas opes corporis quæſtu acquiſiviſſet, populum Romanum hæredem ſcripſit, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore natalis ipſius dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant Floralia, ſeu ludos Florales. Ii vero omni laſcivia celebrabantur; ut in quibus præter verborum licentiam, meretrices nudabantur, quæ mimarum functæ officio, in conſpectu multitudinis ad ſatietatem uſq; impudicis motibus detinebantur, deinde promiſcuæ omnium libidini ſerviebant. Scribit S. Auguſtinus, quia Senatui Romano tale ſpectaculum tractu temporis flagitioſum viſum fuerit, de ludis illis abolendis ſæpe cogitaſſe: quũ vero id à multitudine impetrari non poſſet, ut pudendæ rei dignitas quædam adderetur, deam finxiſſe, quæ floribus præſit; eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene proſpereque floreſcerent.

Etiam Ethnici unum Deum agnoverunt.

Quamvis autem, uti ex iis quæ diximus facile intelligi poteſt, ad ſummum pervenerit tum hominum ſuperſtitio, vel dementia potius, tot tamque turpes deos ac deas ſibi fingentium: ſemper tamen fuerunt aliqui, qui aliqua divinæ cognitionis luce illuſtrati, idololatriam illam multiplicem vehementer deteſtati ſunt. Conſtat ſane, etiam ethnicorum Academias unum rerum omnium auctorem ac principium eſſe, & à quo omnia regerentur, docuiſſe. *Socrates* Socrates certe jam moriturus, unum deum agnoſcit, quem pro ſuarum virium facultatibus ſemper ſe coluiſſe, ejuſque offenſionem fugiſſe, teſtatur. *Ariſtoteles.* Ariſtotelis jam morti vicini vox illa ultima celebratur: *Ens entium miſerere mei.* Eadem, ne ſingulorum opiniones recenſendo prolixus ſim, tam Platonis quã Ciceronis fuit ſententia: ut ex libris ipſorum patet. *Virgilius* Virgilii illud divinum eſt,

A Iove principium, Muſæ: Iovis omnia plena, per Jovem omnium rerum præpotentem Deũ intelligentis. Varro & Cicero, quamvis uterque ethnicus & Romanus, plebis dementiam irrident, tam multos deos ac deas partim animi quadam ſimplicitate, partim adulatione, partim etiam ſuperſtitione & metu comminiſcentis, & ab aliis gentibus adſciſcentis.

Idololatria à Chriſto diſpulſa.

Poſſem hoc loco, ſi opus eſſet, multis ac firmiſſimis argumentis demonſtrare, omnes illos ethnicorum deos ac deas, omnemque eorum cultum, mera fuiſſe hominum figmenta & mendacia, ex ipſius diaboli officinâ profecta: quæ tamquam nebulæ, exorto Veritatis ſole, & nato Salvatore noſtro Dei filio, ſtatim diſparuerunt, ac veluti ædes ruinoſæ corruerunt. Felix ruina! è qua poſtea vera DEI Eccleſia exædificata eſt.

Memorabile eſt, quod hodieque in India ad ſacratiſſimæ Euchariſtiæ præſentiam diaboli omnes, quos gentes illæ hactenus coluerunt, obmuteſcunt ac diffugiunt: unde multi quotidie ad veri Dei cultum adducuntur.

Poetica Mythologia.

Reſtat ut quid Poetæ, nimirum Heſiodus, Archilochus, Apuleius, Cebes, Ovidius, alii, de diis ſenſerint, explicem, eorumque commenta & fabulas aliquot explanem: quibus illi rudes homines erudire, & tam ad virtutem,

quam

Digitized by Google

quam ſapientiam inſtruere atque informare voluerunt.

Fabula quid. Fabulæ, ut Aphthonius & Hermogenes teſtantur, à Fando dictæ ſunt, quod nihil aliud ſint quam orationes ſeu ſermones, lepore quodam conditi, & ad permulcendos audientium animos accommodati, quibus præcepta ad vitæ ac morum informationem utilia ac ſalubria ſub aliarum rerum involucris traduntur, vel varia rerum eventa proponuntur, aut boni laudantur, vel mali vituperantur.

Deorum filii qui dicti. In Poetarum lectione illud etiam inprimis obſervandum eſt, quod ab eis virtute ac rebus geſtis præclari viri, inprimis qui pro patriæ libertate ac commodis nullum periculum aut laborem recuſarunt, *Deorum filii* nominantur: iique vita defuncti, in ſtellas aut ſidus converſi; cum omnia in finem, ut lectores ad virtutis & quæ inde ſequitur, immortalis gloriæ ſtudium tanto magis accendantur.

Prometheus. Prometheum poſt adductos ab agreſti & brutali vita ad meliorem cultum Ægyptios, Poetæ fabulantur Minervæ auxilio in cœlum aſcendiſſe, & ignem inde, admota ad ſolem facula, in terram detuliſſe. Quo igne nihil aliud ſignificatur; quam ſapientia divinitus hominibus tradita. Iidem hominum quorumdam pertinaciter in erroribus ac commentis ſuis perſeverantium vecordiam exprimere volentes, lapides à Deucalione & Pyrrha projectos in homines mutatos eſſe finxerunt. *Deucalium.* Quæ fabula tamen ex ipſa hiſtoria originem traxit, quando ſcilicet homines in cataclyſmis illis ad rupes ac montium juga confugerunt, vitæ ſuæ præſidium quærentes, ac tantiſper ibidem latuerunt, quoad à Deucalione & Pyrrha edocti, naturalem eluvionis ejuſmodi cauſſam eſſe, nempe ſtellarum vim atque influentiam, tandem ad priſtinas ſedes & agrorum cultum redierunt.

Daphni. Quod ſi caſtitatem aliquorum celebrare vellent, eos in viridem aliquam arborem, ut Daphnen in laurum mutatos tradiderunt: perpetuum virginitatis ſtudium per comas lauri ſemper virides, ſignificantes.

Hyacinthus &c. Pueri præclaræ indolis, ſed immatura morte abrepti, ab iidem in flores caducos ac cito marceſcentes mutati finguntur; ut Hyacinthus, Adonis, Hermaphroditus. Econtra flagitioſos homines in beſtias ac turpia animantia mutatos fabulati ſunt. A quo non abhorret illa regii prophetæ admonitio; *Nolite fieri ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus.* Et Boetii illud, omnes qui in vita degenda rationem ducē non ſequuntur, irrationabilem & beſtiarum ſimilem vitam agere cenſentis.

Gigantomachia. Hinc Cicero, Quid aliud, inquit, eſt cum diis Gigantum more bellum gerere, quam Naturæ repugnare? Lycaon in Lupum mutatus dicitur, eo quod à ſubditis immanem ipſius tyrannidem perferre non valentibus, regno exactus, ſolitariis locis ſe continuerit, inſtar lupi inde in quoſcumque incidiſſet graſſatus, & rapto vivens.

Nyctimene. Ob flagitium aliquod deliteſcentes, & hominum conſortia fugientes, per Nyctimenes fabulam, in Noctuam transformatæ ſignificarunt. Adulatores, delatores, calumniatores, & id genus homines in coruos aut cornices converſi leguntur. Comtos ac delicatulos, quorum omnis opera ac diligentia in expolienda forma conſumitur, gruibus ac Ciconiis aſſimilabant, ut qui roſtris plumas ſibi aſſidue purgant & concinnant. *Cinyræ filiæ.* Superbos & arrogantes per Cinyræ filias præfigurabant: quę paternis fretæ opibus, ceteras omnes præ ſe contemnebant, ſed ad extremam redactæ inopiam, ad templi oſtium aſſiduæ, ſtipem emendicare coactæ ſunt, & in ſcalas mutatæ.

Midas. Midas avari typus eſt, congerendis opibus & auro nihil profuturo dies noctesque invigilantis: Invidi vero Aglauros, in ſaxum mutata. *Circe.* Per Circen iidem Poetæ libidinis vim depingere voluerunt: quæ in hac muliere tanta fuit, ut quoſcumque vellet, ad ſui amorem pelliceret: qui ob rei qua delectabantur ſordiditatem, non ſine cauſſa in porcos mutati dicuntur, ut ex Ulyſſis ſociorum fabula notum eſt.

Actæon. Actæon in cervum mutatus, & à canibus laniatus, typum gerit eorum, qui immodico venandi ſtudio, dies noctesque ſylvas pererrant, & alendis canibus aliiſque in res nihili ſumtibus facultates ſuas inutiliter dilapidant ac conſumunt.

Per eos, quos Poetæ ſua ipſorum viſcera devorare fingunt, ii intelliguntur, qui vel Invidia vel avaritiæ ſtudio contabeſcunt. *Eriſychthon.* Unde & Eriſychthon propria ſua membra comediſſe dicitur, quod pretio filiam juvenibus proſtitueret. *Proteus.* Idem Protei filius fuiſſe perhibetur, in varias formas ſeſe mutantis: quo naturæ noſtræ inconſtantia, & affectuum varietas oſtenditur: qua quæ amavimus, mox odimus; jam, ut lec, metuen-

metuẽdos nos, mox, ut lepꝰ, formidoloſos oſtẽdimus, aut ut vulpes, varios aſtus excogitamus. Et hoc quidem modo univerſæ illæ Naſonianæ Metamorphoſes explicari, & ad moralem aliquam doctrinam accommodari poſſunt

A Dei invocatione auſpicãdum.

Illud quoque hoc loco facere non poſſum, quin tibi in memoriam revocem, veteres illos omnia à divini Numinis invocatione auſpicatos eſſe. Hinc illud Plinii II. in principio Panegyrici optimo Principi Trajano dicti: *Bene ac ſapienter, P. C. majores inſtituerunt, ut rerum agendarum, ita dicendi initium à precationibus capere; quod nihil rite nihilque providenter homines ſine deorum immortalium ope, conſilio, honore auſpicarentur.*

Quem morem etiam Ovidius in dicto illo Metamorphoſeon libro imitatus eſt, ut cuivis inſpicienti patet. Quumq; idem præter equeſtrem familiæ dignitatem, inſigniter eruditus, & in Philoſophiæ ſtudiis admodũ verſatus fuerit; quis credat, eum tam abſurdas rerum mutationes aut ipſum crediđiſſe, aut aliis perſuadere voluiſſe? Ut quod Solis filios, currum, equos fingit, nihil aliud certè quam ejuſdem curſum & effectus voluit denotare. Quod item Phaetontem ait, cõſcenſo paterno curru, ejus regendi ignarũ, totum terrarum orbem incendiſſe, coq; à Jove irato fulmine deturbatum eſſe, ſic intelligi debet, Phaetontem regem ambitione & arrogantia impulſum, pravas & falſas opiniones in vulgus diſſeminaſſe, iiſque multos homines erroribus ſeductos, depravaſſe. Idem Phaethon Solis dicitur filius, quod olim ſapientia, cujus præſes Sol ſive Apollo fingitur, præſtantes viri, Phœbi filii dicerentur ac haberentur. Fabulæ vero de morte Phaethontis occaſionem dedit illud, quod quum idem cum claſſe per Eridanum, ferventiſſima anni tempeſtate, navigaſſet, fulmine ictus interiit.

Phaëthontis fabula.

Sed ut ad Ovidium redeamus, is quum inſigne hoc opus (quod merito omnis Poeſeos fontem, artium liberalium ſcholam, & uberrimum utiliſſimarum ſententiarum atq; exemplorum Cornucopiæ appellare poſſumus) ſcribere aggreſſus eſſet, eoque divini ſui ingenii magnitudinem omnibus oſtendere vellet: hominem ſe eſſe memor, deorum opem hiſce verſibus implorat:

In nova fert animus mutatas dicere formas,
Corpora. Dii cœptis (nam vos mutaſtis & illas.)
Aſpirate meis.

Hæc ſunt, quibus breviter & deorum gentilium originem, & Poeticarum fabularum utilitatem explicare volui: quæ ut boni conſulas, etiam atque etiam rogo.

Ad DUCEM ALBANUM, *EPISTOLA.*

In qua docet qualis exercitus contra Turcas educendus ſit: & quæ præcipue obſtent quominus bella proſpere ſuccedant.

Illuſtriſſime Princeps:

MAGNA me voluptate effecit nuncius, è quo intellexi filium tuũ Ludovicũ, Equeſtris S. Jacobi militiæ magiſtrum electum eſſe; at multo majore is, qui mihi enunciavit, te Invictiſſimi Cæſaris noſtri ſuffragio deſtinatum, qui exercitui contra Turcas mittendo, ſummo cum imperio præeſſes. Etſi vero conſilio meo nequaquam egẽs; facere tamen non poſſum, quin paucis te admoneam, qualesnam milites tibi conſcribendos putem. Equidem ſi militaribus præceptis te inſtruere, aut de belli gerendi rationibus multa diſputare velim, nõ injuria illud audiam, quod olim Phormio ab Hannibale. Quare ne pedem extra chorum ponere videar, è Sacra Scriptura quum exempla tum præcepta aliquot depromam, quæ, ſpero, ad futuram expeditionem, non parum utilitatis ſibi ſint allatura.

Ne ultra crepidã.

Ac primo Joſaphat pientiſſimi regis exemplum ob oculos ſemper tibi velim proponas; qui in bellum profectus, ſtatuit cantores Domini, ut laudarent eum in turmis ſuis, & anteceder ent exercitum, ac voce conſona dicerent. Quũque cœpiſſent laudes canere, vertit Dominus inſidias hoſtium, filiorum, ſcilicet Ammon & Moab, in ſemetipſos, qui egreſſi fuerant ut pugnarent contra Judam. Et percuſſi ſunt.

2. Paral. 17. cap.

Utinam exemplum hoc omnes Chriſtiani duces atque imperatores imitarentur! Atqui, pro dolor, videmus atque audimus paſſim milites noſtros in procinctu non laudantes Deum, ſed blaſphemantes, non honore, ſed contumelia afficientes, non gratias ipſi agentes ſed probra tàm ipſi quam omnibus ſanctis ac cœlitibus oggerentes. Quin vos, ó impii milites, Sennacheribi

Quantũ peccatũ ſit blaſphemiã.

Digitized by Google

cheribi terreat exemplum, qui ob blaſphemiam contra Deum effuſam, non ſolum ipſe fuſus ac fugatus eſt, ſed etiam ad centum & octoginta armatorum millia una nocte cæſa ac deleta vidit. Recte ergo Hugo à Sancto Victore inquit, Nullum gravius atque atrocius peccatum eſſe quam blaſphemiam. Et Iſaias Propheta, Nuncios feſtinantes properare jubet ad vaſtatum & laceratum populum, quo nullus ſit crudelior. Ubi Gloſſa ordinaria addit, Nihil horribilius eſſe blaſphemia: nec quemquā deteſtabiliorem quā qui linguæ ſuæ fræna laxet, & convicia contra ipſum cœlum omnia complexum evomat. Adeſte, obſecro, divini nominis blaſphematores, qui vel caſtra ſequimini, vel domi deſidetis, & quæ dicturus ſum memori animo recondite.

Infideli-tas.

Aio igitur, omnia peccata, ſi eum divini nominis exſecratione vel blaſphemia comparentur, levia quodammodo videri. Tria ſunt peccatorum genera, quæ graviſſima vulgo putantur, & ſunt. Primum eſt Infidelitas Turcarum & Ethnicorum: qui licet divini numinis honorem multipliciter violent, inſcij tamen id faciunt, immo dum male agunt, recte ſe agere exiſtimant. At Chriſtianus DEUM blaſphemans aut negans, non veritati tantum à ſe agnitæ, verum etiam ſuæ ipſius conſcientiæ vim per ſummum ſcelus affert.

Homici-dium.

Secundum peccatum Cædes eſt vel homicidium, quod D. Thomas, quantum ad effectum, blaſphemia gravius eſſe dicit. Illud enim homini vitam aufert; at blaſphemia proximo nullum detrimentum aut noxam affert. Quantum vero ad objectum, blaſphemia multo atrocius peccatum eſt homicidio. Nam etſi Deus homicidio quoque offendatur, id tamen ad hominis præcipue ſpectat perniciem. At blaſphemia ipſum Deum rectà petit.

Iudæorū peccatū.

Tertium peccatum Judæorum eſt, & eorum qui Chriſtum cruci affixerunt. At inter hos & blaſphemos S. Auguſtinus comparationem inſtituens, Multo gravius ait eos peccare, qui Chriſtum in cœlo jam triumphantem contumeliis & blaſphemiis afficiant, quam qui eundem in terris humiliter ambulantem crucifixerunt. Idque eam ob cauſſam: quod Judæi Chriſtum Deum eſſe, non certo ſciverint, quamvis ſcire facile potuiſſent. Hinc S. Paullus Apoſtolus, *Si, inquit, cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* At quomodo Chriſtianos excuſabimus, qui Deum eſſe non ignorantes, eundem tamen blaſphemiis lacerare non dubitant? Sed & Judæi per Baptiſmum non ſunt initiati, nec ſacramento adſtricti. Unde Chriſtianos blaſphemantes quovis impuriſſimo Judæo aut pagano deteriores eſſe facile conſtat. Hic mihi, quæſo, exſecrabilem Chriſtianorum ingratitudinem conſidera. Nam quis negabit, multo majora eſſe ea beneficia quæ Chriſtiani à Deo, ſemper Virgine Maria Deipara, & omnibus cœlitibus acceperunt & quotidie accipiunt, quam quæ olim in Judæos divinitus ſunt collata? Numquid regnum Dei ac Chriſti merita ab his ablata, & in nos, qui Ethnici eramus, divinæ gratiæ expertes, ex mera gratia & miſericordia collata ſunt? Etſi vero tam deteſtabilis rei, qualis eſt blaſphemia, memoriam non lubenter uſurpem; facere tamen non poſſum, quin hoc loco diutius aliquanto immorer, & tam horribile peccatum acerbius perſtringam. Dicite ergo mihi, ó blaſphematores: qua noxa Deus meruit, ut tam indignis eum proſcindatis conviciis? Qua in re benigniſſima illa Virgo Dei Mater vos offendit, ut tantis eam contumeliis afficiatis? Quodnam à ſanctis illis martyribus ac cœlitibus in vos damnum aut injuria profecta eſt, ut maledicta veſtra lingua & ore impuriſſimo deſpicere eos ac lacerare non vereamini? Annon Deipara illa Virgo Mater eſt gratiæ, fons ſalutis, & aſſidua ac fideliſſima humani generis coram altiſſimo Dei throno Advocata ac patrona? O impuri atque amentes blaſphematores! O amarulentiæ linguæ, quovis abſynthio, felle atque aconito nocentiores! Recte ſanctiſſima Dei genitrix omneſque cœlites illud regii Pſaltæ de vobis uſurpare poterunt: *Os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt. Loquuti ſunt adverſum me lingua doloſa, & ſermonibus odii circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam. Et poſuerunt adverſum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Confundantur, & opprobrio tamquam veſte amiciantur, qui mala loquuntur contra me. Miſeri! non intelligitis, multo vos brutis, adeoque omnibus creaturis deteriores eſſe? Nā & cœli, & firmamentū, & terra, & fruct⁹ terræ, & mare, & fluvij, & quidquid in iis, laudant nomen Domini, quod ſoli vos conviciis & blaſphemiis laceratis. Vos illi eſtis, quos Iſaias vates populum maximi delicti,

1.Cor.2.

Chriſtiani maiora à Deo acceperunt beneficia quā Iudæi.

Pſ.108.

ſemen

Blaſphemi quales. ſemen malitioſum, & filios nequam appellat, qui Dominum reliquerint, & ſanctum Iſrael blaſphemarint, & à Deo receſſerint. Quo loco Deus Sanctus Iſrael appellatur, primo, quia ſanctus eſt ſuper omnes ſanctos, & qui ſua ſanctitate omnes ſanctos facit. Iſraelis vero ſanctus; quod populum hunc Deus ex omnibus ſibi elegerit, ut ab eo debito honore ac ſervitio celebraretur. Quare, ô maledicti blaſphematores, & divini nominis abnegatores, in vos illud quadrat quod Chriſtus Joannis VIII. de Judæis dicit, nimirum filios eos eſſe, à patre diabolo profectos. Quum ergo tam grave atque atrox peccatum ſit blaſphemia, procul ſane quicumque ei affines, à caſtris atque exercitu arcendi, atque eorum loco ij ſcribendi ſunt, qui divinum nomen invocant atque honorant. Unius enim juſti aut pij oratio plura ſæpe ac majora efficit quam multorum millium gladius & fortitudo. Quod uno aut altero exemplo liquido oſtendam.

Hiſtoria Moyſis & Aaronis. Exodi capite XVII. poſtquam populus Iſraeliticus, Ægyptiis mari ſubmerſis, liberatus fuit, alius contra eundem hoſtis exactus eſt, Amelech nomine: de quo ibidem ſic loquitur: *Venit autem Amelech, & pugnabat contra filios Iſrael in Raphidim. Dixitque Moyſes ad Ioſue: Elige viros, & egreſſus pugna contra Amelech cras. Ego ſtabo in vertice collis, habens virgam DEI in manu mea. Fecit Ioſue ut loquutus erat Moyſes, & pugnavit contra Amelech. Moyſes autem, & Aaron, & Hur aſcenderunt ſuper verticem collis. Quumque levaret Moyſes manus, vincebat Iſrael: ſin autem paullulum remiſiſſet, ſuperabat Amelech. Manus autem Moyſi erant graves. Sumentes igitur lapidem, poſuerunt ſubter eum, in quo ſedit. Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum eſt, ut manus illius non laſſarentur, uſque ad occaſum ſolis. Fugavitque Ioſue Amelech & populum ejus in ore gladii.* Super

S. Chryſ. quibus verbis S. Joannes Chryſoſtomus ſic commentatur: Stabat Moyſes in vertice montis, non armis, ſed precibus pugnans. Stabat in vertice elevatis manibus, Dei opem ardentiſſimis votis implorans: non è terra, ſed è cœlo exſpectans auxilium. Aberat ab hoſtibus: eos tamen multo vehementius percutiebat, quam maxime propinquus. Precibus ſuis occultum conſerebat prælium, apertam nihilominus & conſpicuam obtinuit victoriam. Clam pugnabat, ut aperte vinceret. Solus orabat, ut multis opitularetur. Stabat in montis vertice; & quanto propius à cœlo aberat, tanto propius oratione ad Deum evehebatur. Continua ipſius oratio victoriam, intermiſſa vero luctum & anxietatem afferebat, & corpore orantis deſatigato, hoſtis invaleſcebat; & Moyſe orare ceſſante, Iſrael vincere ceſſabat: ut ita Dei potentia univerſo populo manifeſtaretur. Moyſis denique in orando conſtantia atque aſſiduitas, fugatis hoſtibus, plenam tandem victoriam conſequuta eſt. Quis vero umquam juſtus orando pugnavit, & hoſtes ſuos non vicit? Hæc aureum illud os. Ex quibus facile intelligi poteſt, pios & in precationibus aſſiduos homines multo ad bellum aptiores atque utiliores eſſe, quam blaſphemos ac divini nominis exſecratores. Ab his enim quid aliud quam cladem exſpectes? quum illorum preces ac pietas certam tibi victoriam ſint parituræ.

A caſtris feminas arcendas eſſe.

Illud quoque imperatoribus diligenter inculcandum eſt, ne feminarum contubernia militibus permittant. Viros & Joſue, & Joſaphat, & ceteri quorum in SS. litteris fit mentio duces, ad militiam conſcripſerunt, nemo feminas. Quæ tantum abeſt ut ullum ad victoriam *Mulierū contubernia militibus perniciosa.* momentum adferant, ut etiam quum morum & diſciplinæ diſſolutioni, tum in primis ſeditionibus occaſionem præbeant, uti ſæpe factu & ſacræ & prophanæ hiſtoriæ teſtantur. Ex multis quæ paſſim occurrunt, unum hoc loco exemplum ponam, e quo tamen ſatis ſuperque intelligi poſſit, quam noxia ſint ac periculoſa in militia verſantibus mulierum contubernia. Deleto à populo Iſraelitico Og rege Baſan cum univerſo ejus exercitu ad internecionem, filii Iſrael *Num. 22.* in campeſtribus Moab caſtra metati ſunt. Videns autem Balac filius Zephor Moabitarum Rex *Hiſtoria Balaami.* omnia quæ fecerat Iſrael Amorrhæo, & quod pertimuiſſent eum Moabitæ, & impetum ejus ferre non poſſent: miſit nuncios ad Balaam filium Beor, ariolum, ut vocarent eum, & dicerent: Ecce egreſſus eſt populus ex Ægypto; qui operuit ſuperficiem terræ, ſedens contra me. Veni igitur, & maledic populo huic, qui fortior me eſt; ſi quo modo poſſum percutere & ejicere eum de terra mea. Novi enim quod benedictus ſit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congeſſeris, &c. Quumque veniſſent ad

Balaam

Digitized by Google

Balaam, & narraſſent ei omnia verba Balac, ille reſpondit: Manete hic nocte, & reſpondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Et ſic illi manſerunt apud Balaam. Ubi notandum eſt, quia Balaam ariolus erat, & diaboli propheta, qui diabolus tenebrarum princeps eſt, ideo voluiſſe ut nuncii illi apud ſe pernoctarent. Sed & idem Balaam diabolum dominum ſuum appellat: quem ſcilicet omnes magi, arioli & necromantici tamquam Dominum, immo Deum ſuum divinis honoribus & obſequiis colunt. Quod vero ait, ſe reſponſurum quidquid dominus ſibi dicturus ſit, more omnium malorum & falſorum vatum, inprimis eorum qui donis & pecuniæ inhiant, loquitur, qui Domini nomen obtendunt, ut divina myſteria revelare credantur, atque inde copioſiorem, à conſulentibus accipiant mercedem. Sed ea nocte venit Deus ad Balaam, & ait ad eum: Quid ſibi volunt iſti homines apud te? Et ille reſpondit: Balac filius Sephor, Rex Moabitarum, miſit ad me, dicens. Ecce populus qui egreſſus eſt de Ægypto, operuit ſuperficiem terræ. Veni, & maledic ei: ſi quo modo poſſim pugnans abigere eum. Dixitque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus eſt. Qui mane conſurgens, dixit ad principes: Ite in terram veſtram, quia prohibuit me Deus venire vobiſcũ. Reverſi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiſcum. Rurſum ille multo plures & nobiliores quam antea miſerat, miſit, qui quum veniſſent ad Balaam dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor. Ne cuncteris venire ad me. Paratum habeo honorare te; & quidquid volueris dabo tibi. Veni, & maledic populo iſti. Reſpondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus vel minus loquar. Obſecro ut hic maneatis etiam hac nocte; & ſcire queam, quid mihi rurſum reſpondeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaam nocte & ait ei: ſi vocare te venerunt homines iſti, ſurge & vade cum eis, ita duntaxat, ut quod tibi præcepero facias. Surrexit ergo Balaam mane, & profectus eſt cum eis, venitque ad Balac: ſed quum exſpectaret Balac ut Balaam populo Iſraelitico malediceret, ecce ei benedixit. Et iratus Balac dixit ad Balaam: Quid hoc eſt quod agis? Ut malediceres inimicis meis vocavi te, & tu è contrario jam tertiò benedicis eis? Revertere ad locum tuum. Decreveram quidem magnifice honorare te: ſed Dominus privavit te honore diſpoſito. Reſpondit Balaam ad Balac: Nonne nunciis tuis quos miſiſti ad me dixi; Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero præterire ſermonem Domini Dei mei, ut vel boni vel mali quid proferam ex corde meo: ſed quidquid Dominus mihi dixerit hoc loquar. Verumtamen pergens ad populum meum, dabo tibi conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.

Diabolus dominus ariolorũ

Secunda Balac legatio.

Contra Deũ non eſt conſilium.

Hæc quidem à Balaam eò dicta ſunt, quod ſciret quamdiu Spiritu Dei eſſet adflatus, nihil ſe contra Iſrael loqui, aut ei maledicere poſſe: at ubi alium in locum poſtea veniſſet, liberum ſibi fore quas vellet execrationes contra eundem profundere; uti & factum eſt. Gnarus enim filios Iſrael ad laſciviam & libidinem proclives eſſe, Balac conſilium dedit, ut feminas tam forma quam cultu conſpicuas in eorum caſtra ſubmitteret, quæ Iſraelitas blanditiis ad amorem pellicerent, at libidini eorum nequaquam morem gererent, niſi Moabitarum deos adorarent, ipſiſque ſacrificata comederent, ut ſcilicet ab irato Deo in hoſtium manus traderentur. Etſi vero conſilium hoc Balaco à Balaam ſuggeſtum fuiſſe, textus non expreſſe teſtetur: id tamen nõ conjecturis, tantum verum etiam aliis Sacræ Scripturæ locis facile adſtrui poteſt. Nam ejuſdem libri capite XXXI. Moyſes Iſraelitas ſic alloquitur: *Cur feminas reſervaſtis? Nonne iſta ſunt quæ deceperunt filios Iſrael ad ſuggeſtionem Balaã, & prævaricari vos fecerunt in Domino ſuper peccato Phegor*, &c? Et Apocalypſeos II, capite: *Sed habeo adverſus te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcãdalum coram filiis Iſrael, edere & fornicari.* Huic Balaami conſilio obſequutus Balac, feminas quaſdam lenociniis omnibus mirum in modum inſtructas, in Iſraelitarum caſtra, ut ſupra dicere cœpi, ſubmiſit: cum quibus illi fornicati ſunt, ac de idolothytis comederunt: immo Moabitarum deos adorarunt, & contra expreſſum Dei mandatum, cum feminis eorum matrimonia contraxerunt. Quin eo prorupit licentia, ut vir quidam inſpectante tota populi multitudine, atque ipſo Moyſe lupanar, ut cum Madianitide quadam commiſceretur, ingreſſus ſit. Nec is homo de vulgo erat, ſed dux, de cognatione & tribu Simeonis, Zambri nomine: mulier vero vocabatur Coſbi, filia Sur, Principis nobiliſſimi Madianitarum: quo ipſo ſane peccatum illud

Balaam quomodo Iſraelitis perniciẽ ſit molitus.

Balaami conſilium.

Feminarum lenocinia quã periculoſa.

Digitized by Google

& multo erat conſpectius & gravius. Et ille quidem Moyſi in os exprobrare non dubitaverat, Non minus licere ſibi cum Madianitide rem habere, quam ipſi cum Sephora Jethri ſacerdotis filia, matrimonio copulari. In quo tamen idem gravem Moyſi fecit injuriam, quum eo tempore, quo Moyſes Sephoram uxorem duxit, alienigenarum ſive peregrinarum connubia Iſraelitis nondum à Deo fuerint interdicta. Sed nec à Sephora Moyſes ad idololatriam abduci ſe paſſus fuit, ſed eam potius ipſe à profano ad verum Dei cultum pertraxit.

Zambri flagitiū

Zelus Phinea.

Porro nefarium illud Zambri facinus conſpicatus Phinees, arrepto pugione, ingreſſus eſt poſt eum in lupanar, & perfodit ambos, virum ſcilicet & mulierem, in locis genitalibus. Quod Phineæ factum tam gratum Deo fuit, ut averterit iram ſuam a filiis Iſrael, & ſic per Moyſem de ipſo loquutus ſit: Ecce do ei pacem fœderis mei: & erit tam ipſi quam ſemini ejus pactum ſacerdotii ſempiternum. At populi qui peregrinis illis feminis abuſus fuerat ſcelus, non niſi Principum ſuſpendio, & viginti quatuor milliū cæde potuit expiari.

Scorta cur militia fugienda.

Ex his ſane aliiſque plurimis, quæ adferri hoc loco à nobis poſſent, exemplis, perſpicuum eſt, quam periculoſa ac noxia ſint, militiæ præſertim, feminarum contubernia: quas propterea ac ſequentes etiam ob cauſſas prudens imperator procul à caſtris habebit,

Primo, quia multarum inde diſcordiarum, litium, atque adeo cædium, immo & ſeditionum ſemina ac cauſſæ exſiſtunt,

Secundo, etiam ſi nullum ſeditionis eſſet periculum, geminum tamen malum muliebre contubernium militibus adfert, quorum unum ad corpus, alterum ad animam pertinet. Animæ quidem nocent feminæ ſive ſcorta: quia Deus acerrimus eſt fornicationis ac vagæ libidinis hoſtis; qua pollutus, ſummo animam ſuam æterni exitij diſcrimini exponit. Corporale vero dānum illud eſt, quod vaga illa libidine corporis vires enerventur, adeoque animus quoque inde ita elangueſcat, ut manus ad arma torpeant, omniſque hoſtem fortiter oppugnandi aut eidem reſiſtendi alacritas abſcedat: & qui tales, ſpem omnem ſalutis in fuga ponant.

Deus fornicationis hoſtis.

Acolaſtum illum filium in Evangelio legimus omne ſuum patrimonium cum ſcortis abſumſiſſe. Super quo gloſſa interlinearis inquit, Libidinem ſive amores illicitos omnia bona naturalia conſumere: inter quæ ſane Fortitudo quoque tam animi quam corporis numeratur. Quod ſi horū nihil ex impudicarum mulierum contubernio militibus metuendum eſſet: certū eſt tamen, magnam annonæ partem ab inutili iſto hominum genere conſumi. Et tantum abeſt, ut illarum præſentia rebus aliquod adiumētum adferat, ut multa inde pericula ac damna (quorum nonnulla ſupra attigimus, longe vero plura tamquam nota ſilentio præterimus) metuenda ſint. Antiſthenem dicere ſolitum ajunt, multo tutius cū paucis contra multos malos, quam cum multis malis contra paucos bonos dimicari: innuens, non in militum numero, ſed virtute ac pietate victoriæ ſpem collocādam eſſe: quorum tamen miram eſſe paucitatem non nego.

Alexandri magni exercitus qualis.

Alexandrum Magnum legimus triginta peditum, & non totis quinque equitum millibus, ac claſſe centum & viginti octo navium totum ferè Mundum ſubegiſſe, ac Darium, quamvis is ad ſexies centena hominum millia in exercitu haberet, viciſſe ac profligaſſe. Cujus rei etſi fortaſſis aliæ quoque cauſſæ reddi poſſunt, illæ tamen mihi præcipuæ videntur, quod Alexander non temerariis juvenibus aut tyronibus, ſed veteranis militibus, & patris bellis iam olim exercitatis uſus ſit: ut vix ullus miles eſſet, qui non idem ducis munus obire potuiſſet, ac pauci ſexagenariis minores eſſent. In prœlio de fuga nemo cogitabat, ſed victoriam jam ante certa ſpe præceptam quiſque ſummis viribus urgebant; non pedum pernicitate, ſed brachiorum robore cōfiſi. Quid mirum ergo, ſi tali exercitu Alexander infinitā imbellium multitudinem fudit, ac tandem, ſumma celeritate victoriam perſequens, nihilque differens, totius pæne Mundi ſibi imperium acquiſivit? Quod ſi tu, Illuſtriſſime Princeps talem conſcripſeris exercitum, & ab eo quum blaſphematores divini nominis, tum impudicas mulieres ac ſcorta procul habueris, magna me ſane ſpes tenet, Deum conatus tuos ita fortunaturū, ut non Regis tantum, verum etiam totius Chriſtianæ Reipublicæ commoda illuſtribus tuis victoriis multum promoveantur, & nomen tuum æterna laude ad omnem poſteritatem commendetur.

Votū auctoris

Ad

Ad
GARSIAM CHANGEZ De VELA
EPISTOLA.
Hiſtoria cujuſdam quæ in Granatenſis regni expugnatione accidit, enarratrix,
Amice ſingularis, ocioſe aulice.

Occupatis non plus negotii faceſſendũ

SAtis mirari profecto importunitatem tuam non poſſum, qui mihi homini diuturnis tam corporis quam animi laboribus non exhauſto, ſed fracto, pergas moleſtus eſſe, literis tuis quotidie novi aliquid ex me percontando. Nam ſi neſcis, poſtquam in Valentiæ regno ultra bis mille familias ad fidem Chriſti converſas, ſalutari baptiſmi fonte ablui, à Rege mihi injunctũ fuit, ut Granatenſe etiam regnum obirem, & eãdem operam novitiis Chriſtianis præſtarem: quod &, prout debui, ſumma cum alacritate perfeci. In quo munere mihi verſanti, dici non poteſt quam multiplices iique graviſſimi paſſim labores obiecti ſint; novitiorum Chriſtianorum rebus præſentem melioris inſtitutionis opem, & veterum vita ſalutaria emendationis remedia poſcentibus. Quid multis utrobique eum rerum ſtatum offendi, ut pleraque diſſimulare conſultum eſſe ducam. Quis enim neſcit, graviora illa atque abominanda flagitia perpetuo ſilentio potius opprimenda quam reprehendenda aut caſtiganda eſſe? Primo, ne aliis iſta fortaſſe ignorantibus, eadem patrandi detur occaſio. Deinde ne boni ac ſimplices iſtorum peccatorum atrocitate offendantur. Sed ad rem.

Turpia diſſimulãda potius quã aperiẽda

Quæris ex me, ecquid in iſta functione memorabile & vel riſu vel admiratione dignum mihi occurrerit? De talibus quidem otioſum aliquem hominem, tuæ ſortis, non vero me, cui præ negotiis quæ Mauri mihi exhibent, vix reſpirandi datur facultas, percontari te oportebat. Equidem fortunam mihi meam deplorare, quã quidquam novi ſcribere magis iam lubet. Vide tamen quam te amem! qui etiam ſic morem tibi gerere, & quid ante menſem circiter mihi acciderit, ſignificare animum induxerim.

Granata qua occaſione Mauris erepta.

Mihi ergo Granatam petenti, comitum unus (quorum decem partim cuſtodiæ, partim viæ commonſtrandæ cauſa ſemper apud me habeo) & è colle quodam proximo magnam illam urbem proſpicienti; amiſſi regni cauſſas his fere verbis expoſuit. Non multi, inquit, anni ſunt, quum regnum hoc diſcordiæ ſive domeſticæ contentiones perdiderunt, inter Muleum ſive Regem Abduatum, & Aben Cerrages, notæ fortitudinis equites, quorum uterque tam belli quam pacis tempore res multas bene feliciterq; geſſerat, ob mulierculæ cujuſdam amorem exortæ, & non niſi cum utriuſque interitu exſtinctæ. Aben-Cerrages enim inferiorem ſe viribus animadvertens, Ferdinandi Aragoniæ Regis opem imploravit: qui eam nobiliſſimi regni occupandi occaſionem cupide amplexus urbem ipſam brevi in poteſtatem ſuam redegit. Altero die poſt urbem traditam; Rex Cicho, id eſt, parvulus, per portam quandam Arcis egreſſus, ut expugnati Granatenſis regni memoria ſempiterna exſtaret, à Ferdinando flagitavit, ut nemini poſt ſe ea umquam pateret. Quod & facile impetravit: ideoque ab eo tempore ſemper clauſa manſit, & ne umquam aperiretur, firmum ei oppoſitum fuit propugnaculum. Maurorum vero Rex quum ad collem hunc (in quo nos conſiſtebamus) inquit, perveniſſet, atque inde urbem atque arcem numquam ſibi poſtea videndas contemplaretur, redeunte in animum præteritarũ deliciarum memoria & futurarum rerum ſtatu occurrente, in genua prolapſus, non illachrymari tantum, ſed & barbam ac capillos, ut Mauri in ejuſmodi caſibus ſolent, evellere ſibi cœpit, Deum obſecrans ut illo ipſo in loco mori ſibi liceret. Quod ubi Matri quæ præceſſerat, renunciatum fuit, ad filium reverſa, his eum verbis adfata dicitur: *Merito nunc extra urbem pueriles emittis lacrumas, in qua tamquam vir, cordate pro Aris & Focis pugnare noluiſti.* Hæc aiebat, idem verba Rex tum nequaquam, uti debuerat, expendit; ego vero non ſemel poſtea dicentem ipſum audivi, ſi tum probri à Matre ſibi objecti gravitatem atque acrimoniam, uti poſtea, ſenſiſſet, ſe aut mutuis cum ſuis vulneribus caſurum, aut Granatam reverſum, cum Chriſtianis ad extremum uſque ſpiritum dimicaturum ac vitam libenter projecturum fuiſſe.

Amor, quos perdidiſti.

Cichi Maurorũ Regis factum.

Hæc quidem ille tum mihi non ſine ſuſpiriis narrabat. Equidem Cichi matrem filio ignaviam merito exprobraſſe puto: cujus loco ſi fuiſſem, in Granatenſi certe Arce pulcram per vulnera mortem, ut Poeta loquitur, mihi quærere,

Libertas vita clarior.

quam

Digitized by Google

quam in Alpuxarræ montibus oberrare, & famelicam vitam agere maluiſſem. His quod præterea addam nunc non habeo; rogans interim, ut has litteras Dolentiæ Comiti legendas communices.

Ad

NN. AMICUM

EPISTOLA,

Qua malam ejus conſuetudinem, convitiis quemque inceſſere ſoliti, reprehendit.

POpulus Iſraeliticus antequam ex Ægypto erat egreſſus, Regem habuit, non legem; idem poſt exitum, legem multo prius habuit quam Regem: juſtitiam interim Judicibus & Sacerdotibus adminiſtrantibus. Ex horum numero fuit Heli ſacerdos, vir quidem moribus ac vita integer, ſed domeſticis ſuorum vitiis nimium indulgens. Huic duo erant filij, Hophni & Phinees, uterque corruptis & flagitioſis moribus, de quibus S. Scriptura ſic loquitur. *Peccatum puerorum erat grande nimis, quia detrahebant homines à ſacrificio.* Quinque vero criminum iidem inſimulantur; Ignorantiæ, Gulæ, Libidinis, Avaritiæ & Negligentiæ: omnium vero graviſſimum illud erat, non quod ipſi peccarent, ſed quod homines ad peccandum invitarent, & à ſacrificiis ac Dei cultu abſterrerent. Et quidem ob hoc ipſum peccatum Heli ſenex caſu exanimatus eſt; filii ejus in acie cæſi occubuerunt, & nurus in partu extincta fuit: pœna non eos tantum qui peccaverant, verum etiam qui peccantibus indulſerant complectente.

Heli ſacerdotis indulgẽtia.

Veri amici munus.

Veterem hanc hiſtoriam hoc loco allegare volui, ut tanto facilius mihi ignoſcas, veri amici fungenti officio, & quod reprehenſione in te dignum nuper vidi atque audivi; libere atque audacter tibi oſtendenti. Neque enim memoria tibi excidiſſe arbitror, quid nuper me atque Olivæ Comite præſentibus non modo feceris, ſed & tamquam recte factum defendere non dubitaris.

Satius eſt fruſtra monere amicum quã officio deeſſe.

Plato amicum habuiſſe fertur, ætate provectum, ſed moribus vitioſum: quem quum ille ſæpe fruſtra verbis corriperet, nec tamen quidquam proficeret, rogatus à quodam, cur inanem hanc operam ſumeret, & ſenem hunc, qui in vitiis callum iam obduxerat, fruſtra corrigere niteretur? reſpondit: Recte tu, atque in eo idem tecum ſentio. Illud tamen ſcito, tam arctas eſſe amicitiæ leges, ut operam potius vel ſcientes perdere, quam quidquam quod ullo modo ad proximi commodum facere videtur, omittere debeamus. Quum ergo inter nos quoque vetus amicitia iamdiu fuerit; facere ſane non poſſum nec debeo, quin eorum, in quibus mihi lapſus videris, te admoneam, atque etiã libere obiurgẽ. Neque tamen omnia quæ ſcio vel quæ poſſum, ſed ea tãtum quæ debeo, epiſtola hac attingam. Tu inde boni amici officium agnoſces: cujus eſt, alterius vitia non diſſimulare, aut adulando fovere, ſed corripiendo emendare.

Quæ nobili, aulico, Chriſtiano conveniant.

Nuper quum tecum eſſem, verba quædam tibi elapſa ſunt, nec Nobili, nec aulico, multo minus Chriſtiano digna. Nobili enim convenit in verbis ac dictis gravitatem, Aulico urbanitatẽ, Chriſtiano vero in omnibus illæſam ſervare cõſcientiam. At tu & magnum commiſiſti peccatũ, & omni urbanitate poſtpoſita, gravitati etiam tuæ male conſuluiſti, dum Cid. Abducarim nuper magno noſtro labore, toto Maurorum grege indignante, Chriſtianæ religioni initiatum, Mauriſcum ſive infidelem ac Canem per convitium appellare non dubitaſti. Vide quid dicas, mi homo. An tu ille es, quem propheta corda ac renes ſcrutari dicit? Quibus tu indiciis deprehẽdiſti, utrum Abducaris ille verus an falſus ſit Chriſtianus? An tua merita ſive bona opera cum ipſius meritis æqua lance appendiſti? An tuam & ipſius fidem una eadem decempeda menſus es? Quis peccata tua tibi condonata eſſe ſponſorem ſe tibi præſtitit? Quis in electorum libro nomen tuum ſcriptum eſſe tibi dixit? Mihi crede, tam ſalvandorum quam damnandorum nomina ſoli Deo nota ſunt. Nemo hominum hanc rem vel ſcientia vel conjectura aſſequi poteſt.

Ne judica proximum.

Quum ergo tu & Abducaris uterque in Deum credat, uterque baptiſatus ſit, uterque conciones & ſacra frequentet, uterque Deo & ſacerdoti peccata ſua fateatur, ille nihil impium faciat, tu nullum miraculum patres: cauſſam ſane non video, cur tu melior Chriſtianus videri, ille vero pro Cane haberi debeat. Magna profecto cõfidentia ac Chriſtiano indigna temeritas eſt, proximum Canis, Mauriſci, infidelis, aut quocumque alio convicio inceſſere. Nam ut in cœlo is ſolus maximam habet prærogativam qui

Graviſſima eſt ſuſpitio malæ fidei.

bonus

Digitized by Google

bonus Chriſtianus eſt; ſic in terra atrociſſima is contumelia afficitur, cujus fides & religio in ſuſpicionem vocatur. Quid enim maius homini contingere poſſit, quàm bona hominum exiſtimatio & fama? Econtra quid ignominioſius ac turpius eſt, quam non dico labe, ſed vel ſuſpicione fidei Deo non ſervatæ laborare? At qui Maurum ſine paganum ad Chriſtianam fidem converſum. Infidelem aut Canem appellat, eundem hæreſeos ac proditæ fidei certe inſimulat. *Qui dixerit fratri ſuo Racha, reus erit gehennæ*, inquit Chriſtus in Evangelio. Quaſi diceret, Eum qui probus Chriſtianus non videri modo ſed & eſſe velit, non modo benefacere, ſed etiam bene loqui oportere. Numquid enim Chriſtus ipſe dicit, qui fratrem ſuum fatuum per convitium appellat, jam gehennæ reum eſſe? At quæro ego ex te, utrum atrocius ſit convicium, fatuum aliquem, vel ſtultum, an Maranum, Judæum aut Canem appellare? Equidem ab aliis ſtultus quàm malus Chriſtianus vel deſertor fidei appellari malim. Illo enim honor tantum, hoc vero convitio & anima & honor ſimul læduntur. Poſtulat à nobis divinæ legis perfectio, ut non tantum ſincere alter alterum diligamus, verum etiam ne vel manu quemquam vulneremus, vel lingua dehoneſtemus

Vetuſta, ſed prava conſuetudo non ſequenda eſt.

Memini ob convicium illud mihi reprehendenti te reſpondiſſe, vetuſtam eſſe conſuetudinem novitios Chriſtianos ita appellandi. Quæ ſanè excuſatio non poteſt non frivola mihi & ridicula videri. Ego vero ſemper exiſtimavi, prudentis ac verecundi hominis eſſe, etiam atque etiam videre, quibus excuſationibus utatur; ne excuſando ſeipſum magis accuſet, ac peccatum multo gravius reddat. Id te quoq; communem illum conſuetudinem allegantem, feciſſe oportebat: quam equidem, utpote bonis moribus & charitati Chriſtianæ contrariam, deteſtor.

Iuxta conſuetudinem Chananæorum & Ægyptiorum non facietis, & in legitimis eorum non ambuletis; inquit Deus ad Iſraelitas, quaſi dicat: Cavete, ô filii Iſrael, ne in Ægyptum delati, gentis ejus conſuetudines aut mores imitemini; ſed omnes veſtras actiones & conſilia ad unicam præceptorum meorum normam dirigite atque inſtituite. Quo ſignificare Deus voluit, malas cuiuscumq; regionis conſuetudines, quantumvis vetuſtas, nequaquam laudandas, multo minus vero ſequendas eſſe. Quæ enim maior ſtultitia eſſe poſſit, quàm pravis moribus pravæ cõſuetudinis auctoritatem obtendere?

Peccatũ peccato non addendum.

Vis ergo, ut quid de hac tua excuſatione ſentiam, ex animi ſententia dicam? Equidem ſic exiſtimo, quum proximum tuum Infidelem, Maurum, Canem appellare non dubitaris, & morem & conſuetudinem ad huius tui facti excuſationem alleges, non ſolum dignum te eſſe in quem inquiſitionis Officium graviter animadvertat, ſed & quem univerſus populus lapidibus obruat, tamquam & patriæ conſuetudinis, & Chriſtianæ legis prævaricatorem. Illius quidem convitii injuria ad Cid-Abducarim, exempli vero offendiculum ſeu ſcandalum ad omnes pertinet. Eoque minus Maurorum admiror pertinaciam qui etiamſi Chriſtianæ fidei nomen dederint, nihilominus à te ac tui ſimilibus Infidelium ac Canum loco habentur, atque ita per convitium appellantur.

Habet Deus vindicẽ oculum.

Ad Moyſen Deus ita loquitur: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audivi propter duritiam eorum qui præſunt operibus.* Quibus verbis Deus innuit, ſe nequaquam eorũ qui ipſi ſerviunt, etiamſi quibuſdam ita videri poſſit, curam abieciſſe; ſed labores eorum & miſerias, quibus ab injurioſis hominibus affligantur, quaſi in numerato & præ conſpectu ſemper habere: eoque propediem deſcenſurum ſe, & de Ægyptiis populi ſui oppreſſoribus, meritas pœnas ſumturum. Quæ verba exponens S. Auguſtinus inter alia, inquit, injuriarum genera, quibus Ægyptii Iſraelitas miſerum in modum vexarint, illam non minimam fuiſſe, quod ab eis per ſummam contumeliam Judaici Canes, & alijs convitiis appellati fuerint: quorum ſenſus ut eſt acerrimus, ita ultio plerumque minus opportuna. Quis vero dubitet, quin tali convitio Chriſtianum proſcindere tanto gravius ſit peccatum, quanto Chriſtiana lex Moſaica eſt perfectior? An tu putas, Deum, qui injuriam ejuſmodi Judæis illatam, tam acerbe in Ægyptiis ultus eſt, non multo gravius eam quæ Chriſtianis infertur, ulturum eſſe! Etiam atque etiam rogo te, mi homo, ne vel animo vel linguæ tuæ tantum indulgeas, ut vel geſtu vel verbis proximo inſultes. Quisquis enim alios offendere non veretur, in ejus non vitam tantum & mores, ſed etiam genus & alia diligenter omnes inquirunt. Audi quid rum acciderit. Vix tu ea verba effatus fueras, quum me audiente adſtantiũ aliquis dicit: Per Jovem lapidem juro, ſi

Cid-Abducaris è Maurorum eſt proſapia, me credere, boni illius nobilis, qui tantopore ei inſultat, avum è Judæorum ſtirpe fuiſſe prognatum. Vide quid tu convitio hoc lucri tibi feceris! nimirum ut majorum tuorum manes ſollicitentur, ac tibiipſi genus ſive vero ſive falſo exprobretur. Quam moleſtiam facile vitare poteras, ſi animum ac linguam refrænaſſes. Mihi quidem Cæſarea Majeſtas mandavit, ut in Mauris ad Chriſtianam fidem convertendis ac baptiſandis omnem meam induſtriam atque operam conferrem: quod quidem munus pro ſingulari divini erga me indignum favoris indicio habeo atque amplector. Ac quamvis meritis Apoſtolus non ſim, Apoſtolatus tamen officium totum triennium jam exerceo, Mauros ſive paganos docendo ac baptiſando, multas interim vero eorundem injurias patienter devorando,

Auctoris in convertẽdis Mauris ſedulitas

Sed ut finem epiſtolæ imponam, pro ea quæ jamdiu tecum mihi interceſſit neceſſitudine atque amicitia moneo te atq; hortor, des operam ut à factis tuis omnis temeritas, & a verbis omnis in proximum injuria longe abſit. Id niſi feceris, jam ante prędico, fore, ut ſubito ipſe cadas, & errorem tuum ſero deplores. Vale.

De

REGUM AC PRINCIPUM OFFICIO ORATIO,

Super verbis illis regii Prophetæ: *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram, &c.* præſente Imperatore habita.

Cæſar Invictiſſime, Domine Clementiſſime:

ANtequam ad verborum iſtorum veniam explicationem, ut ſequentia tanto melius intelligantur, operæ precium fuerit quædam præmittere, atque inprimis illud conſiderare, quo impulſus regius Propheta David in hanc vocem eruperit, qua Reges ac Principes officii ſui voluit admonere.

Principũ quorundã malitia.

Principio dubium non eſt, Davidem in ſpiritu prævidiſſe, non paucos Reges ac Principes Chriſtum Mundi Salvatorem deſpicatui habituros, ejusque legem detrectaturos, ſpe interim nihilominus deſideria ſua conſequendi, & quod inſtituunt perficiendi fretos. Hinc illorum apud eundem voces: *Dirumpamus vincula eorum* (ſanctiſſimæ nempe atque individuæ Trinitatis) *& projiciamus à nobis jugum ipſorum.* At ſequenti ſtatim verſu idem David oſtendit, longe eos opinione ſua fruſtratum iri, inquiens: *Qui habitat in cœlis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Quibus verbis docemur, vanos eſſe omnes impiorum Regum ac Principum conatus: & quiſquis contra Deum molitus aliquid fuerit, fortunæ ludibrium, amicis luctum, riſum inimicis, ac ſibiipſi exitium debere. Addit: *Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.* O triſtem iram! ô pertimeſcendum furorem! cujus multo magis quam temporarij alicujus Regis, nuncius mors eſt.

Fruſtra contra Deum.

Nec vero periculum tantum Regibus ac Principibus David proponit, verum etiam evitandi ejus rationem oſtendit, dicens: *Et nunc Reges intelligite. Erudimini qui judicatis terram.* Mox ſubjungit. *Servite Domino in timore: & exſultate ei cum tremore.* Pergit tertio: *Apprehendite diſciplinam: ne quando iraſcatur Dominus & pereatis de via juſta.* Quarto denique: *Quum exarſerit in brevi ira ejus. Beati omnes qui confidunt in eo.*

Primis illis verſibus David duo docet, omnibus Principibus & in imperio conſtitutis neceſſaria. Primo ut intelligant, atque erudiri ſe patiantur: deinde ne ullam ea in re moram interponant; eoque particula *Nunc* utitur.

Ad primum quod attinet, Sapientia quam hoc loco David Regibus ac Principibus commendat, mere terrena non eſt, ſed illa quam Spiritus S. infundit, & lex Dei ac Jeſu Chriſti Evangelium docet. Equidem nihili eſt omne Mundanum imperium quod ſecundum Evangelii legem & normam non adminiſtratur. Quod ſi verba illa Mundano more velimus interpretari, minime omnium ad Reges ac Principes pertinere videbuntur. Quid enim attinet, jubere ut ij intelligant atque erudiri ſe patiantur, qui tanto Conſiliatiorum ac ſapientium virorum agmine ſunt circumſepti? quorum omnis cura in prudenti Reipublicæ adminiſtratione conſumitur? Hanc eorum curam & ſollicitudinem Propheta initio Pſalmi ſatis exprimit, inquiens: *Aſtiterunt Reges terræ & Principes convenerunt in unum.* Ex quo intelligitur, etiam eos, qui contra Deum aliquid

Qua ſapientia Regibus diſcenda.

Digitized by Google

aliquid moliuntur, non cæco ac temerario impetu ferri, ſed deliberate omnia agere, & in iis quæ ipſi non ſatis intelligere, aut expedire nequeunt, conſilia cum aliis conferre: ut ita David hoc loco non Reges, ſed inferioris ſtatus atque obtuſioris ingenij homines alloqui videatur. Illud profectò conſtat, quum Deus Regibus ac Principibus mandet, ut intelligant & erudiri ſe patiantur, non naſci ipſos ſapientes, nec à conditionis ſublimitate ea in re ullam præ ceteris habere prærogativam; nec eorundem conſilia aut conatus bonum umquam eventum ſortituros, niſi ad divinæ legis præſcriptum ſint conformati. Quid ergo aliud Principibus mandat David, quam ut poſtpoſita omni humana prudentia, cœleſtem quærant ſapientiam, & ad ejus præſcriptum imperia ſibi concredita moderentur? Bona quidem eſt & laudabilis hominum prudētia, & Mundi ſapientia ſuam habet tam laudem quam utilitatem: à qua tamen ſi Dei abſit metus, nec quæ ſuſcipiuntur conſilia ad divinæ legis præſcriptum exigantur, mox omnia vaneſcere, aut triſti etiam exitu terminari videbis. Mundi ſapientiam ſtultitiam eſſe apud Deum D. Paullus Apoſtolus pronunciat. Et regius Pſaltes initio hujus Pſalmi ait, Populos meditatos eſſe inania: eoque Dominum ſubſannaturum eos. Alibi idem D. Paullus hoc elogium humanæ tribuit ſapientiæ. *Sapientia carnis*, inquit, *mors eſt, & inimica Deo.* Et profectò manca eſt, immo vana omnis ſapientia quæ non ex divini Verbi fontibus hauſta ſit.

Divina lex norma actionum.

Ne vero neſcirent Reges ac Principes, quando ſapientia hæc cœleſtis diſcenda ſit, addit David: *Nunc* Reges intelligite, *Nunc*, id eſt, ſtatim, è veſtigio, ſine ulla mora aut procraſtinatione. In virtutis enim operibus nihil magis odit DEUS quam moram ſive cunctationem noſtram. Quare poſtulat à nobis, ut diſciplinam ſive legem divinam quamprimum apprehendamus, & voluntatem ſine ulla mora exſequamur. Diſcant hinc Reges ac Principes, tum demum Deo ſe placituros ſi quæ vel SS. litteris ipſi legerint, vel à divini Verbi præconibus & Confeſſariis audierint ſalutaria documenta in animū ſtatim demittant, nec in animum tantum demittant, verum etiam opere ipſo quæ divina lex jubet, ſtatim exſequantur; ſemperque aures ipſorum vox illa pulſet: *Nunc Reges intelligite*: Jam veram ſapientiam addiſcendi tempus, jam occaſio eſt: quam ſi præterire atque elabi vobis ſinatis, fruſtra alio tempore à Deo poſtulabitis. Quod ſi ullo, hoc certe perturbato ac multarum hæreſeon pleno ſæculo divina illa Spiritus S. admonitio Regibus ac Principibus neceſſaria videri debet, ut aſſidue illud inculcandum ſit: *Nunc Reges*, ſi quando alias, *intelligite. Erudimini qui judicatis terram.* Rex Joſaphat multis ſane cum moleſtiis & laboribus diu conflictatus fuerat: idem tamen poſtquam divinæ legi erudiendum ſe tradidit, tantum in ea profecit, ut paucorum Prophetarum ac ſacerdotum opera adjutus, religionis abuſus reformarit, divinum cultum reſtaurarit, ac Dei voluntatem toti populo ſincere prædicari fecerit. Quis ergo pium hunc Regem divino huic præcepto, *Nunc Reges intelligite*, &c. tam ſedulo obtemperantem non imitetur? modo tam ſuam quam populi ſalutem in tuto cupiat eſſe collocatam.

Nil cunctandū in divinis.

Si quando homines negotium aliquod difficile atque arduum alicui mandent, non tempus tantum, ſed etiam modum ejus exſequendi præſcribere ſolent. Idem hoc loco Rex David, vel potius Spiritus S. per Davidem Regem facit. Poſtquam enim Reges juſſit diſciplinam apprehendere, ac divinæ legi erudiendos ſe tradere, idque *Nunc*, ſine ulla mora, ſtatim: jam etiam rationem ſive methodum, qua commodiſſime id fieri poſſit ac debeat, commonſtrat, dicens: Servite Domino in timore, & exſultate ei cum tremore.

Modus ea exſequendi.

In quibus verbis primo illud conſiderandum eſt, quod Reges ac Principes *ſervire* jubentur. At quid vilius aut contemtius eis præcipi poſſit quam ut ſerviant? eis, inquam, quibus omnes ſervire ſtudent; & qui ipſi omnibus imperare ſolent? Ne vero ſervitutem hanc tamquam indignam detrectent, addit propheta, cui ſervire debeant, inquiens: *Servite Domino*; Domino videlicet dominantium, & Regi Regum, qui ut ex nihilo fecit omnia, ita eadem adhuc liberrime pro ſua voluntate & nutu diſponit ac gubernat. Quo monentur Principes, ſolis iis tam tuto regnandi quam tranquille ac beate vivendi eſſe facultatem, qui Deo ejusque mandatis in omnibus ſeſe ſubjiciūt, & ad ipſius pedes ſe proſternunt. Vere enim ab illo dicitur: *Servire Deo, regnare eſt.*

Vera bene imperandi ratio.

His vero iiſdem verbis Deus Regibus ac Principibus innatam fere ſuperbiam retundere voluit, ac monere, ne ideo ſe natos putent, ut ceteris imperent, ſed potius ut meminerint, ſe quoq;

Digitized by Google

ac Deo in timore ſerviant, & cum tremore exſultent: jam etiam lectionem quam diſcere debeant deſignat inquiens: *Apprehendite diſciplinam, & Oſculamini filium*

Diſciplina qua & qualis.

Diſciplinæ nomine hoc loco intelliguntur tã Evangelii doctrina, quam omnia Catholicæ Eccleſiæ præcepta. Quam diſciplinam hic Propheta, Chriſtus alibi jugum & onus appellat, Matthæi cap. XI dicens: *Iugum meum ſuave eſt & onus meum leve.* Hoc jugum qui excutiunt, qui onus hoc abiiciunt, quique diſciplinam hanc detrectant atque averſantur, rectà adperniciem ſuam atque exitium feruntur. Davidis ergo cõſilio obſequantur Principes, viamque ab eo cõmonſtratam ingrediantur, quo dignitatem muneris ſui tueri, & in Eccleſiæ obedientia permanere poſſint,

Apprehendere, quid.

Vox, *Apprehendite*, cum ſuperiori illa *Nunc*, aptiſſime cohæret. Per illam Spiritus S. Principes monet, ut quæcumque ad divini honoris amplificationem Eccleſiæque emolumentum pertinere videbuntur, cupide atque obviis ulnis amplectantur, atque ita teneant, tamquam ea, in quibus omnis imperii non dignitas modo, ſed etiam ſalus verſetur: nec ullam umquam occaſionem tale aliquid agendi elabi ſibi patiãtur; inſuperhabitis omnibus obſtaculis atq; impedimentis, quæ diabolus obiicere ſolet. Quod ſi triſtis eſt neglectæ, numquam poſtea forte redituræ occaſionis recordatio; tanto certè hac in re triſtior eſſe debet, quanto majora ſunt quæ ad divinum honorem, quã quæ ad temporariũ aliquod commodum ſpectant.

Occaſio non negligenda.

Judaici populi ingratitudinem, & in apprehendenda divinæ voluntatis cognoſcendæ occaſione negligentiam ac ſecordiam Salvator noſter tam acerbe tulit, ut urbem contemplatus illachrymarit, & in hæc verba plena doloris erumperit: *Quia* (id eſt, utinam) *ſi cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi! Nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Graviſſimas deinde ingratitudinis hujus ac ſecordiæ pœnas prædicens, cauſſam addit his verbis: *Eo quod non cognoviſti tempus viſitationis tuæ.* Tempus viſitationis fuit Jeſus Chriſtus ejuſque doctrina, quorum neutrum Judæi cognoſcere voluerunt, cum æterno ſalutis ſuæ damno.

Quid aliud cauſſæ eſſe exiſtimamus, quod Joſaphat, Joſias & alii pii Iſraelitici populi Reges tam pacifice ac laudabiliter regnum adminiſtrarunt, quam quod omnia divini cultus promovendi ac reſtaurandæ pietatis momenta non cupide modo apprehenderint, verum & ſollicite quæſierint, & ſerio urſerint atque in effectum deduxerint. Ut verum fateamur, Cæſar invictiſſime, multas nos hoc tempore & graves divinam iram, ob ſummam in divino exhibendo cultu negligentiam ac divini Verbi contemtum, depreeandi cauſſas habemus.

Pœna quomodo vitari poſſint.

Quas pœnas licet iamdudũ bene meritas Cæſarea Veſtra Majeſtas facile avertere poterit, ſi nõ ſolum ipſa Chriſti jugo collum ſubdat ac diſciplinam apprehendat; ad ejuſque præſcriptum vitam omneſque actiones inſtituat, ſed etiam operam det, ut ſubditi Eccleſiaſticæ diſciplinæ, id eſt, Eccleſiæ conſtitutionibus, decretis & Conciliis obtemperent, & piorum doctorum voci obediant, ut per quos Chriſtus ipſe loquitur, & tã V. Cæſ. Majeſt. quam reliquos omnes viſitat. De quibus ipſe inquit: *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.*

S Hieronymus, Tum Reges ac Principes diſciplinam apprehendere, & filium oſculari dicit, quando Deum puro ac ſancto corde venerantur & colunt, eique ſerviunt, tum quando Chriſtianæ Catholicæ Eccleſiæ ejuſque diſciplinæ ſeſe ſubiiciunt. Nec vero ſatis eſt; ut Reges ipſi ſive Principes Deum venerentur ac colant, ſed neceſſe eſt, ut ſicuti publici ſunt Dei Miniſtri, ſic etiam eundẽ à ſubditis coli ac timeri præcipiant, & in profanos atq; impios ſevere animadvertant.

Oſculũ, quid.

Quod autem Spiritus S. Regibus mandat, ut filium oſculentur, in eo modum quaſi deſignat, quo Dei filio fidem ſive homagium præſtare debeant, nempe primo apprehenſione quaſi, ſive complexu, deinde oſculo. Videmus inter homines duabus præcipue corporis partibus oſculum imprimi, ori videlicet ſive genis, & manibus. Oſculum ori ſive genis impreſſum, Amorem; manibus vero, obſervantiam ac reverentiam noſtram erga aliquem teſtatur. Utrumque horum teſtatum faciet Princeps, ſi Davidis præcepto obſequatur, in alio Pſalmo ſic monentis. *Aperite portas Principes veſtras, & elevamini portæ æternales, ut intret Rex gloriæ.* Tum vero portas ſuas Chriſto aperiunt Principes, ad excipiendum Regem gloriæ, ſi eidem ex puro corde ſerviant, ſãctiſſimæq; ejus voluntati in omnibus ſeſe ſubjiciant, ſi nutritii ſint Eccleſiæ, ſi muros Hieruſalem ædificent, id eſt, ſi Eccleſiam foveant, defendant, & honorent. Tum in Jeſu Chriſti amplexum ruunt, tum filium Dei apprehendunt

Digitized by Google

conſilium ejus confirma. Sit fidelis Dominus ejus, & regnum ejus uſque in æternum ante faciem tuam, & thronus ejus ſit firmus jugiter & benedictione tua benedicatur domus ſervi tui in ſempiternum.

Ad

FERDINANDUM CORDUBENSEM

EPISTOLA.

In qua undecim præcipuæ Chriſtianorum in primitiva Eccleſia perſequutiones recenſentur.

IOannes Cabrera domui tuæ præfectus literas à te mihi reddidit, ex quibus tuam cum Calatravenſi Priore de Chriſtianæ Eccleſiæ perſequutionibus diſputationem intellexi. Quia vero opinionibus vos diſſidere, eoque meam quoque ſententiam expetere animadverto; morem veſtræ geram voluntati, & præcipuas quibus Chriſtiana Eccleſia à diverſis Imperatoribus, vel tyrannis potius exagitata fuit, perſequutiones, ordine recenſebo.

Prima ſub Nerone.

Primæ in Chriſtianos perſequutionis auctor fuit Nero, qui eorum numerum in Romana urbe indies augeſcere ægerrime ferens, diabolo inſtigante, radicitus eos exſtirpare conatus eſt. Ex quo factum ut tota urbe multum Chriſtiani ſãguinis ſit effuſum. Et hæc prima fuit Chriſtianorum perſequutio. Quamvis enim poſt mortem Domini ac Salvatoris noſtri multa Eccleſiæ mẽbra perſequutionem ſuſtinuerint, adeoque etiã aliquot morte fuerint affecti: primus tamen Nero Edictum promulgavit, quo capitis pœna omnibus qui Chriſtianam religionem profiterentur, fuit conſtituta. Ad ſupplicia vero & ſummam in eis martyrum conſtantiam quod attinet, præter Eccleſiaſticarum rerum ſcriptores, legendi ſunt Tacitus & Suetonius, qui licet à Chriſtiana religione alieni, multa de eis veraciter prodiderunt. Inter alia, tantam fuiſſe tyrannorum in utriuſque ſexus homines rabiem ut præter infinita fere alia ſuppliciorum ac quæſitiſſimorum tormentorum genera, Chriſtianos vivos ferarum pellibus inſutos, canibus laniandos obiecerint. Perſequutio hæc, ut ex Tacito & Suetonio colligi poteſt in XI annum Neronis incidit, cujus juſſu etiam duo illi Mundi lumina, & Apoſtolorum primates, S. Petrus & S. Paullus, capite plexi ſunt.

Secunda perſequutio ſub Domitiano.

Secunda perſequutio tempore Domitiani Eccleſiam vexavit. Hic enim monſtrum hominis quum accepiſſet, è Davidis ſemine Regem oriturum, id non minus quam Herodes de temporali regno interpretatus, ut ſcilicet ſecuritati ſuæ conſuleret, totam ſtirpem Davidis exſcindere molitus eſt, ſic ut duo tantum, Euſebio teſte, evaſerint. Nec hoc contentus, rabiem ſuam etiam in Chriſtianos effudit, adeoque tam extra quam intra Romam univerſam eccleſiam delere, atque una cum pulviſculo, ut ille ait, everrere conatus eſt. Dici ſane vix poteſt, quantus tum Chriſtianorum numerus variis horrendiſſimorum ſuppliciorum ac cruciatuum generibus ſublatus ſit; de quo legendi inter alios Euſebius & Oroſius. In hac perſequutione D. Joannes Apoſtolus in Pathmon inſulam relegatus fuit, ubi divinam illam Revelationem habuit. Quamdiu vero perſequutio hæc duraverit, vix ſciri poteſt; quantum tamen ex Euſebio poteſt colligi, paullo amplius biennio duravit, qui Domitianum ait tandem Chriſtianos perſequendi finem feciſſe. Utut ſit, Domitianum certe quum propter hanc crudelitatem tum alia ſcelera & flagitia, probroſiſſimis tyrannis annumerandum eſſe conſtat.

III. Sub Traiano.

Tertiæ perſequutionis Traianus, ceteroqui optimus Imperator, auctor exſtitit; qui diaboli & quorundam ſuorum ſatellitum inſtinctu Edictum promulgavit, ut omnes idolis divinos exhiberent honores. Id Chriſtiani facere recuſantes ad horrenda paſſim ſupplicia abrepti ſunt, ut ex Euſebij patet Hiſtoria. Perſequutio hæc in decimum Traiani annum incidit: cujus tamen eum mox pœnituiſſe, quum ex aliis ſcriptoribus, tum ex Plinij Junioris epiſtolis patet: adeo ut Imperator ille non tantum violentas à Chriſtianis manus abſtinere, verum etiam religionis ſuæ exercitium indulgere juſſerit.

IV. Sub M. Aurelio.

Quarta perſequutio M. Aurelio imperante facta eſt; cujus nos Vitam ſingulari libello deſcripſimus: quo bellum contra Parthos gerente & Lucio Vero pro imperatore res adminiſtrante variis modis in Europa & Aſia Chriſtianos exagitatos fuiſſe, Euſebius & Oroſius teſtes ſunt. Ex hac perſequutione ſine

dubio

Digitized by Google

dubio plurimæ illæ calamitates, fames, peſtilentiæ, bella, de quibus in prædicto libello latius ſcripſi, exſtiterunt.

V. Sub. Septimo Severo. Quinta perſequutio ad Septimi Severi Imperium refertur, qua plurimum Chriſtiani ſanguinis profuſum fuit. Quod ſcelus tamen ille inultum non tulit, Albino quodam imperium affectante, & totam Britanniam ſibi vindicante.

VI: Sub Maximino. Sextæ perſequutionis auctor fuit Maximinus Imperator: qui ægre ferens à prædeceſſore ſuo Alexandro Severo Chriſtianis pacem indultam, uno Edicto omnes occidi juſſit, eos in primis qui publicum aliquod munus adminiſtrarent. Quin etiam idem diverſa atque antea inuſitata tormentorum genera, Chriſtianus cruciandis excogitavit: atque eo dementiæ progreſſus eſt, ut ſupra omnes mortales viribus ſe pollere, nec ab ullo vulnerari poſſe ſibi perſuaſerit: & ſic per ſumma ſcelera & flagitia vitam traduxerit.

VII. Sub. Decio. Septima perſequutio ſub Decio Imperatore contigit: qui licet ceteroqui bonus & laudatus fuerit Imperator, magis tamen quam ceteri omnes ſuperiores in Chriſtianos ſævijt, ſive Ethnicæ ſuperſtitionis zelo, ſive prædeceſſoris ſui Philippi, qui Chriſtianus fuerat, odio.

VIII. ſub Valerio. Octava perſequutio in Valerii incidit Imperium. Hunc Euſebius initio erga Chriſtianos ita fuiſſe affectum, ut non modo vim eis inferri paſſus non ſit, verum etiam omni ſtudio & honore cultos, inter familiares habuerit: poſtea vero animum mutaſſe, ab Ægyptio quodam Mago, cujus diabolicas artes Chriſtiani deteſtabantur, perſuaſum. Quum ergo in Chriſtianos paſſim omni ſævitiæ genere graſſatus eſſet, tandem Deo ſcelerum ultori pœnas dedit, in turpẽ ſervitutem à Perſarum Rege abductus, & miſeris modis habitus.

IX. ſub Aureliano. Nonam perſequutionem contra Chriſtianos excitavit Aurelianus Imperator: qui quum primo imperij ſexennio (ut Euſebius & Oroſius teſtantur) Chriſtianos non clementer modo, ſed & munifice tractaſſet, tandem diaboli & pravorum hominum ſuggeſtionibus obſequutus, in eoſdem toto Imperio atrociſſime ſævijt. Quum vero divinam admonitionem, fulmine cœlitus miſſo pæne exanimatus, contemſiſſet, Dei permiſſu à domeſticis crudeliter occiſus, feras ſed juſtas impietatis ſuæ pœnas perſolvit.

X. ſub Diocletiano. Decimæ perſequutionis auctor fuit Diocletianus Imperator, ſceleratorum hominum ſuggeſtionibus & calumniis itidem perſuaſus eaq; totum decennium duravit. Quum enim poſt Aureliani mortem Chriſtiani in ſumma viverent tranquillitate, & eccleſiis paſſim conſtitutis ac templis ædificatis, indies mirum in modum augerentur: ecce tibi, ipſa pace & libertate corruptis legibus, faſtuque & invidia inter Epiſcopos & Prælatos invaleſcente, & morum integritate quotidie decreſcente, Deus hac perſequutione ſcelera populi ſui ulciſci voluit: quæ tam atrox & tam cruenta fuit, ut humano eloquio ſatis explicari nequeat. Euſebius certe eorũ quæ ipſe oculis ſuis viderit atrocitatẽ nec lingua nec ſtilo ſatis exprimere ſe poſſe teſtatur. Cui eadem in re adſtipulatur Oroſius ea prodens, quę ſi quis ſine lachrymis aut animi commiſeratione legerit, adamante cor durius eum habere dicam. Equidem tam horribiles cruciatus quos martyres tanta conſtantia pertulerunt, animo mecum revolvens, non poſſum facere quin animo obſtupeſcam. Ut vero omnes intelligant, quibus & quot modis tyrannus hic in miſeros Chriſtianos graſſatus ſit, ex multis paucos enumerabo.

Diocletiani edicta. Primo omnia Chriſtianorum templa dirui ac ſolo æquari, cœtus diſturbari, cultum omnem aboleri, & ſacros libros omnes igne cremari juſſit.

Idem edixit, ne quis Chriſtianorum ad ullam dignitatem aut publici muneris adminiſtrationem admitteretur, qui vero eorum aliquid teneret, ſtatim dejiceretur atque inteſtabilis haberetur.

Edixit etiam, ut omnes qui Chriſtianam religionem profiterentur milites, ſtatim exauctorarentur, aut etiam morti traderentur.

Ut Epiſcopi non modo proventibus omnibus ſpoliarentur; ſed etiam omni contumeliæ & probri genere, adeoque peſſimo letho afficerentur.

Ne ſervus quicunque Chriſtianus manumitteretur.

Chriſtianorum ſupplicia. Præter hæc contumeliæ & acerbitatis plena mandata paſſim toto Imperio, ſed præcipue in Phrygia, Syria & Ægypto, horrendis modis in Chriſtianos ſæviebatur. Quoſdam vivos excoriatos legimus, aliis uncis ferreis toto corpore laceratos, deinde fictilium teſtarum acervo tãquam lecto impoſitos, ut quies ipſo cruciatu eſſet deterior. Virgines & matronæ pedibus ſurſum

ſum porrectis, & nudatis pudendis ſuſpendebantur; ut inter cruciatum & verecundiam tanto majori cum dolore vitam miſerabiliter finirent. Quibuſdam aures, alijs nares deſectæ, alijs oculi effoſſi: nonnulli manibus & pedibus truncati, integris adhuc oculis, quibus deformitatem & miſerias ſuas aſpicerent, ipſo aſpectu cruciatum augente. Non pauci divaricatis pedibus arborum ramis magna vi adductis alligati, rurſusque dimiſſis medii dilacerati: Alii plumbeis flagris, aut ferreis loris cæſi, quoad ultimum exhalarent ſpiritum: etiam vivi quidam cratibus impoſiti & prunis aſſati: ut paucis dicam, tanta fuit ſuppliciorum, quibus Chriſtiani quotidie magno numero afficiebantur, atrocitas, tanta lanienarum frequentia, ut ſine horrore eorum memoriam nemo uſurpare poſſit.

XI. Perſequutio ſub Iuliano. Undecima & ultima perſequutio Chriſtianorum ſub Juliano Imperatore facta eſt; qui ex Chriſtiano idololatra & diaboli mancipium effectus, ut Chriſtianam religionem funditus deleret, omnem operam dedit. Quia vero prædeceſſores ſuos vi & ſuppliciis parum profeciſſe, immo Chriſtianam religionem amplificaſſe magis quam diminuiſſe animadvertebat; rem alia via tractare aggreſſus eſt. Quocirca Chriſtianos blanditijs & honorum ac dignitatum oſtentatione ad ſe pellexit: atque hoc modo, ut Ruffinus, S. Hieronymus & Caſſiodorus teſtantur, multos ad apoſtaſiam pertraxit, magno cum Chriſtianæ rei detrimento. *Iuliani aſtutia.* Sed quum ne ſic quidem quantum vellet, poſſet efficere, Edictum, non illud quidem in ſpeciem crudele, quo tamen nullum peſtilentius excogitari potuit, promulgavit, quo Chriſtianis ſcholas omnes claudi, omnique litterarum uſu interdixit. Facile enim videbat, ſic fore, ut curioſiores idola potius culturi, quam omni litterarum commercio cariturí ſint; aut certe ignorantia invaleſcente, nemo tandem futurus ſit, qui divinum verbum cum fructu alios docere poſſit. Et quamvis à publicis functionibus & dignitatibus Chriſtianos non excluderet, neminem tamen ſine ſpeciali ſuo conſenſu ad quodcunque munus, domi aut militiæ, promoveri volebat, ut omnes ipſe tanto melius pernoſcere, & ad idololatriam donis & ſpe facilius pertrahere poſſet. In ſumma, hoc unum peſſimus homo agebat, ut citra cædem & ſanguinem Jeſum Chriſtum debellaret, hoc quo dixi, uſus ſtrategemate: quod eo etiam ſpectabat, ut fideles martyrii quoque corona privaret.

Hæ quas hactenus enumeravi, præcipuæ fuerunt Chriſtianorum in primitiva Eccleſia perſequutiones: quibus tamen complures aliæ addi, cum his vero nec ſuppliciorum atrocitate, nec martyrum numero, nec perſequutionis univerſalitate, ut ita dicam comparari poſſunt.

Vale. Valliſoleti XV. Junij, M D X L I.

Ad VASTIUM MARCHIONEM *EPISTOLA.*

In qua ætates hominum explicantur.

OCTO menſes ſunt, & eo amplius, *Illuſtriſſime*, quum Genuæ, præſente Albano Duce, variis de rebus tam ſpiritualibus quam temporalibus colloquuti ſumus: quo quidem in ſermone memini in plerisque te mihi aſſenſum eſſe, præterquam in iis quæ tum de variis hominum ætatibus à nobis diſputata ſunt. Quia vero tum ob temporis præcipue brevitatem ſententiam meam latius explicare tibique ſatisfacere non potui, rem omnem de qua nobis fuit quæſtio, altius indagavi: & quidquid vel ex libris vel ingenio meo eruere potui, hac epiſtola ad te perſcriptum jam mitto.

Prima, quantum memini, quæſtio fuit quot ætates ſint hominum, ſexne, vel ſeptem? Quo vero omnia melius intelligantur, rem ab ovo veluti ſeu principio arceſſam. *De hominũ ætatibus.* Primo ſciendum eſt, duas eſſe ætates, unam Mundi, alteram hominum. Ætas Mundi dupliciter uſurpatur, Poetice ſeu Ethnice, & Chriſtiane. Poetæ enim quatuor finxerunt Mundi ætates, auream, argenteam, æream, ferream. *Mundi ætates IV.* Diſtinctionem hanc nonnulli Sibyllæ Cumanæ tribuunt: quam Poetæ ſunt ſequuti, & inprimis Ovidius in Metamorphoſi, ubi ſingulæ iſtæ ætates perquam eleganter ſunt deſcriptæ. Earum quoque mentionem facit Virgil. in IV. Eclogia cujus initium: *Sicelides Muſæ.* At Chriſtiani ſcriptores octo faciunt ætates: ſeptem quidem ante, & unam poſt mortem Chriſti. Sed quia de humanæ vitæ ætatibus tantum fuit quæſtio: quidquid ea de re apud probatos Auctores indagare potui, paucis hic indicabo

Z Vitæ

Vitæ humanæ partes quidam ſeptem ætatibus deſcribũt, nempe, *Infantia, Pueritia, Adoleſcentia, Iuventute, Virili ætate, Senectute & Senio.* Quæ quidẽ diſtributio non abſurda alicui videri poſſet, quum ſeptenario conſtet, qui numerus univerſalitatem quandam & perfectionẽ in ſe complectitur. Septem etiam ſunt Planetæ, à quorum motu tam generationes quã corruptiones, præſertim in temporum duratione, in his inferioribus proficiſcuntur: ut ſic quemadmodum ſeptẽ dies ſunt, quibus omne tempus ſucceſſive concluditur; ſic quoque ſeptem ætatibus humanæ vitæ periodus claudatur.

Alij ſex ponunt ætates, ſcilicet, *Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, Iuventutem, Gravitatẽ, & Senectutem*; ut Iſidorus cap. XI. Etymologiæ 1 cujus quidem ſententiam quum ob ſui probabilitatem, tum Auctoris gravitatem lubenter amplector. In ſuperiori enim illa diviſione vix video quomodo Juventus & Virilitas commode diſtingui poſſint.

Infantia Prima ergo humanæ vitæ ætas *Infantia* dicitur, eo quod in hac ætate cõſtituti nondum perfectam *fandi* peritiam habeant: & hæc ab ipſa nativitate ad ſeptimũ uſque annum numeratur.

Pueritia: & unde dicta. Secunda *Pueritia* eſt, à ſeptimo anno uſq; ad decimum quartum: inde dicta, quod ejus ætatis adhuc *Puri* ſint, id eſt, Veneris exercitio nondum maculati. Sic enim D. Paullus Apoſtolus loquitur: *Fugite fornicationem. Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.* Eſt ergo in hac ætate Puritas quædam, quæ in Adoleſcentia non reperitur, uti in Geneſi ſcriptum eſt: *Senſus & cogitatio humani cordis ab adoleſcentia prona ſunt in malum.* Illa vero Puritas nequaquam ita ſtricte intelligenda eſt, quaſi pueri etiam ab hac labe omnino puri ſint & immunes: quum vel cogitatione labes illa contrahi poſſit, ut Salvator noſter ipſe teſtatur: & probatur *ext. de delict. puer. cap. Pueris grandiuſculis.* ubi ſic habetur: *Pueris grandiuſculis peccatum nolunt attribuere quidam, niſi ab annis quatuordecim quum pubeſcere cœperint: quod merito crederemus, ſi nulla eſſent peccata, niſi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis enim audeat affirmare, furta, mendacia, & perjuria non eſſe peccata? at his plena eſt puerilis ætas.* Puritas ergo illa puerilis de primis tantum pueritiæ annis intelligi debet, quando ſcilicet nulla adhuc vel exigua eſt boni & mali, honeſti & inhoneſti diſcretio vel intellectus. Cum n. omnes noſtræ actiones, ſecundum Philoſophum, ab Intellectu & Voluntate principia ſua habeant; intellectus vero ſive diſcretio in pueris nullas adhuc vires habeat: ſequitur eos peccare non poſſe, niſi tum primum quum intellectus adoleſcere incipit. Et hæc diſtinctio ab ipſis Canonibus non abhorret; ſiquidem non ſimpliciter de Pueris, ſed de Pueris grandiuſculis loquuntur, de iis puta qui jam undecimũ aut duodecimũ ætatis annũ attigerunt.

An pueri peccare poſſint.

Adoleſcentia. Tertia ætas *Adoleſcentia* eſt, quæ ab Iſidoro ab anno ætatis XV. ad XXVIII. numeratur. Eſt vero Adoleſcere idem quod creſcere ſive augeri: idemque Iſidorus vult, Adoleſcentem dici, quaſi ad gignendum adultum. Quorum utrumq; huic ætati competere, experientia teſtatur. Statura hominis quippe ad duodetricesimum ætatis annum augetur: quamvis in nonnullis corporis incrementum multo breviori ſpacio finiatur.

Iuvent. & unde dicta. Quarta ætas *Iuventus* dicitur, ceteris omnibus firmior & robuſtior. Initium eius ab anno undetriceſimo, finis circa annum quinquageſimũ. Juventutem à *Iuvando* dici Iſidorus vult: quod ætas ea ad juvandum ſeu res gerendas ac perferendos labores ſit aptiſſima. Et ex hac quidem ætate diverſa illa diſtinctio, qua alii ſex, alij ſeptẽ vitæ humanæ ætates faciunt, oritur: ſiquidem Iſidorus Juventutem & Virilem ætatem pro una tantum ſumit: alij vero Juventutem à Virilitate diſtinguunt: & illius quidem initium ducunt à XXIV. ætatis anno, finem vero ponunt annum triceſimum: eam vero, quæ ad quinquageſimum usque annum ſequitur, Virilitatem ſeu Virilem ætatem nominant, à Viribus ſcilicet, quæ hac ætate maxime florent. Sed ipſum Iſidorũ audiamus, *Vir nuncupatur,* inquit, *quod maior in eo ſit vis quam in feminis: unde & Virtus nomen accepit: ſive quod vir agat feminam,* Sed miſſis iſtis argutiis cum Iſidoro eam partem ætatis Juventam appello, in qua vires corporis jam adultæ & perfectæ eſſe incipiunt. Sic enim ipſe Iſidorus: *Iuvenis dictus, quod Iuvare poſſe incipit, ut in bobus juvenci, quum à vitulis diſceſſerint. Eſt enim Iuvenis in ipſo ætatis incremento poſitus, & ad auxilium præparatus. Nam Iuvare, hominis eſt opus aliquid conferentis. Sicut autẽ triceſimus perfectæ ætatis annus in hominibus, ita in pecudibus vel Iuvencis tertius eſt robuſtiſſimus.*

Quintam ætatem *Gravitatem* diximus: quæ itidem ab Iſidoro ponitur, ab aliis vero omittitur. Atque inde illa circa ſenectutem & ſenium varians diſtinctio naſcitur: quorum utrumque

Iſidorus

Digitized by Google

Iſidorus uno Senectutis vocabulo complectitur. Gravis porro ætas initium ſumit ab anno quinquageſimo, & finitur ſeptuageſimo. Nam à quinquageſimo anno, qui quaſi centrum eſt humanæ ætatis, vires tam animi quam corporis ſenſim decreſcere incipiunt, donec tandem penitus extinguantur.

Sexta ætas, ſecundum Iſidori ſententiam, *Senectus* eſt: quæ incipit à ſeptuageſimo anno, uſque ad hominis mortem, ſive citam ſive tardam. Sola autem hæc ætas nullo, ut ceteræ, certo termino concluditur: Siquidem Mors quidem omnibus certa eſt, ſed hora mortis incerta. Sed ipſū Iſidorum audire præſtat. *Sexta ætas* ait, *eſt Senectus, quæ nullo annorum tempore terminatur, ſed poſt quinq; illas ætates quantumcunque eſt vitæ Senectuti deputatur.*

Hæc vero omnia quæ de hominum ætatibus hactenus diſputavimus intelligenda ſunt de noſtri ævi hominibus, non vero de ijs qui recens condito Mundo vixerunt, quorum nonnulli multos centenarios impleverunt; ut nec de iis qui poſt cataclyſmum ad Abrahæ uſq; tempora vixerunt. Davidis vero tempore eundem ferme humanæ vitæ modum fuiſſe verba illa Pſalmi teſtantur, in quo ait: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta annis, ſi autẽ in potentatibus, octoginta anni amplius eorum, labor & dolor.* Certa equidem ratio nobis non conſtat, qua homines in prima & ſecunda Mundi ætate vitæ partes diſtinxerint; dubium tamen non eſt, quin eandem ex virium mutationibus ſumſerint. Quod nonnulli inter Senectam & Senium diſtinguendum monent ex illo Pſalmi loco. *Et uſq; in ſenectam & ſenium, Deus, ne derelinquas me.* facile conciliari cum Iſidori ſententia poteſt: ſiquidem hic pro ſenecta Gravitatem, & pro ſenio ſenectutẽ ponit. Sed & alio modo Iſidorus ſenectam & ſenium diſtinguit, inquiens: Sexta eſt ætas ſenectus, quæ nullo annorum tempore terminatur, ſed poſt quinque illas ætates quantumcumque eſt, ſenectuti deputatur. Senium autem pars eſt ultima ſenectutis, ſic dicta, quod ſit extremum ſextæ ætatis. Alia quoque ratio afferri poſſet, cur ſenium ætatis humanæ partibus nō ſit annumerandum: ſiquidem ceteris omnibus certum initium & certus finis aſſignatur; & licet ſexta ætas certum finem non habeat, ut ante diximus, certū tamen habet initium. Quocirca ſenium ſub ſenectute comprehenditur: quæ extrema pars & velut ultimus actus eſt vitæ, in qua omnibus tandem neceſſario moriendum eſt. Quia autem pleriſque omnibus, antequam vitam etiam maxime diuturnam cum morte commutent, multæ ærumnæ & labores ſuſtinendi ſunt, merito extrema pars illa & tamquam fæx ætatis, Senium appellatur. Huic Iſidori ac noſtræ ſentẽtiæ etiam Poetæ adſtipulantur, ut Virgil. in Georgicis, ita canẽs:

Optima quæq; dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi, triſtiſq; ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis

Præter duas has de hominum ætatibus ſententias, tertia quorundam eſt, quinque tantum ætates numerantium, nempe, *Infantiam, Pueritiam, Adoleſcentiam, Iuventutem, & Senectutem:* inter quos Varro eſt, in libro De Latinæ linguæ origine. Quæ ſententia quamvis ab illarum utraq; diſcrepet, ita tamen conciliari poteſt; ſi ſub Juventute tam Gravem quam Virilem ætatem comprehendi dicamus. Ego tamen Iſidori ſententiæ magis acceſſerim, inter Juventutem & Senectutem Gravem ætatem ponenti. Scimus enim Juventutem eam eſſe ætatis partem, qua vires hominis ſumme florent ac vigent: poſtquã eædem flacceſcere incipiunt, excepto intellectu, quem longior ætas acuit, donec tandem ad Senectutem perveniatur: quæ non corporis ſolū, ſed etiam animi vires minuit atque aufert. Hinc Iſidorus: *Senes autem quidam dictos putant, à ſenſus diminutione, eo quod per vetuſtatem jam deſipiant: nam Phyſici dicunt, ſtultos eſſe homines frigidioris ſanguinis, prudentes calidi. Unde & ſenes, in quibus jam friget, & pueri in quibus nondum calet, minus ſapiunt. Inde eſt quod conveniunt ſibi infantium ætas & ſenium. Senes enim per nimiam ætatem delirant, pueri per laſciviam & infantiam ignorant quid agant.* Sed & eadem ſententia peritiſſimorū Philoſophorum decretis magis congruit, qui, ut idem Iſidorus loquitur, his ſpatiis vitam deſcripſerunt humanam. Propius etiam à vi Græcæ vocis abludit: quibus Senex duplici vocabulo appellatur, πρεσβὺς, & γέρων: quorum illud quidem nec ſenectutem nec ſenium Latinorum exprimit, eoque recte nos illo Gravem ætatem deſignari putamus. De qua Iſidorus: *Quinta ætas ſenioris eſt Gravitas, quæ eſt declinatio à juventute in ſenectutẽ, nec dum ſenectus nec iam Iuventus: quia ſenioris ætas eſt quam Græci πρεσβείαν nominant, nam Senior apud Græcos non Presbyt, ſed Geron dicitur; quæ ætas à quinquageſimo anno incipiens, Septuageſimo terminatur.* Quod ſi quis objiciat, Iſidorum videri Gravitatem pro

Varronis ſententia

Senes quales.

Digitized by Google

extrema parte, excepta Senectute, ætatis ponere, quum dicat: *Quinta ætas ſenioris eſt gravitas*: At vocem Senior, comparativam eſſe, ut Grammatici loquuntur. Reſpondeo, in his & ſimilibus loquutionibus Poſitivũ majus ſignificare quam comparativum: id quod tam ex Poetis quam aliis Autoribus multis exemplis facile demonſtrari poteſt. Hinc idem Iſidorus: *Senior eſt adhuc viridior.* Et libro VI. *Senior eſt inter ſenem juvenemque: Adoleſcentior utroq; non magis adoleſcens ſed minus ut ſenior, minus ſen x Ubi comparativus gradus minus ſignificat poſitivo.*

Sed præter hanc à Philoſophis factam ætatum diſtinctionem, Poetæ eaſdem ſingulas in tres partes diviſerunt, nempe. Initium, Medium, & Finem. Hinc Juventutem triplicem fecerunt, Primam, Adultam, & Præcipitem. Juventus (ſi ex Iſidori ſententia ab anno ætatis viceſimo octavo usque ad quinquageſimum eam numeremus, duos & viginti annos complectitur: qui ſi in tres æquales partes dividantur, unicuique ejus parti ſeptem & triens attribuentur. Eodem modo vita univerſa in tres partes dividitur, videlicet in Primam, quæ & Initium dici poteſt; in Adultam ſive Mediam, & in declinantem ſeu cadentem, quæ Finem tandem vitæ adfert: ex quibus Media optima eſt, & viribus maxime pollet: eoque etiam viridis à Poetis appellatur, ut apud Virgilium.

Triplex ætatum diſtinctio

Euryalus forma inſignis viridiq; juventa.

Eadem fere anni partium apud Auctores eſt diſtinctio. qui ver, æſtatem, autumnum, hyemem in tres partes dividunt, Primam, Adultam, & Præcipitem. Et hæc quidem diſtinctio ex ipſis Naturæ & Aſtronomiæ penetralibus deſumta eſt. Cuiq; enim anni parti tria aſſignata ſunt Zodiaci ſigna ut æſtati, Cancer. Leo, Virgo: quorum primum mobile eſt, ſecundum fixum, tertium commune. Primum mobile dicitur, quod tempeſtas anni tum mutetur; ſecundum fixum ſeu firmum, quod vis æſtatis tum velut continua ſe exſerat; tertium vero commune, quod ſimilitudinẽ quandam tam cum præcedenti quam cum ſequenti habeat.

Anni partium diſtinctio.

Hæc de hominum ætatibus ad te perſcribere volui: de quibus illud unum addo, Nihil magis curandum eſſe homini, quam ut earum unamquamque uti decet, tranſigat &c. Toleti Anno MDXXXVI. die XXX Martij.

Ad BERNARDUM DEL CARPIO, &c.

EPISTOLA.

In qua eorum hominum ridetur vanitas, qui contemta virtute inani generis nobilitate glorіantur.

NObilis & magnanime Eques. Magnanimum quidem te appello, quod amicorum tuorum ac clientum cauſſas ita tuearis, ut nullum te periculum deterreat; Nobilem vero, quod & generis tui nobilitate, & Equeſtris Ordinis excellentia dignam vitam agas. Litteras tuas accepi; in qua mihi de humani generis vanitate quæſtionem proponis, dignam quidem illam tua ſapientia & ceteris factis. Equidem & ipſe hominum noſtrorum vanitatem & amentiam ſæpenumero non ſine doloris ſenſu mecum conſidero, nobilitatem ſuam ita jactantium, ut reliqui homines tipulæ illis & velut umbræ videantur. Quare tanto lubentius, quamvis & ipſe Nobili prognatus ſim genere, ad quæſtionem tuam citra ullum fucum reſpondebo. Quod ſi quædam hic legeris, quæ à me nõ dicta aut ſcripta malles, quod fortaſſe tibi quoq; pudorem incuſſura ſint, culpam tibi ipſi imputabis, qui prior me rogaſti.

Nobili digna virtutes

Primo ſciendum eſt, eſſe quoſdam nobili & honeſto majorum loco natos, qui ob vitam genere dignam, merito ceteris præferendi ſunt. Alij deinde ſunt, nõ minus & ipſi nobili orti proſapia, qui illud ſolum agere, illud unum curare videntur, quibuſcum ſermonem conferre, cum quibus in publico apparere, quos ſalutare, quibus reverentiam exhibere, quomodo denique in omni geſtu & vultu tanta nobilitate dignã gravitatem tueri velint. O cæca & fatua Evę progenies! Tot annorum millia jam effluxerunt, ex quo primi veſtri parentes ex hoc Mundo diſceſſerunt: & vos tamen & primæ veſtræ matris ambitionem, & primi veſtri patris cupiditatem adhuc ſapitis. Cur eos vobis arrogatis honores, quos non promeruiſtis? O inſignem vanitatem dicam an impietatem! Numquid enim quoſdam videmus eo progreſſos, ut ſpretis gentilitiis nominibus atque inſignibus, aliena & commentitia ſibi adſciſcant? Talem ego Hiſpali vidiſſe me memini; cujus patrem quotidianum victum,

Nobiles ambitioſi.

Inſignis vanitatis exemplum.

operam

Digitized by Google

operam ſuam aliis locando ſibi ac ſuis comparare ſolitum, atque in eo ſtatu mortuum, lippis & tonſoribus notum erat. Quum autem patre mortuo, filius hic non tam ſapientia, cujus oppido parum aut fere nihil habebat, quam cæcæ fortunæ favore; magnas ſibi divitias acquiſiviſſet; & in Petri Hiſpani Chronicis forte fortuna in locum quendam incidiſſet, ubi nobilis cujuſdam, idem nomen ac cognomen habentis flebat mentio: ſtatim lætitia exſultans, neſcio quam genealogiam commentus, ab hoc licet ante ignotiſſimo ſibi homine, genus ſuum derivavit, & ad marginem paſſim adſcribebat, Hic proavus fuit patris mei. Et ſic ſequebatur liber generationis. Ecce tibi hominis amētiam, ſummamque impudentiam: qui licet generis ſui ignobilitatem omnibus notam eſſe ſciret, ad nobiliſſimum tamen genus originem ſuam referre nō dubitabat.

Inſignia commēta. Sunt alij, qui mille diverſa nomina atque inſignia ſibi fingunt atque uſurpant; tanta cum vanitate, ut ſine ſcandalo explicare omnia nequeam. O ſtolidi, & in ipſa ſtultitiæ arce collocati homines! Quanto melius veſtro conſuleretis honori, ſi opera veſtra non inanibus ſuperbiæ titulis, ſed veræ Humilitatis fundamentis niterentur. Quin à Chriſto Servatore noſtro exemplum ſumitis: qui quum Deus eſſet & Dei filius, Hominis tamen filius dici voluit. Sed enim quamcumque quis viam ingreſſus fuerit, tandem in campo Damaſceno omnes conveniemus: ubi certe pleroſque ſuperbiæ ſuæ pœnitebit ac pigebit, ſi vilitatem materiæ, è qua conflati fuere, perſpexerint: quam nunc quidem aut ignorant, aut ignorare ſe fingunt. Quod ut melius intelligatur, lepidam hiſtoriam tibi recenſebo.

Lepida hiſtoria. Quum T. Quintus Flamininus Aſiam provinciam adminiſtraret, ab hoſpite Chalcidenſi invitatus, & laute tractatus fuit. Flaminino deinde hoſpitis tractationem tamquam lautam admodum & exquiſitam prædicanti, quidam dixit: Atqui, ô Flaminine, omnia iſta fercula unus aper præbuit, carne variis modis cocta & apparata. Eadem mihi videtur hominum eſſe ratio. Fercula ſumus veluti, ex eadem carne, ſed variis modis, alii lautius alii vilius condita & apppparata. Apud Deum quidem nullum eſſe perſonarum reſpectum, certum eſt. Ille enim nobiliſſimus, ille maximæ dignationis eſt apud Deum, qui talentum ab ipſo ſibi concreditum quam optime collocat. Licet enim Deus quantū ad divitias, diverſitatem quandam atque inæqualitatem eſſe voluerit, idem tamen, quantum ad naſcendi, moriendi, & coram juſtiſſimo judice rationes reddendi conditionem, æquales & pares omnes fecit. Mihi quidem nemo perſuaſerit, natalium aut conditionis vilitate virtutis ſplēdorem obſcurari poſſe. Neque enim illud hominis vitium eſt, ſed fortunæ, hominem altiori ſtatu non dignatæ. In quo tamen ei nequaquam fit injuria. *Virtus obſcurari nequit.* Quemadmodum enim in domo Patris noſtri cœleſtis multæ manſiones ſunt, & unicuique ſecundum merita retribuitur; ſic etiam quamvis ex eadem omnes ſimus materia, creatori tamen licet dona ſua prout vult, ſine cujuſquam injuria diſtribuere. Et quemadmodum ſtultus ſit, qui eo quod omnes ex eadem ſimus materia, æqualem ſe omnibus ferre velit; ita non minus ſtultus eſt, qui quot aliquanto plus opum aut aliarū ejuſmodi rerū habeat quā ceteri, propterea melior ceteris & dignior haberi velit. Quin potius id perſuadere ſibi quiſque debet quāto reliquis nobilior ſit aut opulentior tanto in omni actione honeſtiorem, & erga omnes liberaliorem eſſe debere. Tanto enim major ac præclarior virtus habetur, quanto, qui eam poſſidet eſt humilior: ſiquidem virtus non in majorum imaginibus aut divitiarum amplitudine, ſed in laudabilibus & honeſtis actionibus conſiſtit. *Humilitas nobilitatis fūdamentum.*

Ex quo facile apparet; quam vani & ridiculi ſint, qui generis nobilitate ita intumeſcunt, ut omnium rerum primi ſibi videantur. Non quidem negaverim, minime contemnendum eſſe Dei donum generis nobilitatem: ſed ex iis qui huic uni omnia fere tribuunt, ſcire velim, an nobilitas illa ad ejiciendam vitiorum turpitudinē ſatis ſit; præſertim apud eos, quibus curæ non eſt, majorum imagines pulchris & honeſtis factis decorare atque augere. Ejuſmodi homines quid, quæſo, aliud habent, quam nudam priſcæ nobilitatis perſuaſionem, & inanem titulum? Quid turpius quam majorum virtutem ſuis prętexere vitiis? Quid tu extra te & apud alios, nō vero in te & ipſa virtute nobilitatis illa præſidia quæris? Recte Cicero aliunde illam & velut mutuo ſumtam nobilitatem dicit inſtar facis eſſe, quæ quibus præfertur, tanto apertius eorū vitia commonſtrat. Umbra eſt, vel ſomnium, aut ſi quid utroque vanius, nomen aut titulus cui opera non reſpondent. Equidem inſignia nobilitatis nō contemno, nec ea paſſim affigi ægre ſcio:

ſcro: quum nihil aliud ſint niſi horologiũ quoddam, quo excitati, laudabilia majorum noſtrorũ facta æmulemur, & virtutem imitemur. Id niſi fiat, quid, obſecro, aliud ſunt quam ſigna quædam diverſoriis appenſa, quæ hoſpites in ædes invitant, ipſa vero extra eas ſemper manent? Apud barbaras quaſdam gentes in Riphæis montibus habitantes lex fuit, ut qui nobili natus eſſet genere, nec tamen majorum virtutem imitaretur; non ſolum dignitate & officio, ſi quod majorum commendatione adeptus eſſet, privaretur, verum etiam infimi ordinis hominibus vilior haberetur. Quæ lex utinam noſtris quoq; temporibus obtineret! Neque enim dubitem, nobiles noſtros id potius operam daturos, ut virtutibus, pietate, juſtitia, temperantia, fortitudine, eruditione; quam inanibus majorum titulis ſuperiores aliis videantur. Audiant nobiles illi nihil niſi nobilitatem ſuam crepantes C. Marium illum, ſepties conſulatum adeptum, ſic loquentem. Contemnunt, inquit, novitatem meam; ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra obiectantur. Quod ſi me jure deſpiciunt, faciant idem majoribus ſuis; quibus, uti mihi, nobilitas ex virtute cœpit: nunc videte quam iniqui ſint. Quod ex aliena virtute ſibi arrogant, id mihi ex mea non concedunt; ſcilicet quia imagines non habeo, & nova nobilitas eſt: *quam peperiſſe melius eſt, quam acceptam corrupiſſe.*

Apud Salluſt.

Aquilam ferunt pullos jam fere adultos adverſo ſoli exponere; eoſque qui contra ſolis radios obtueantur (quod aquilæ peculiare Phyſici tradunt) pro ſuis educare; qui vero radios ferre non poſſunt, tamquam degeneres abdicare atque abiicere. Exemplum hoc homines imitari par eſt. Quod ſi fiat, Deus bone, quam multi ſummis nati familiis inter infimos verſabuntur? Quia vero in Aquilæ mentionẽ incidio, mittere non poſſum quin Romanorum hic notem vanitatẽ, qui inſignibus ſuis, Aquilæ ſcilicet, adſcribere erant ſoliti,

Aquila quomodo pullos probet.

Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos:

quum tamen vix ullius gentis acerbius in victos fuerit imperiũ. Quid vero abſurdius, quid vanius quam ſi verba à factis diſſideant? Quid iniquius, quam hominem Naturæ vel Fortunæ peccatum luere? quæ ipſa hominum inæqualitate æqualitatem quãdam conſervare voluit. Nobilior es; aut ditior alio? Deo age gratias, cujus meræ liberalitati & liberrimæ diſpoſitioni hæc omnia accepta ferenda ſunt: licet non negem, requiri ut ipſe etiam homo vel bellica fortitudine, vel alia induſtria ad divitias & honores viam ſibi ſternat.

Quod ſi quis obiiciat, multos ſola tyrannide & hominum oppreſſione ad ſummam potentiã perveniſſe; ei ego reſpondeo, non potentiam illam, ſed impotentiam potius dicendam, ut quæ debili admodum nixa fundamento, & brevi & ſubito collapſa fuerit, & tyranno ipſi exitium attulerit. Quare æquum eſt, ut eorũ gloriemur genere, quorũ memoria virtute parta, à multis ſæculis celebrari meruit. Laudabilius eſt tali prognatum eſſe patre, qui in mediocri fortuna cum laude & honore verſatus ſit, quam vel opulentiſſimo, ſed qui divitias per fas & nefas corraſerit. Quid apud Romanos nobilius quam Fabiorum, Ciceronum, Lentulorum familiis? At primos harum conditores agrorum fuiſſe colonos, ipſa nomina loquuntur. Magnifice de ſe Cicero, Ego, inquit, novus homo, prius omnium clauſtra nobilitatis perfregi. Cui quum ſuaſiſſẽt amici, ut Ciceronis nomen, tamquam vile & plebeium quid ſonans, à ſe abdicaret, Efficiam, inquit, ut hoc nomen Catonum, Scaurorum, Catulorum, & quorumvis aliorum clarius habeatur. Quin adeo non puduit eum ſui nominis, ut quum pateram in æde Fortunæ dedicaſſet, verba, M. Tullius litteris inſculpi, ac deinde ciceris figuram appingi juſſerit. Sic apud Hiſpanicarum rerum ſcriptores legimus, Bambam agricolam virtute ſceptrum ſibi & coronam acquiſiviſſe; quem quidem priſtinæ fortunæ adeo non puduit, ut vomere pro inſignibus uſus ſit. Quis vero neget hæc inſignia multo ei honorificentiora fuiſſe, quam Petro Aragonio ſymbolum illud, quod paſſim oſtẽtavit, DOMINUS MIHI ADJUTOR. quum nihil minus, utpote homo flagitioſus, quam Domini auxilio uteretur. Poterat Rex David pro inſignibus ſibi vindicare victoriam illam de immani Goliatho partam, nec non ducenta Philiſtæorum præputia Sauli oblata: aut tale quid aliud, memorabilis virtutis argumentum. At ab hac ambitione longe ille abfuit. Quis Eccleſiæ neſcit nobilitatem? Atqui pro inſignibus illi navicula, & ſemilacerum rete, unde etiam hodieque omnia Pontificia diplomata *ſub Annulo Piſcatoris* expediuntur. In mitris certe Epiſcopalibus nullum aliud inſigne videas quã claviũ figuram. Quid ſacerdotes & presbyteri? Numquid tonſura pro inſignibus utuntur, eamque honorificam ſibi ducunt! Licet conſtet,

Ciceronis nobilitas.

Bamba rex Hiſpaniæ.

Eccleſiæ inſignia.

ſacerdotes

Digitized by Google

ſacerdotes Chriſtianos ſub primis Chriſtianæ religionis initiis Antiochiæ ignominiæ cauſſa raſos fuiſſe. Quare nec quæ oſtentamus inſignia, nec quæ præſcribimus ſymbola, nec quam jactamus generis nobilitas, ad ullam aliam rem proſunt, quam ut nos ad æmulandam majorum virtutem incitent atque incendant. At Deum immortalem, quotusquiſque hæc ita conſiderat? Idem profecto nobis hic evenit, quod illis apud Hippocratem. Quum enim mulier quædam adulterii eſſet accuſata, eo quod puerum æthiopi colore peperiſſet, Hippocrates è contemplatione tabulæ in cubiculo pendentis, in qua æthiops depictus erat, & vehementi imaginatione factū illud eſſe demonſtrans, feminam quidem liberavit, ſed cives acerbe deriſit, inquiens: Præpoſteram eſſe curam qua adulterinos partus à genuinis colore diſtinguere ſatagant, quum quantumvis malitioſos ac degeneres nihilominus pro ſuis agnoſcerent.

Principes latere nihil poteſt. Sed ut ad inſtitutum redeam, illud præ oculis atque animo ſemper habebunt Principes aut quicumque in dignitate conſtituti, omnia ipſorum dicta notari, mores obſervari, & actiones in judicium ab omnibus vocari: ut nulli crebriores quam de Principum moribus & actionibus, vulgi audiantur ſermones; immo nihil æque omnes imitari ſtudeant, ac Principum & magnatum mores. Qualis enim Rex, talis grex. Quare ipſa à Principibus juſtitia requirit, ut quanto dignitate, tanto probitate & virtute ceteris ſint eminentiores, ne ſubditis eorum imitandi vitia anſa præbeatur, ſed potius virtutes æmulandi calcar addatur. Quid, quæſo, Commodo Cæſari profuit, quod optimo Imperatore M. Aurelio prognatus fuit? quum ut pater clariſſimum omnium virtutum ſpeculum, ita ipſe omnium vitiorum ſentina & quaſi monſtrum Naturæ fuerit. Mihi quidem priſci temporis hiſtorias evolventi Romanum imperium numquam melius habuiſſe videtur, quam quum exigua nobilitatis & divitiarum ratio fuit habita, ſoli vero virtuti omnia, fuere pervia: ſic ut magiſtratus aliaque Reipublicæ tam pace quam bello munera iis tantum demandarentur, quos tam natura quam eruditio neceſſariis ad ea adminiſtranda dotibus ornaſſet. Paullum Æmilium legimus, quum devicto Perſeo Macedoniæ Rege, incredibilem auri atque argenti vim ærario intuliſſet, ex omni præda nihil ſibi reſervaſſe, quā pateram argenteam, quam Tuberoni genero, cujus virtus in eo bello præcipue enituerat, donaret. Quinto Cincinnato in agro aranti renunciatum fuit, Dictatorem ipſum eſſe factum: quo licet ſummo magiſtratu, ſtatim devictis hoſtibus ſeſe abdicavit, & in agrum eſt reverſus. Nec ullæ profecto apud Romanos illuſtriores res geſtæ leguntur, quàm ab iis quos ex obſcuris natalibus virtutis commēdatio ad ſummū dignitatis gradū evexit.

Chriſti D. N. humilitas. Sed omiſſis Ethnicorum exemplis, de Chriſto & Apoſtolis aliquid dicamus. Quis enim meliori jure de Nobilitate gloriari poſſet, quam Chriſtus Dominus & Salvator noſter filius altiſſimi? Atqui ſic ille paſſim loquitur, non ſe ſuum, ſed Dei honorem quærere; quem ſi quæreret, nihil eſſet. Quæ quidem à ſumma Sapientia eo dicta ſunt, ut intelligamus, Honorem non quærendum, ſed promerendum eſſe. Idem Salvator noſter eos dicit fratres ſuos, ſorores & cognatos eſſe, qui facerent voluntatem patris ſui, quaſi diceret: Non in pulvere hujus terræ, nec in Mundi vanitatibus, ſed in virtutibus ad cœlum ducentibus gloriandū eſſe. Me quidem noſtri piget ac pœnitet, quoties veterum Philoſophorū, quorum tamen animus vera Dei cognitione colluſtratus non fuit, incredibilem in ſummo bono inveſtigando diligentiam conſidero: quod quū animadvertiſſent tandem in virtute eſſe poſitū, Deum immortalem, quanto ſtudio, quanta contentione in eam colendam incubuerunt! adeo ut noſtrorū morū merito nos pudere debeat. *Philoſophi quā virtutis ſtudioſi.* Illud certe dici poteſt, Philoſophos tum quidem Reſpublicas adminiſtraſſe, nulla tamen re magis quā paupertate, continentia ac temperantia gloriatos eſſe: nec ullum inter Romanos, Græcos aut barbaros repertū, qui ſummum bonum in ſuperbia & faſtu collocarit, ut noſtris tēporibus multos facere videmus. Quin potius nulla umquam natio tā barbara & remota ab omni humanitate fuit, quæ non & parentes honore afficiendos, & ſuperbos odio perſequendos exiſtimarit.

Chilonis dictum. Chilonem, qui unus fuit è ſeptem Græciæ Sapientibus, rogatum quid Deus ageret, reſpondiſſe ferūt, dejicere ſuperba & exaltare humilia. Conſtat certe multos imperium vi & tyrannide partū, nullis aliis artibus quā ſingulari erga ſubditos humanitate ac comitate ſibi conſervaſſe. Zeno Philoſophus à nobili Athenienſi ſuperbus appellatus, Quia, inquit, arrogās es, probus mihi non es; nec ſi probus eſſes, tam arrogantem te oſtenderes. Idem nihil odioſius tam in ſene quam juvene eſſe dixit, quā faſtum & arrogantiā. Quis

Diogenem

Digitized by Google

Diogenem in dolio habitantem ſuperbum dixerit? Magnus tamen ille Alexander non modo adire eum & alloqui voluit, ſed etiam, ſummam Philoſophi temperãtiam admiratus ego, inquit, niſi Alexander eſſem, Diogenes eſſe vellem. Nõ tu putas plurimos alios Alexandro notos fuiſſe? Cur tamen, quæſo, unius Diogenis fortunam ceterorum opibus præfert? Eo ſcilicet, quod ceteris deeſſet quod in Diogene ſumme admirabatur, nempe Virtus. Cujus quidem inter alia tum quoque eximium dedit ſpecimen, quum juſſus ab Alexandro ut aliquid peteret, tantum eum rogavit, ut quod dare ipſi non poſſet, ne adimeret monens, ut apricanti ſibi ſolis radios, quos corporis objectu impediebat, ne invideret. Anacharſis Philoſophus quum eſſet natione Scytha, quæ gens apud Græcos maxime barbara habebatur, Atticus quidam improbus laceſſere verbis Philoſophum cupiens, idque opere aggreſſus, improbitate ſcilicet potius quam inſcitia impulſus: oratio quippe improba malæ mentis index eſt: tu ergo Athenienſis ille Philoſophum aggreſſus, Fieri non poteſt, inquit, ut ſis natione Scythes. Neque enim virum tam eloquentem terra tam barbara poteſt progignere. Cui reſpondens Anacharſis, Recte, inquit, loqueris, & verbis tuis hac in parte aſſẽtior, quamquam ſententiã non approbo. Tu enim me & ob patriam malam vituperare, & ob bonam vitam laudare juſte potes: ego vero te ob vitam malam accuſare, nec tamen ob patriam, quæ tibi cum tam multis communis, proprie prędicare poſſũ. Qua in re teipſum judicem ſumo, uter noſtrum plus ſit habiturus venturis ſæculis gloriæ, Tune qui Athenis natus tamquam barbarus vivis, an ego, qui ex media Scythia oriundus, tamquam Athenienſis vivo Similiter Socrates cuidam generis ignobilitatem exprobranti, ut qui obſtetricis eſſet filius, Mihi, aiebat, genus dedecori eſt; tu generi, Quocirca idem ſuadebat, ut talis quiſque eſſet, qualis haberi vellet.

Sed miſſis iſtis, iterum atque iterum dico, Chriſtianorum nequaquam eſſe in vanis iſtis Mundi rebus, ſed in iis virtutibus quæ ad æternam vitam perducunt, gloriam & felicitatem collocare. Qua quidem in re æque erga omnes liberalis eſt Deus, ut apud quem nobiles atque ignobiles juxta habentur. Quot enim putas, nobiles damnantur; quot econtra ignobiles ſalvãtur? Annon fratrum eodem patre prognatorũ alii à Deo electi, alii reprobati ſunt, eo quod illi virtutem, hi vitia ſequerentur? Teſtes ſunt, Cain & Abel, Eſau & Jacob. Omnium cœleſtium ſpirituum nobiliſſimus & pulcerrimus fuit Lucifer: nec tamen minus una cum ſectatoribus ſuis è cœlo in infernum ob ſuperbiam præcipitatus eſt. Quocirca recte monet D. Paullus Apoſtolus, ut nemo ulla re glorietur, niſi in Deo. Neq; enim honor cenſendus eſt, quod quiſque ſibi inani opinione perſuaſus arrogat, ſed quod Deus gratũ ſibi eſſe oſtendit. Chriſti illum Præcurſorem cognati & amici Joannem dici noluerunt, quod eo nomine nemo in cognatione eſſet. Parentes tamen, Dei juſſu, nomen ei hoc indi voluerunt; eã quidem ob cauſſam, meo judicio, ut vanitates ejuſmodi & mundanos reſpectus procul habendos eſſe intelligeremus. Hoc loco Alphonſi Aragoniæ Regis ſapientiſſimi memorabile de Superbia dictum animo occurrit. Quum enim præſente eo nobiles quidam de admirabili Naturæ erga hominem benignitate diſſererent; ut quæ contra omnia vitia certa remedia ordinaſſet, contra Luxuriam Uſum Conjugii; contra avaritiam frugãlitatem; contra deſidiam induſtriam; contra gulam, temperantiam: unus vero eorum rogaſſet, ecquod remedium contra Superbiam eſſet conſtitutum? Rex, Nullum, inquit & quidem ideo, ut intelligerent Superbi, ſe non hominibus modo, ſed etiam Deo atque ipſi Naturæ inviſos eſſe, ut eos cura ſua minime dignentur.

Superbia & Avaritia origo.

Conſideranti mihi, qui fiat, quod homines tanto impetu ad terreſtria hæc abripiantur, & inprimis tam facile inſoleſcant, hæc non poſtrema videtur cauſſa, quod quum animus noſter ex loco tam excelſo originem traxerit, idem ad excelſa ſemper adſpirat. Quia vero plerumque fit, ut ab externis ſenſibus deceptus, faſtigium illud in mundanis & terreſtribus rebus poſitum eſſe arbitretur, idem ei accidit quod Ixioni apud Poetas, qui pro Junone nubem eſt amplexus. Et hic quidem fons eſt tam inexplebilis Avaritiæ, quam Superbiæ intolerabilis: qua elati, ceteros omnes præ nobis contemnimus, & primatum ſuper omnes nobis arrogamus. Et hoc quidem inde manifeſtum eſt, quod homines amentes & deliri omnia vero majora de ſe imaginãtur, atq; adeo non magnates ſolum, ſed dii etiam ſibi videantur. Cujus rei illa cauſſa præcipua eſt, quod animus antea ejuſmodi cogitationibus fuerit occupatus. Accuratàm enim præteritarum rerũ ſtulti & amentes habent memoriã, ſed præſentia intelligere aut diſcernere non poſſunt. Ego equidem

quidem inter ſtultum & ſuperbum nullam aliam ſtatuere poſſum differentiam, quam illam inter ſtultū & ſaltatorē ab Alphonſo Rege factā.

Alphonſi apophthegma.

Qui quum audiſſet, Scipionem Africanum bellicas ſuas occupationes ſaltationibus oblectare ſolitum, dixiſſe fertur, Sibi quidem videri, ſaltatorem à ſtulto nulla alia re differre, quam quod hic ſtultus ſit quamdiu vivat, ille, quamdiu ſaltet. Libet hic exclamare, O inviſi ac perditi homines, quod lucrum ex ſuperbia & arrogantia veſtra ſperatis? Cur reliquos tamquam genere, divitiis, dignitate, eruditione vobis minime pares deſpicitis?

Superbia odioſa.

Qua arrogantia veſtra nihil aliud efficitis, quàm quod odium vobis invidiam conflatis, omnibuſque in genus veſtrum curioſius inquirendi anſam datis: ubi illa tantopere jactata nobilitas non tam bonis quā malis artibus, aut pecuniarum uſuris acquiſitarum largitione emta deprehenditur, non ſine veſtra ignominia? adeo ut ſi tam majorum quam veſtra ipſorum facinora fronti veſtræ inſcripta legerentur, jurare auſim, plus inde confuſionis quam præſumtionis oriturum. Ac licet ipſi quoſcumque vultis, vos faciatis; non negabitis tamen, opinor, homines vos eſſe, ex hominibus natos, nec animam veſtram, quoad ſui ortum, vel teruncio nobiliorem eſſe quam ceterorum hominum. Corpus veſtrum adſpicite: numquid ex eadem conſtat materia? Oraculum audite.

Qui nobiliſſimi.

In hoc Mundo nobiliſſimi ſunt, qui Creatorem quam proxime ſequuntur, At Deum melius aut preſſius ſequi non poſſumus, quam virtutes ſequendo. Ite ergo divites, ite quicumque alii; & tum nobilitatem veſtram jactate, ſi virtutibus ea nixa & fulcita fuerit; ſine quibus illam vix titivillitio redemtam velim. Alias de vobis illud dici poteſt, quod Pauſanias de Spartanis in prælio à ſe occiſis dixit. Quum enim milites magnam opum vim quas ipſis detraxerant, vehementer admirarentur: Pauſanias, Quanto ſatius, inquit, fuerat, hos virtute inſtructos, quam tantis opibus onuſtos in prœlium prodiiſſe!

Quomodo fomites ſuperbiæ extinguendi.

Non nego, vix, ac ne vix quidem fieri poſſe, quin depravata noſtra natura animis noſtris ſuperbiæ & ambitionis ſtimulos addat, fomiteſque ſubjiciat: qui tamen adhibito rectæ rationis uſu non omnino difficilime retundi atque extingui poſſunt. Prodeat in medium Socrates: quem quum Philoſophus aliquis Phyſiognomoniæ peritus, faciem ac lineamenta contemplatus, luxurioſum, iracundum, pluribuſq; aliis vitiis coopertum hominem eſſe dixiſſet, diſcipulis vehementer indignantibus, Socrates lacte tranquillior, talia quidem vitia innata ſibi eſſe, eorumque fomites in animo aſſiduo ſe ſentire faſſus eſt; ſed Philoſophiæ præſidiis inſtructum, tam has quam ceteras omnes cupiditates viciſſe ac ſubegiſſe. O Socrates, utinam adhuc viveres, & nobilibus noſtris hac una in re magiſtrum te præberes! At quotuſquiſque virtutem eſſe putat, cupiditatibus ſuis & vitiis bellum indicere? Quin econtrario pleroſque videmus ingenia bene nata in deterius dare, & eliſis virtutum ſeminibus, vitiis liberrimam dare creſcendi copiam. Vera nobilitas, uti diximus, in virtutum conſiſtit cultu, & à præclare ac laudabiliter factis ortum ducit: eoque nobiles olim illi tantum habiti ſunt, qui res præclaras pace aut bello geſſiſſent, quique ſapientia, ingenio ac ceteris virtutibus reliquos antecellerent. At noſtris temporibus, Deus bone, quam multiplex eſt nobilitas?

Nobilitas multiplex.

Quidam nobiles habentur, quod nobili orti ſint proſapia. Alii pecuniarum largitione nobilitatem ſibi acquirunt. Pecuniæ enim omnia obediunt: & ut Poetæ inquit:

Pecuniaria.

Et genus & formam regina pecunia donat.

Hinc Imperator quidam rogatus, quid eſſet nobilitas, reſpondit: Antiqui æris poſſeſſio, Olim qui opibus abundabant, divites, non nobiles appellabantur: at hodie ſi quis vel ſordida mercatura, vel uſuris, vel etiam latrociniis divitias corraſerit, ſtatim Nobilis, immo Nobiliſſimus, aut Illuſtris audit. Nobilis eſſe vis? Fac pecuniam habeas. Quid quæris? tanquam deus aliquis terreſtris obſervaberis & coleris. Qui & antiqua nobilitate illuſtres familiæ, licet novus homo ſis, affinitatem tuam non modo non ſpernent, ſed & ultro ambient. Quocumque veneris, cognatos, affines, amicos habebis. Eo jam res rediit, ut uncia auri pluris ſit quàm virtutum libra. Quin pecunia jam mundus, & mundus pecunia eſt, una quidem, ut ita dicam, ſubſtantia, ſed duæ perſonæ: quibus tertia accedit, ſtultitia. Quid multis? vænalis jam proſtituta eſt nobilitas. Qui vero hoc modo nobilitantur, non magis nobiles cenſendi ſunt, quam qui multos libros habent, docti. Neque enim iſtis dicitur, Es nobilis, ſed, Eſto nobilis: quo monſtratur non quales ſint, ſed quales eſſe velint, nimirum tales

voluit, quæ intra XX. dies ex Aſia, intra XV. ex Europa, intra X ex Africa, intra V. ex Illyrico, & intra III, ex Italia allatæ non eſſent, Equidē ſi tuas hic acceptari velis, ſuadeo rationē cum eis ineas ne tamdiu in via morentur. Epiſtola enim tua, ſi lignū fuiſſet aut cedrus è Libano petita, profecto tā ſicca atque arida ſit, ut ſine ullo vitio valvæ atq; feneſtræ ex ea fieri poſſent. Mihi quidem ſi vel viginti epiſtolæ ſimul reddantur, eæ quæ à te veniunt ſtatim certis indiciis ſe produnt, Maculatæ enim ſunt, ut nutricis pallium: plicarū plenæ, ut equiſonū olim apud Germanos tunicæ; tā pingues deniq;, ut in parietem jactæ facile adhæſuræ ſint. Illud etiā cōmodi habent, quod ſigilli reſciſſione opus non habent, utpote apertæ, aut male cōſutæ. Philoſtratus auctor eſt,

Mos Idumæorū. Idumæos olim diem quo ſcriptæ eſſent, litterarū frontiſpicio præfixiſſe, ut ſi recētes eſſent, legerentur: ſi veteres, lacerarentur. Qui mos ſi apud nos obtineret, jurare auſim, fore ut ex centū tuis epiſtolis nonaginta octo nō lectæ ſtatim lacerentur. At, inquis, vetus quidem eſt epiſtola, ſed bene ſcripta & lectu facilis, Ego vero Jovem lapidem juro, Scripturā tuam nō minus intricatam eſſe & illegibilem, quàm ipſam Jovis diphtheram. Male profecto tecū agetur, ſi juventutis tuæ moderatores non melius vitam tuam quam artem & ſtylum formarint: nec minus vita tua Deo inviſa, quam ſcriptura tua mihi ingrata erit. Mihi quidem Sibyllæ folium explicare quàm litteras tuas legere, ſit facilius. Strabo auctor eſt, veteres olim in cineribus, deinde arborū corticibus, lauri foliis, plumbo, pergameno, ac deniq; charta litteras formare atq; inſcribere ſolitos, idque diverſis quidem inſtrumentis, lapidibus, ſtilo, foliis, penicillo, cineribus digito, cultro, corticibus, calamo chartæ tā papyraceæ quā pergamenæ. Atramentum quo primo utebantur, ſuccus erat piſcis xiphii ſive ſepiæ: poſtea vero varias ejus cōficiendi rationes ſunt cōmenti. Quæ ex antiquitate huc repetere ego volui, ut mecum diſpicerem, quo inſtrumento, quoque atramento epiſtola illa tua eſſet ſcripta: Papyrus craſſa erat & fluida, atramentum ſubalbidum, ſulci inæquales, verba ſemiraſa, ut nō ſine cauſa credā, ſi non in tenebris, ſaltim in ipſo crepuſculo aut ad Lunæ malignum lumen

Scopa diſſoluta. ſcriptam eſſe. De argumento & ipſa re quid dicā aliud, niſi in tot atramento illitis foliis, quæ ad minimum duo erant, & dimidium, nec pedē nec caput, nec initium, medium, aut finem mihi apparuiſſe: ut non epiſtolam, ſed rhapſodiam aliquam quodlibeticam legere mihi viderer. Cauſſa ſane non eſt, cur epiſtolas tuas obſignes: quas melius ab aliorum notitia & calumnia obſcuritas, quam argentum tuum à rapaci manu arca defendet. Tuam illam Petro Coronello inſpiciendam dedi, ut ſcirem an Hebræis: Prexamo, ut ſcirem an Chaldaicis: Hameto Abdubari, ut ſcirem an Arabicis: Siculo, ut ſcirem, an fortè vetuſtis Græcis characteribus eſſet conſignata. Quin eandē Germanis, Belgis, Anglis, Hibernis, Polonis monſtravi: à quibus omnibus mihi reſponſum eſt, aut joco tantum ita cōſcriptam, aut fortaſſe magicum quid ea contineri. Quare eam ad Joannem Barbottā miſi, ut quid de ea ſentiendum eſſet, arte ſua mihi exſculperet.

Mirus jocus. Et ille quidem mihi reſcripſit, ſe adhibitis omnibus, quorum valde peritus eſt, carminibus & incantamentis, ſic cōperiſſe, epiſtolā quidem nullū magicum habere aut necromāticum ſpiritū: valde tamen dubitare, an ab homine aliquo incantato aut lymphatico ſcripta ſit. Quod ſi poſthac non meliores ad me epiſtolas ſcripſeris: equidem tā illas quā teipſum in malā rem faceſſere jubebo: vel, quod pejus eſt, ad eundem Barbottam mittam. Epiſtola tua non minus è manibus meis, quam Putipharis uxor ex Joſephi, Sara ex Abimelechi, Hiſpana illa è Scipionis, uxor & filiæ Darii ex Alexandri Magni, Cleopatra ex Auguſti Cæſaris manibus virgo evaſit.

Littera Uriæ. Quod ſi litteræ illæ quas David Uriæ ad Joabū perferēdas dedit tuarum fuiſſent ſimiles, mortē Urias, David peccatū effugiſſet. Ac ſi tabulæ cōjurationis à Scauro & ſociis cū Catilina initæ nō melioribus fuiſſent conſignatæ characteribus, nec convinci illi nec damnari potuiſſent. Utinā tu Manis, Arrii, Neſtorii, Ebionis, atque adeo Lutheri & aliorum hæreſiarcharū noſtri temporis fuiſſes amanuenſis! Numquā profecto peſtiferum hæreſeos venenū tam late fuiſſet diffuſum:

Obſcuri ſcriptores. neque enim quæ tu ſcripſiſſes, quiſquam legere potuiſſet. Plinius in Naturali Hiſtoria, Euclides in Mathematicis, Stilpho in Ethicis, Codrus in Politicis nimiæ obſcuritatis inſimulantur Horū tu numero, atque adeo meliori jure, accenſeri debes. Illorum enim libri lectu quidem faciles ſunt, at difficiles intellectu: tuæ vero literæ nec lectu nec intellectu faciles ſūt, ſed Oedipo, aut ut proverbio eſt, Delio natatore pro interprete opus habēt. Mihi humanarū rerum viciſſitudinē cōtemplanti ſæpenumero illud mirum videtur,

quod in tanta rerum omnium mutatione Alphabeti, ut vocant, litteræ eædem haſtenus fere ſemper manſerunt; nec fere quidquam in iis mutatum eſt. Ex viginti tribus illis litteris à Neſtore octodecim inventæ, ceteræ à Palamede in bello Trojano additæ dicuntur. At nec Græcorum eloquentia, nec Ægyptiorum curioſitas, nec Romanorum gravitas unam amplius addere aut demere potuit. Moribus quidem, inſtitutis & lingua nationes diſcrepant, apud omnes tamen eadem litterarum vis eſt, & unum, ſi rem, non nomina ſpectemus, Alphabetum. Sed ô te mirificum & acutum hominem! qui ut Veſputius, Columbus, Pizarrus, alii novum nobis detexerunt Orbem, ita tu novum nobis Alphabetum comminiſci velle videris. At profecto vereor, paucos diſcipulos te nacturum, qui litteras tuas imitaturi ſint: præſertim in tali argumento, quale tua continet epiſtola. Tu velim ergo ita poſthac ſcribas, ut litteræ tuæ legi poſſint. Legere enim didici, at non divinare. Etſi forte tu joci tantum cauſſa ejuſmodi ad me epiſtolam miſiſti, Quod ſi ita eſt, habes vicisſim jocoſum reſponſum: quod velim boni conſulas.

Alphabetum ubique unum.

Novarum rerum quod ad te ſcribam, nihil memoratu dignum eſt: etſi multa quotidie ſpargantur, vera, falſa. Imperator in diſtribuendis Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum titulis valde fuit liberalis: de Ducatibus vero illis & Comitatibus, & ubinam illi ſiti ſint, ſi quis me roget, mutus ſim profecto. Tam anguſtis enim nonnulli ex his ditiones finibus concluſas habent, ut ſi Monaſterii alicujus eſſent, jamdudum, credo, totæ muris circumſeptæ forent. Rodericus Gironus cognatus tuus à me petiit, ut Antonium Fonſecam de pecuniæ ſumma in ſuũ uſum neſcio unde ſumenda monerem, quod quidem feci: ac pro certo illud tibi affirmo, ſi tam diligens ſit in cogenda aliena pecunia, quam in ſua in aleam profundenda, non magis tibi quam ipſi quæſtoris aut promicondi operam fore neceſſariam. Vel hac præterita nocte non modo omnem ille pecuniam, ſed veſtes etiam & calceos aleæ impendit: in eo à patre minime degenerans, quem memini non ſemel me viſiſſe, non morbo quidem, ſed dolore ægrum, quod Meridæ omnem pecuniam alea abſumſiſſet. Burgis XV. Sept. MDXXI.

Inanes tituli.

Titulus ſine re inanis.

Ad CAROLUM V. IMPERATOREM *EPISTOLA.*

In qua prima pecuniæ ſeu monetæ origo indicatur.

TAnta, Imperator clementisſime, tuorum in me beneficiorum eſt magnitudo, ut nihil mihi ſit, quo vel milleſimam eorum partem non dico exſolvam, ſed vel digne agnoſcam. Quod ergo unum reſtat, quod mihi à V. M. injunctum eſt faciam, ut nimirum res à V. M. geſtas, quanta poſſum ſedulitate & diligentia deſcriptas, poſteritatis tradam memoriæ.

Ad præſentem vero de Monetæ origine quæſtionem quod attinet: primo conſtat, in ſtatu illo originalis Juſtitiæ terram omnia ad vitam neceſſaria ſua ſponte produxiſſe. Sic enim Deus ipſe primos parentes alloquitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſementem ſuper terram: & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſit vobis in eſcam & cunctis animantibus terræ.* At quamprimum peccatum in mundum intravit, eadem terra ſpinas & tribulos protulit, ac nonniſi multo cultu laborata homini victum præbuit.

Status innocentiæ.

Geneſ. I.

Ex quo patet, in ſtatu illo innocentiæ nullam mercaturam aut negociationem viguiſſe, ſed multo poſt aucto valde hominum numero, rerum permutationem fuiſſe inſtitutam: quemadmodum legimus Cainum Abeli carnes de venatione ſua, vicisſim Abelem Caino de fructibus terræ dediſſe. Et hæc quidem permutandi merces ratio ad bellum uſque Trojanum duravit, ſi Homero credimus. Origenes in Commentariis, Jobum inquit ſeptem boum, tria camelorum millia, & quingentos aſinos, ac numeroſam admodum familiam, auri vero, argenti, & cjuſmodi rerum nihil omnino babuiſſe. Omnes olim Hiſpanorum divitiæ in pecuaria & venatione erant poſitæ. In novo etiam orbe nullum pecuniæ, vel auri & argenti, quantum ad negotiationem attinet, uſum fuiſſe, ſed res rebus permutari ſolitas, conſtat. Poſtquam vero invaleſcente hominum malitia & avaritia, animadverſum fuit, res non ita commode ex uno loco in alium tranſportari poſſe, inventus eſt numus, quo omnia quibus quis egeret, emerentur

Mercium permutatio.

Numi inventio & uſus.

rentur ac venderentur. Tanto vero id commodius viſum eſt, quod numus portatu eſſet facilis: & mediocri ſumma quamplurimæ merces comparari poſſent. Ex quo dici non poteſt, quanta in hominum animis orta ſit auri atque argenti ſitis; ut quanto profundius in viſcera terræ Natura metalla iſta abdidit, tanto ardentius homines in iis eruendis elaborent. Quo enim non penetrant metallorum foſſores? ut recte Demetrius Phalereus dixerit, homines tandem ipſum Plutonem ex inferno eruturos. Hinc Ovidius:

Avaria hominũ.

—ſed itum eſt ad viſcera terræ,
Quaſque recondiderat Stygiiſque admoverat umbris.
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamque nocens ferrum, ferroque nocentius aurum.
Prodierat.

Et Silius Italicus:

Sed ſcelerum cauſſas aperit Deus, improbus Aſtur.
Viſceribus laceræ telluris mergitur imis,
Et redit infelix effoſſo concolor auro.

Facete Diogenes Cynicus, cur aurum palleret, rogatus, Quia, inquit, hominum undique ſibi ſtructas inſidias pertimeſcit.

Metallorum inventio.

Ad primum vero metallorum uſum quod attinet, Plinius auctor eſt, aurum à Cadmo primum in Phœnicia, argentum vero ab Eriſichthonio Athenienſium Rege inventum. Ferrum vero Idæi in Creta primi eruerunt & conflarunt. Plumbum Midacritus ex inſulis Caſſiteridibus, non procul ab Hiſpania ſitis, Cuprum Cinaras ex Cypro inſula advexit. Primus vero Tubalcaim metalla conflare, atque ex eis varias res fabricari docuit. Quis vero primus monètam percuſſerit, parum liquet: & diverſi à diverſis produntur. Herodotus ſcribit Lydos primos aurea & argentea moneta uſos. At in Italia Janus primus pecuniam ſignavit. Unde eleganter Ovidius:

Ovidius in Faſtis

Altera ſignata eſt, altera forma biceps
Noſcere me duplici poſſes in imagine dixit:
Ni vetus ipſa dies extenuaſſet opus.
Cauſſa ratis ſupereſt. Thuſcum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure receptum,
Cœlitibus regnis à Iove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen:
Dicta fuit Latium terra latente Deo.
At bona poſteritas puppim formavit in ære,
Hoſpitis adventum teſtificata Dei.

Et Joannes Mena Poeta Hiſpanus:

Ianos primero halle la moneda.
Thirso de cugnolos mixtos metallos.
Alqual yo maledigo pues tanto malos
Cauſo en la ſimiente que nunca ya queda
Por eſta Iuſticia ſe uos deshereda,
Por eſta los Reyes ſe eſcandalizan,
Por eſta los grandes aſſi tyrannizan,
Que no ſe, qui en biva ſeguro in pueda, &c.

Janum hunc Noam fuiſſe Patriarcham Beroſius exiſtimat: à quo cuſam monetam vidiſſe me memini. Romæ quidem, ſi Plinio credimus, Servius Tullius primus monetam ſignavit: quum antea infecto metallo Romani uterentur. Signum vero erat pecudis figura: unde Pecunia poſtea dicta. Argenteus numus Romæ Anno CCCCLXXV. ab V. C. primum cudi cœpit: cui ſententiæ ſcio à quibuſdam contradici. Ego quidem numos quoſdam vetuſtiſſimos penes me habeo, quos ubi volueris V. M. inſpiciendos dabo. Antiquiſſima aurea & argenti mentio in SS. litteris fit mentio Geneſ. IX. de Abram, ubi dicitur: *Erat autem dives valde in poſſeſſione auri atque argenti.* Et capite XX. Abimelech Saræ dixit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo.* Tum ejuſdem libri capite XXIII. ita ad Ephron dicit Abraham: *Dabo pecuniam pro agro.* Reſponditque Ephron: *Terra quam poſtulas, quadringentos argenti ſiclos valet.* Et ſequitur: quod quum audiſſet Abraham, *appendit quadringentos ſiclos argenti probatæ monetæ publicæ.* Quinetiam Salvator noſter ipſe in Evangelio teſtatur, homines tempore Loth emere & vendere ſolitos. De Caino Joſephus ſcriptum reliquit, fuiſſe eum hominem valde avarum, & theſauris terræ congerendis unice ipſum invigilaſſe. Geneſis vero cap. 6. legimus: *Videns autem Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra: & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore,* &c. ubi interpretes inter malitiam illam Avaritiam quoque ponunt, ſeu auri & argenti ſitim. Ex quibus omnibus patet, etiam primo illo ſæculo aurum atque argentum in uſu fuiſſe. Ad ſpecies vero monetæ quod attinet, vetuſtius numi genus non reperio quam Ducatum: qui, Polydoro Virgilio teſte, ab officio Ducatus ſeu

Pecunia unde dicta.

Nũmi Ducatus. Capitaneatus nomen habet, primum à Longino Juſtini Imperatoris in Italia Vicario, Romæ cuius. Verum enimvero quiſquis tandē ille ſit qui pecuniæ uſum primus hominibus commonſtravit, eum ego peſſime de humano genere meritū, adeoque capitalem Mundo peſtem invexiſſe puto, quum ex hoc uno fonte pleraque ſcelera & flagitia promanent. Sed hæc depravatæ potius naturæ noſtræ, quā ipſius creaturæ culpa eſt.

Ad
EPISCOPUM TUYENSEM
EPISTOLA.
In qua eum non ſine ſale conſolatur, in cuſtodiam conjectum.

IOannes Gothofredus domus tuæ Magiſter epiſtolam mihi à te reddidit: ad quam quod citius non reſponderim, occupationibus meis imputabis. *Vota non ſpernenda.* Ad liberationem tui quod attinet, equidem N, cognati tui, ſuadentis ut ad B. Mariæ N, auxilium confugias, conſilium minime contemnendū eſſe duxerim, ſi id antequam in cuſtodiā eſſes incluſus, ab ipſo datum tibi fuiſſet. Sed quia poſt feſtum venire miſerum eſt, & factum infectum fieri nequit: neceſſe eſt ut fortunā tuam patienter feras, & cum multis aliis ſic cogites, ſic dicas: Qui nō poteſt, nō poteſt Laudabile ſane ac Chriſtiano dignum factum exiſtimo, votum Sanctorū alicui, & inprimis Deiparæ Virgini, nuncupare ac ſolvere, interim tamen illud tibi ego ſuadeo, ut Corduarum aut alteri nobili ac præpotenti familiæ te cauſſamque tuam commendare inprimis ſatagas: non ignarus apud hos non fruſtra miracula illa quæri, quibus liberatio tua promoveri queat. Quare ſi te huic vel alteri familiæ, cui magna ſit apud Regem auctoritas, voti alicujus aut promiſſi reum feceris, non dubito, quin miraculū illud, cujus ſpem tibi cognatus injecit, reipſa ſis experturus.

Duo quum faciunt idē punitur alter laudatur alter. Scribis, nullam aliam ob cauſſam in carcerem te conjectum, quam quod reditus quoſdam ſeu proventus, quos Portugalliæ Rex in Caſtilia percipit, perſtrinxeris. Me, cui hæc nota ſunt, tota res non parva admiratione effecit; ac tanto magis quod liberi hic multi & incuſtoditi nobiſcum obambulent, qui idem tecum ſentiant ac loquuntur. Quos ſane multo æquius erat quam te puniri. Illi enim dicunt quæ non intelligunt; tu vero quod verum eſt dixiſti. At ſcis Micheam Prophetam non in carcerem modo conjectū, ſed etiam percuſſum, quod falſis vatibus contradixiſſet, & Achabo Regi ut bello abſtineret ſuaſiſſet. Notum illud eſt *Obſequium amicos, Veritas odium parit.* Sed cogita, his adverſitatibus animum tuum hic purgari, ut tanto facilius æternæ lucis fias particeps. Recte D. Gregorius: *Supernæ hæreditatis gladium ſumunt, quos adverſitas vitæ temporalis humiliat.* Poſſem equidem ſexcenta tibi ejuſmodi proferre, niſi ſcirē gratiora tibi fore quatuor vel ab indoctiſſimis ad ſublevandam fortunā tuam petita remedia, quam omnia omnium Sophiſtarum dicta. Interim tamen me ſpes tenet, hanc ipſam adverſitatem tibi olim & ornamento & emolumento fore: quia, ut Seneca inquit, *Sæpe majori fortunæ locum fecit injuria.* Tu modo ne dubita, illos ipſos à quibus nunc vexaris, tuam operam propediem ad res magnas expetituros.

Fama hic percrebuit, Luſitaniæ Regem, quū paullo ante de monachali induendo cucullo cogitaſſet, jam bellum contra nos moliri. cui equidem, quum duo iſta toto cœlo inter ſe diffideant, fidem habere non poſſum. Apud nos quidem in Caſtilia non pauci ipſius partibus ita addicti ſunt, ut ne ſcio quæ oracula & vaticinia proferre non dubitent: quorum vera quædam, ſed plura falſa eſſe puto. Quia vero omnes vaticinari incipiunt, ariolabor & ego aliquid: nimirum, ſi Luſitaniæ Rex regnum hoc armis velit aggredi, fore, ut belli eum brevi pœniteat, & & ſuum ipſius regnum, ut & perſonam, non levi periculo exponat. Deum rogo, ut cuſtodia te quamprimum liberet; mihi vero gratiam ipſi ſerviendi largiatur. Medinæ XII. Auguſti MDXXIX.

De
CHARITATE
ſeu divino amore
DISSERTATIO
ſuper illa verba:
Ignem veni mittere in terram. Luc. 12.

ILle Salvatoris noſtri cognatus, Deiparæ nutricius, Propheta Eccleſiæ, Apoſtolorum collega, cœleſtis aulæ pictor, & divinæ Hiſtoriæ ſcriptor *D. Ioannis Apoſtoli laus*

ſcriptor D. Joannes, antequam inſcrutabilem illā Dei Patris erga Jeſum Chriſtum amoris abyſſum deſcribere inciperet, in ipſo æternæ Sapientiæ ſinu incubuit, ut humanæ quaſi Naturæ oblitus, profundiſſima illa SS. Trinitatis myſteria tanto melius capere atque aliis tradere poſſet. Hinc de ſeipſo inquit: *Quod audivimus, quod vidimus, quod manus noſtræ contrectaverũt, de verbo vitæ teſtamur.* quaſi diceret: Prædico ac moneo, ne quiſquā de iis, quæ à nobis de divina Chriſti Majeſtate ſcribuntur, dubitet, quũ illa ipſa nõ uno, ſed tribus, nempe oculorũ, aurium & tactus ſenſibus perceperim; ut ſi in uno, in omnibus tamen ſimul falli non poſſim. O divine Joannes! non ego ſanguinis cognationem, quæ tibi cũ Chriſto ſecundũ humanam Naturā fuit, nõ Apoſtolatũ, non B. Virginis tutelam, nõ divinas revelationes, nõ quidquid aliud eſt, tibi invideo; ſed hoc unũ, quod non mihi perinde ac tibi contrectandi tanti theſauri facultas datur. Atque bene eſt: quũ tu nulli te prius tractādum præbeas quam guſtandum. Quod vero D. Joannes priuſquam ſublime illud ſuũ Evangelium ſcribere aggreſſus eſſet, ſuper Chriſti pectore recubuit, docere nos voluit, in uno ſomno juxta Chriſti pectus multo nos altiora myſteria, quam in omnibus Mundi ſcholis haurire ac diſcere poſſe. Quod idē viſum, auditum, tactũ allegat, divini verbi auditu animum quidem mirifice recreari indicat, ſed tum demum omnino acquieſcere, quando Deum ipſum quaſi contrectat. Tam enim alta, tam delicata res eſt Dei amor, ut guſtu facilius percipi quam verbis exprimi queat. Aureā illā tabulā, quæ in Sancto ſanctorum inter Arcam fœderis & Seraphin ſtabat, nemo aſpicere poterat, nedum contrectare. Et hæc quidē Tabula divini Amoris figura fuit, cujus interventu Deo reconciliamur; cujus etiam nõ viſi vel tacitus ſenſus ad animum pacandum nobis ſatis eſt. Quia autem hoc loco de Dei erga homines, & hominum erga Deum amore verba facere conſtitui; prius omnem Mundi amorē à me abdico, Veneris amorem deteſtor, Cupidinē exſecror, & ſoli divino Amori me do, dico ac conſecro. Deum ſuppliciter implorās, ut guſtandi prius illius de quo dicturus ſum, quā verbis explicandi gratiam mihi largiatur.

Vera pax animi unde

De ſuis quiſque loquitur

Scimus, atq; ita uſus obtinet, ut nempe imperator de re militari, nauta de reb. maritimis, Princeps de Reipublicæ adminiſtratione lubenter loquatur. Quare Amatori quoque licebit Amoris conditiones explicare: cujus quidem ea vis eſt, ut facile quidem copulari, at difficilime ſolvi poſſit. Ergo iterum eum qui Balaami aſinæ os aperuit, qui Iſaiæ vatis labia pruna ardenti tetigit, qui Zachariæ linguam ſolvit, qui Apoſtolis ignitas linguas dedit, veneror precorque, ut prioris vitæ meæ Mundi amorib. occupatæ, errores emēdādi tempus, & divini amoris deſcribendi ac prædicādi gratiā clementiſſime mihi concedat.

Ignis divinus quis.

Ait Chriſtus Salvator noſter: *Ignē veni mittere in terrā. Et quid volo niſi ut ardeat,* quaſi diceret, Poſtquā æternus ac cœleſtis Pater vidit, totum humanum genus in divino cultu & amore tepere, immo frigere ac torpere: me quaſi Ignē cœlitus demittere voluit, ut corda veſtra iterum calefierent atq; accenderentur. Quare veſtrum erit cavere, ne Ignis hic rurſus in vobis extinguatur, ſed potius continua ventilatione ac ſufflatu jugiter cõſervetur. Alio loco idē Salvator noſter inquit: *Non veni pacē mittere, ſed gladium.* Pax quippe impiorũ juſtis perniciē adfert. Quæ verba Chriſti non notātu modo, ſed etiā admiratione digna ſunt. Nunquid enim Chriſti tanquam divini Verbi virtute Mundus creatus eſt? Numquid idem in Mundũ hunc per nativitatē ſuam venire dignatus eſt? Quid ergo optime Chriſte, igne & gladio Mundum hunc te perditurũ minaris? Verumenim vero ſi verba illa recte cõſideremus, non modo nullũ terrorem, ſed admirabilem etiā conſolationē ex iis percipiemus. Igne enim Chriſtus morticinā noſtrā carnem conſumit; gladio vero impurũ & putridum cordis noſtri ſanguinē effundit. Ignis vero ille quem Chriſtus verus noſter Prometheus, de cœlo attulit, divinus Amor eſt, cujus propriũ eſt ut ardeat ſine cõſumtione, luceat ſine offenſa, purget citra dolorem, calefaciat ſine ulla moleſtia.

Gladius Goliathi.

Ex omnibus exſuviis, quas David Goliatho occiſo detraxit, atq; etiā armis quibus ipſe uſus erat, nihil templo inter res ſacras illatũ fuit, quā gladius, quo immaniſſimo giganti caput amputarat: quo ſignificatur, pluris nobis faciendũ eſſe gladiũ illũ divini amoris, quo Chriſtus nos redemit, quā omnes pœnas & cruciatus quos noſtri cauſa pertulit. Neq; enim proprie loquendo, divina, ſed humana Natura pro nobis paſſa eſt. Quare ut hæc finita fuit, ita quoq; dolores quos pertulit, finiti fuerunt. At Amor Chriſti erga nos ut infinitus fuit, ita quoq; ad infinita hominum peccata delenda infiniti fuit precii atque efficaciæ:

ciæ: ſicut Salvator noſter pientiſſimus ſanguine ſuo peccata noſtra expiarit, amore vero iram Dei placarit. *Amor Chriſti infinitus.* Eo ergo quod Judæorum ſynagoga Goliathi gladium inter res ſacras aſſervavit, monet Eccleſia, nihil majori in precio habendum eſſe quam infinitum Chriſti amorem: quo uno nobis tam ad mortis victoriam quam æternæ gloriæ ſpem aditus eſt apertus. Quod ſi quis Chriſtum etiamnum rogare poſſet, quidnam è cœlo attuliſſet? Amorem reſpondebit. Quid in Mundo prædicaſſet? Amorem dicet. Quid ultimo teſtamento nobis commendaſſet? Amorem inquiet. Quid denique ipſe ſit? Amorem ſeipſum eſſe dicet: ſicut nec obliviſci noſtri, nec odiſſe nos poſſit.

Levitici 2. *Si Domino Deo tuo obtuleris primitias frugum tuarum de ſpicis virentibus, torrebis eas igni.* Quæ verba, ut pleraque S. Scripturæ, myſterio non carent. Quod enim Deus frugum primitias ſibi offerri jubet, nihil aliud innuere vult, quam nos monere, ut ante omnia ad Dei auxilium confugiamus, ipſoque largiente omnes noſtras actiones ad ipſius ſervitium dirigamus, & noſtra ipſorum ſalute finiamus. Quod ſi aliter fecerimus; dubium non eſt, quin quod in Dei nomine cœptum non fuerit, per manus diaboli ſit exiturum. Primitias ergo Deo offert, qui *Primitiæ quæ Deo offerendæ.* de lecto ſurgens, Deo ſe ſuaque commendat, qui priuſquam cibum ſumat, atque etiam poſt ſumtum cibum gratias Deo agit, qui nihil niſi precibus prius ad Deum fuſis auſpicatur; qui denique Deum ſemper ante oculos habet. Deo enim multo gratiores ſunt piarum cogitationum, quam virentium ſpicarum primitiæ. Quod ergo Deus non aridarum, ſed virentium ſpicarum primitias offerri ſibi præcipit, illud monet, ne de Sanctis qui æterno gaudio perfrui jam incipiunt, ſed de nobis ipſis, qui altiſſimo Mundanarum rerum cœno immerſi adhuc hæremus, ſolliciti ſimus. Verba enim noſtra inutilia; & opera noſtra frigida inprimis Igne illo opus habent quo purgentur, ac ſuper prunis divini amoris candentibus calefiant ac torreantur. Quod ſi quæ virentia ſunt, mi Deus, non aſpernaris: en oculos meos virentes, utpote *Viriditas quid.* vanitatibus Mundi unice intentos: en pedes meos virentes, ad malum quippe perſequendū celeres: en manus meas virides, ad accipiendum videlicet numquam laſſas, ad dandum pigras: en linguam meam virentem, ad fundenda ſcilicet verba inania nimis ſolutam: en cor meum novis cogitationibus ſemper viride; en totum corpus meum ad peccandum continuo recens. Quum ergo cupiditatum mearum radices, operum meorum rami, verborum meorum folia, ac totius vitæ meæ fructus tam virentes ſint atque humidi, ut amoris tui ignis nō facile eis poſſit adhæreſcere: age Jeſu benigniſſime, prunis tui timoris me impone, torre me igne tuo & fornace illa tui amoris totum me excoque. Sic enim dulcis tui Amor efficiet, ut alacri ac læto animo tibi ſerviam; timor vero, ne te offendere auſim prohibebit.

Quantopere divinum Amorem Deus ab homine requirat.

E*rit domus Iacobi ignis*, inquit Deus per Abdiam Prophetam, quaſi diceret: Jacobi domum (quæ Eccleſia eſt) ſuper divino Amore *Abdiæ cap. 4.* fundabo, muris Amoris circumdabo, Amoris Sacramentis dotabo, Amoris alumnis replebo, ſic ut Amoris domus appellanda ſit, nec in ea quidquam præter Amorem ſciatur, agatur aut tractetur. Primus ille piorum cœtus, ſtatim à condito primo omnium parente Adamo, ſuper timore & tremore fundatus fuit, ut ex ipſius Adami verbis apparet, dicentis: *Vocem tuam, Domine, audivi, & timui*; peccati ſcilicet ac nuditatis meæ mihi conſcius. Vilis ſane ille paradiſus fuit, in qua Adam uno verbo tantopere fuit perterrefactus. O quanto melius eſt atque optatius in altero illo horto cum bono cruciario dulciſſimum illud verbum audire. *Hodie mecum eris in Paradiſo?* In veteri Teſtamento dixit Dominus ad Moyſen: *Congrega ad me populum, ut audiant ſermones meos, & diſcant timere me.* Nunquam Deus ſiverit, ut Chriſtia- *Amor Chriſtianæ religionis fundamentum.* næ Eccleſiæ tam aſperum verbum aut præceptum inſinuetur! Atqui certum & verum eſt, numquam à Chriſto Salvatore noſtro quid dictum aut factum quod metum nobis poſſit incutere. Equidem mihi curioſe ſacram paginam evolventi unus tantum locus occurrit, in quo Chriſtus verbo illo, *Timete*: uſus eſt: quum tamen illud, *Diligite*, pluſquam triginta locis inculcatum legatur. Ex quo intelligi poteſt, quam omni timore Dominus & Salvator noſter ſuos liberatos, & econtra quam tenero & ſancto amori obligatos velit. Neque vero ſatis ipſi fuit, dulciſſimis verbis paſſim oſtendere quantopere nos amet: ſed etiam multipliciter nos ad amandum hortatur. Alibi enim dicit:

cit: *Amate vos invicem.* alibi: *Diligite proximũ veſtrum.* alibi: *Deum ſuper omnia diligite.* alibi: *Pater cœleſtis vos amat.* alibi: Qui diligit me, ſequatur me, alibi: *Si me diligeretis, gauderetis utiq;* Et D. Petrum ipſe rogat: *Simon amas me?* ut amandi quaſi neceſſitatem nobis imponere voluiſſe videatur.

Chriſtus timorem à nobis procul habet.

Nec amorem tantum ſuum Chriſtus nobis oſtendere ac probare, ſed etiam animos noſtros omni metu liberare voluit. Pro eo enim quod ſemel dixerat, *Timete*, illud *Nolite timere*, in Evangelio aliquoties repetit. Vult enim Chriſtus, ut amore ipſum ſequamur, non vero ex timore ei ſerviamus. Quod ſi timeri voluiſſet, Petrum nõ interrogaſſet, *Petre, amas me?* Sed *Petre times me?* Ex quo patet, Chriſtum non ſervos formidoloſos, ſed dilectos filios è nobis facere voluiſſe, utpote non ex Agar ancilla, ſed ex Sara libera natos. Athenienſibus Solon, Prometheus Ægyptiis, Lycurgus Lacedæmoniis, Numa Pompilius Romanis, Chriſtus Chriſtianis leges dedit. at hæc iſtarũ legum differentia eſt, quod illæ transgreſſores caſtigari, mutilari, proſcribi, necari jubent; Chriſtiana vero lex illud unum præcipit, ut invicem nos diligamus, & inimicis ignoſcamus: ut bonus Chriſtianus nullo alio ſigno quam dilectionis & Charitatis abundantia dignoſci poſſit. *Ignis ante ipſum præcedet*, & inflammabit *in circuitu inimicos ejus*, inquit regius Propheta, de Chriſti adventu loquens, quaſi diceret: Tum quidem, ô Synagoga, Meſſiam à me miſſum agnoſces, quando amoris Igne omnia plena cernes: adeo ut quacumque greſſum ille fecerit, omnia amoris igne arſura. & quæcumque arſerint, rurſus germinatura ſint. Quum ergo Chriſtus Dominus noſter dicat, ſe ideo veniſſe in Mundum, ut ignem (Amoris ſcilicet) ſecum afferret, quumque Propheta Abdias domum Dei, domum amoris nuncupet; David etiam teſtetur, in Chriſto, cum Chriſto, & apud Chriſtum omnia plena Amoris fore: recte ſane dixero numquam fuiſſe majorem in univerſo Mundo amatorem quàm ipſum Chriſtũ. Et profecto, longe aſperiorem legem ſibi imponit, qui amatorum quàm qui Carthuſianorum ordini ſe adjungit. Verbis quidem illis, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, Angeli, orbes cœleſtes, ſtellæ, homines, omnes denique res & creaturæ comprehenduntur præter Deum & Amorem, qui nullum principium habuerunt.

Exod. 22

De gloria Dei S. Scriptura ſic loquitur: *Erat ſpecies gloria Domini quaſi ignis ardens.* At vero quid ille ignis aliud fuit, quam Ignis divinæ charitatis? qui etſi in Veteri Teſtamento non tam clare eniruerit: in Novo tamen abundantiſſime erupit, ac claritatem ſuam oſtendit.

Atque hic magno illud nobis ſolatio eſſe debet, quod tota Dei facies, & omnia unigeniti ipſius filii verba nihil aliud quam merum amorem ſpirant, tum etiam Chriſtiana lex mera charitate conſtat, nec quidquam à nobis quam Charitas exigitur. Quis ergo non ſibi quoque divinum amorem polliceatur? quis dubitet in amoris hoc regno nullum iræ aut odio locum relictum iri? Nemo miretur, quod dico, Amorem principio carere, & cum ipſo Deo ab æterno fuiſſe, immo illum unum eſſe Dei gloriam. Nam ſi quis filio Amorem detrahat, quomodo Verbum illud à Patre generabitur? quomodo Spiritus ſanctus ab utroque procedet? Credimus ergo, dum ſeipſum Deus diligit, Filium generari, & dum Filius patrem diligit, Spiritum ſanctum produci, dum denique Spiritus S. tam Patrem quam Filium diligit, tam illam eſſentiæ unitatem quam perſonarum diſtinctionem exſiſtere. In ſumma, quanto altius in myſteria hæc inquiremus, tanto majorem Amoris vim deprehendemus. Neque enim in divino tantum, ſed humano etiam amore multo majus eſt id quod corde concluditur, quam quod à lingua profertur.

Inter alia Moyſes jam ſenex populo bene precaturus hæc quoque verba uſurpaſſe legitur: *Dominus apparuit de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia, & ignea lex in dextera ejus.* quaſi diceret: Quum poſt egreſſum noſtrum ex Ægypto Dominus mihi ſecundum, in monte Pharan, apparuiſſet, vidi eum multis ſanctorum millibus cinctum, vidi etiam legem in manibus eis, inſtar flammæ ardentem: cujus luce omnes gentes illuminavit, & calore Charitatis accendit. Per dexteram Dei in S. Scriptura proximus Deo locus intelligitur. Quando ergo dicimus, Chriſtum ad Dei Patris dexteram ſedere, ſignificamus, humanam Verbi Naturam ſummũ divinæ gloriæ locum occupaſſe. Equidem legem illam quam Moyſes igne ardentem in dextera Dei conſpexit, nihil aliud fuiſſe puto quàm divinum Amorem. Et notandum hic eſt, legem illam non juxta Deum, nec ac latera Dei, ſed in ipſa Dei dextera fuiſſe collocatam, id eſt, unam & eandem obtinere gloriam & Majeſtatem. Nã

Deut. 33

Dextera Dei quid.

vere ac ſine ullo ſcrupulo dicere poſſumus, Amor Dei nihil aliud eſt quàm ipſe Deus. Quando ergo S. Scriptura dicit, *Deum* legem in dextera ſua habere, illud nobis ſignificat, nullas leges quæ in Deo fundatæ non ſunt, nec à Deo égrediuntur, aut ad eundem diriguntur, conſiſtere, aut ullam nobis veram utilitatem præbere poſſe. Quidquid enim non ad divini Verbi normam, ſed humani intellectus obruſſam dirigitur, nec Deo placet, nec ab hominibus obſervatur.

Illud quoque ſilentio prætereundum non eſt, quod Moyſes in dextera Dei Unam tantum legem ardentem vidit. Quo ſignificatur, Deum nulli omnino legi quam Amoris ſubjectum eſſe: quæ, ut ita dicam, totam ſupercœleſtem illam Trinitatem moderatur. Quia vero alicui in his rebus minus verſato durius aliquanto dictum videri poſſet, eſſe ſcilicet aliquid quod nō modo Deo æquale ſit, ſed etiam totam divinam illam eſſentiam regat ac velut contineat: age, aliquid amplius addam; quamvis non ignorem, eam eſſe divinorum myſteriorum rationem, ut facilius credi quàm explicari poſſint.

Deus cui legi ſubjectus.

Primo igitur ſciendum eſt, omnem Legem aut Naturalem eſſe, aut Poſitivam. Poſitivæ leges ſunt quæ à Regibus, Principibus, aut aliis magiſtratibus feruntur, & obſervandæ præſcribuntur. Naturalis lex eſt, quam ipſa Natura animis noſtris inſcripſit, cum qua etiam naſcimur, vivimus, & morimur. Et hujus quidem fundamentū eſt ipſa ratio; illius, opinio. Poſitiva lex quia humana, & ab hominibus lata eſt, neceſſe eſt ut legatur, audiatur, explicetur, & intelligatur; Naturalis autē, quia divina quodammodo, & ab ipſa ratione animis noſtris impreſſa eſt, nec ut legatur vel audiatur opus eſt, ſed tantū ut facto ipſo impleatur. Ad officii enim ſui rationes cognoſcendas cuilibet rectæ Rationis dictamen ſatis eſt; Poſitiva lex diutius non obligat, quam quæad ei à quo lata eſt, viſum fuerit: at Naturalis æternū durat atq; omnes obligat; ut neque cui data eſt eā transgredi; nec a quo lata eſt, quidquā in ea mutare poſſit aut debeat. Harum legū utraq; apud Deum quoq; reperitur. Ac primū lex poſitiva, qua ille Angelos, elementa, & homines regit ac cōſtringit, tamquā Dominus quæ viſum fuerit mutans, ac liberrime omnia diſponens: quū ſicut unico verbo omnia ex nihilo creavit, ita unico quoq; verbo deſtruere ac perdere omnia poſſit. Naturalis lex in Deo multum differt ab ea quæ in hominibus reperitur: ut quæ in Deo non ab eo, quod voluntatem, ſed quod divinā vocamus intelligentiā, dependeat: qua ille res omnes perfectiſſime comprehendit ac judicat. Et hæc quidem intelligentia tantæ eſt perfectionis, ut in judicando errare nullo modo poſſit: adeo ut lex Naturalis in Deo nihil aliud ſit quàm ipſe divinus Intellectus. Et hæc quidem lex naturalis ſeu divina fundatur in eo quod in Deo proprietates, in beatisſima vero Trinitate, Attributa appellamus: cū quo divino jure etiā divina Voluntas ſe conformat. Et hoc vinculū unitatis tam arctum eſt, ut inter intellectum & voluntatem divinum nulla ſit differentia. Sed hæc nimis fortaſſe alte ex ipſis Theologiæ penetralibus petita, miſſa porro faciamus: illud tamen unū addamus, Deum Optim. Maxim. quemadmodum lege poſitiva creaturas omnes gubernat ac moderatur; ſic Naturali illa ſeipſū quaſi regere. Quod ſic intelligendum eſt, in divina eſſentia idē eſſe & id quod regit, & quod regitur. Quandoquidem ergo hactenus oſtendi, Legem Amoris in Deo illam ipſam eſſe Naturalem legem, hanc vero nihil aliud eſſe quam ipſum divinum intellectum, divinam autem voluntatem ab hoc non differre, & hanc voluntatem ipſam eſſe Dei eſſentiam, Dei vero eſſentiām Amoris eſſe abyſſum: illud opinor, etiam liquet, Amorem Dei nihil aliud eſſe quam Deum ipſum.

Lex duplex.

Divina lex qualis.

Deum ipſum primam eſſe Amoris ſcaturiginem, fontem ac magiſtrum.

D*Omine oſtende mihi gratiam tuam. Cui Dominus dixit: Ego oſtendam tibi omne bonum.* Verba hæc inter Moyſen & Deum ſolos in monte Raphin commutata ſunt: quibus Moyſi magnum quid roganti Deus reſpondet, ſe omne bonum ipſi oſtenſurum, quum gloriam ipſius in hoc Mundo contemplari nemo ſuſtineat. Conſiderandum eſt, quod Deus Moyſi non dicit, Ego tibi partem aliquam meorum bonorum oſtendam: ſed: *Ego oſtendam tibi omne bonum.* At dicit *Oſtendam*: ut intelligamus, ſummum illud & æternum bonum neminem in hac vita poſſe conſequi, ſed illud in altera omnibus Sanctis & electis repoſitum aſſervari. Illud vero longe gravius nobis accidit, quod nec modum quo illud comparare debeamus, ſcimus; nec quidquam quo illud promereamur, habemus. Ea eſt enim naturæ noſtræ depravatio, ut mala

quæ

quæ quotidie facimus, bonis quæ cogitamus longe præponderent. Quum ergo ſummum bonum nihil aliud ſit quam Deus ipſe, fieri ſane non poteſt ut fruſtillatim veluti à Deo nobis detur. Atque hinc eſt, quod Deus ut ſe totum dat electis, ita etiam reprobis totum ſe negat. Sed & illud verbo *Oſtendam* innuitur, ſummam illam divinæ & humanæ Naturæ unionem in Verbo factam, Synagogæ per tranſennam velut atque obſcure viſam, Chriſtianæ vero Eccleſiæ penitus notam, atque ipſo uſu deguſtandam eſſe propoſitam. Et Judæi quidem Filium Dei oculis viderunt, verba ejus audiverunt, & cum ipſo converſati ſunt: ex quo tamen plerique nō modò nullū fructum, ſed graviſſimum etiā damnum, quod ſcilicet ſummum bonū ſibi oſtenſum contempſerint, ſenſerunt. Atqui multū profecto inter eſt inter id quod oſtenditur, & id quod datur. Vult quidē Deus ut omnes homines boni ſint, non tamen gratiā ſuam omnibus largitur, ut boni eſſe poſſint. Hinc in ſalvationis, ut ita dicam curriculo, impiis dicit: Hæc via eſt. Cavete vobis ne aberretis. Ad bonos vero & electos dicit: Vos mecum ite, aut, Ego vobiſcum ibo. Quare Jeſu benigniſſime, te ſuppliciter rogo atq; oro, ut bona tua nō mihi oſtendas tantum, ſed etiam greſſus meos omnes eo dirigas. Quia enim lippæ illius Liæ ſum filius, oculi mei ad ea quæ longe ſunt videnda debiles ſunt; quū cor ipſum ad te capiendū, ſatis ſit magnū. Quare oro ne mihi idē quod Eſavo eveniat, ut primogenituram meam pulte vendam, atque ita Jacobi benedictione priver.

Dei benignitas.

Porro quando Deus dicit, *Oſtendam tibi omne bonum meum*, nihil aliud eſt quam ſi diceret, Oſtendā tibi incredibilem meam benignitatem & munificentiam. Neque enim ullum majus eſt bonum quàm Dei benignitas & incredibilis liberalitas. Quid quod Deus nullā aliam ob cauſſam Filium ſuum in hunc Mundū mittere voluit, quam ut benignitatem ſuam & clementiam omnibus notam faceret: ſic ut illo ipſo quo Deus Filium ſuum dare nobis decrevit, omnes ſuos theſauros in nos effuderit. Hinc ipſe Chriſtus Patrē ſuum cæleſtem ſic alloquitur: *Pater manifeſtavi nomē tuum hominibus*, quo ſignificat, ſe præcipue ea quæ ad ſanctiſſimæ Trinitatis immenſā miſericordiā ac benignitatē hominibus manifeſtādā pertinent, protuliſſe. Ante incarnationem nāque Salvatoris ſola Dei omnipotentia hominibus nota erat: at ex Redemtione per Chriſtum facta, ſummum ejuſdem amorem erga hominum genus agnoverunt.

Quia ergo DEus nulla re magis gloriatur quàm miſericordia ſua & benignitate, ad eamq; manifeſtandā filium ſuum in hunc Mundum miſit: operæ precium erit, indicare, quid cauſſæ ſit cur Deus tanto amore erga nos afficiatur, & quibus modis eo ad ſalutem noſtrā uti debeamus. Is enim demū precioſus theſaurus eſt, cujus uſus non ignoratur. Sciendum ergo eſt, tam bonam ac benignam eſſe Dei benignitatem, ut nec importuna ſit in rejiciendo, nec moleſta in fugiendo, nec moroſa in ſatisfaciendo, nec gravis in patiendo, nec difficilis in retinendo. Neq; enim quidquā aliud requirit Deus, quā ut toto eum pectore amemus ac colamus. Nulla eſt perfecta benignitas, quæ non perfectum viciſſim amorē requirat, nec perfectus amor eſt, qui non perfectam deſideret voluntatem: nec perfecta eſt voluntas quæ non quàm optime velit collocari. Quum ergo in Deo non immenſa modo benignitas, ſed etiam infinitus ſit amor, & voluntas perfectiſſima: neque aliud à nobis exigat quam ut ipſum amemus: manifeſtū ſane eſt, Deum amori ſubjectum eſſe. Et quis eum Amoris legi ſubjectum eſſe neget, qui nihil aliud ſciat quàm amare, nihil aliud jubeat quàm amare, nihil aliud quærat quàm amare, neque alia re quàm amando occupetur: & quod plus, eodem amore quo ſe amat, me amet. Ac licet nonnumquam amor in nobis ceſſet, eo quod nihil mereamur: in Deo tamen idem numquam ceſſat, ut in quē meriti defectus non cadit.

Quanta & qualis ſit Dei benignitas.

Deus primus Amoris fons.

Neque vero ſatis eſt ut ſciamus, Deum cum Amore & Amorem cum Deo æquales partes facere, & idem velut ſymbolum uſurpare: ſed illud quoque nobis conſiderandū eſt, quod Deus ipſe ſe Amatorem, immo primum omnium in toto Mundo Amatorem eſſe teſtatur: ut qui Amori operam dant, ſciant quis primus Amoris ſit auctor. Quod ſi priſci Philoſophi magno ſtudio id inveſtigandū ſibi putarunt, qui non dico artium ac litterarum, ſed mallei, ſecuris, & aliorum mechanicorum inſtrumentorum primi fuerint inventores: multo ſane æquius eſt, ut quis primus Amoris ſit auctor, inquiramus. quū malleus ferrum, ſecuris lignum; Amor vero ipſum cor contundat ac ſcindat. Equidem à patre meo Adamo inobedientiam, à matre Eva gulam, à Caino fratre homicidium, à populo Iſraelitico idololatriam, à Davide adulterium,

Quid Mundo diſcamus. à Sennacherib blaſphemiam, à D. Petro lapſum ac ploratum, à te vero, ô bone Jeſu, Amorem didici ac hauſi, quo mediante ex Deo te hominem, me ex homine Deum feciſti. Quales ſcholæ ſunt, tales etiam ſcientiæ & artes ſunt quæ ibi diſcuntur. De me ego fateor, me in ſchola Mundi nihil quàm ſtultitiam, in ſchola diaboli nihil quàm invidiam, in ſchola Carnis nihil quàm laſciviam in ſchola hominum nihil quam odium, at in ſolius Dei ſchola Amorem didiciſſe. Ex quo rectè inferri poteſt, quum in Dei noſtri ſchola tam caſtus ſit amor qui in ea docetur, turpiſſimum fore auditoribus ejusdem expertes eſſe.

Quos diligat Deus. *Ego diligentes me diligo & qui mane vigilant ad me, invenient me.* His verbis Dominus omnes creaturas alloquitur, quaſi dicat: Amo eos qui me amant, quæro eos qui me quærunt, do me eis qui ſe mihi dant; neque quiſquam in amore me prævertere poteſt, quantũvis mane ſurgat. In Amore enim tam conſtans, in viſitando quos amo tam ſedulus ſum, ut noctu ad fores ipſorum, per noctem, & mane in cordibus ipſorum exſurgam. O verba inaudita ô inuſitatum amorem, his verbis à Domino Jeſu nobis depictum! ut qui nos amet antequam nos ipſum amemus; & nos quærat antequam nos ipſum quæramus. Nos quidem homines prius amare non poſſumus quam nati ſimus: at Deus amare nos feſtinat, etiam nondum natos. Vere dixiſti Domine: Qui mane vigilant ad me, invenient me. Nam ſi roget te quis, quid feceris antequam Mundum condidiſti? reſpondebis te Amaſſe: ſi roget, quid te ad creandum Mundum impulerit? reſpondebis, Amor: ſi roget, quid nunc facias? reſpondebis te Amare: ac ſi quis hoc ipſum roget, quid ames, reſpondebis, Amorem: ſic ut ante auroram Te; cum aurora vero exoriente Me ames. O bone Jeſu, ô animæ meæ ſolarium! quantum differt Amor meus à tuo! Tu enim tamquam ſollicitus amator, mane properas ad me amandum; ego vero ut aſſiduus peccator, in multam noctem vigilo ad te offendendum: ſic ut tu velut Deus, amare me non ceſſes: ego ut homo, peccare non deſiſtam.

Apud Deum omnia poteſt Amor.

Veri Amatoris proprium eſt, ut neque oculis quietem noctu videat, neque ſurgentem auroram in lectulo exſpectet, ſed cum excitante ſe vigilet, & cum cujus cauſſa vigilat, excitet. Sic quoque nos homines Deo à pueritiæ noſtræ aurora ſervire debemus incipere, nec in ipſo quidem ſenectutis velut nocte deſinere, immo multo magis Deum amare. Cerei enim jam pæne combuſti clarior lux eſt, quam modo accenſi. Solus Deus dicit: *Qui mane vigilant ad me, invenient me.* Quibus verbis hortatur omnes cum ipſo negociantes, ut mane veniant: contrario ſane more quàm in Principum aulis fieri ſolet, ubi portæ non niſi multo jam die aperiuntur, ac ſero admodum quibus negocii aliquid eſt, admittuntur. Ex quo patet, multo melius illis negotiationem ſuccedere, qui Chriſtum ubi vix è cunis prorepſerunt, quærere ſtatim incipiunt, quam qui tum demum ad Deum ſe convertunt, quum jam alterum pedem in ſepulchro habent. Magnum hoc ſolatium piis, & magnus terror impiis eſſe debet, quod Deus dicit, Eis qui ipſi ſerviant, mane antequam aurora illuceſcat, uſque in multam noctem cœlorum portas patere: quum eædem à tarde venientibus fruſtra pulſentur. Mane Deus Lothum è Sodoma eduxit: Mane Deus Manna cœleſte in deſerto de cœlo pluit: Mane holocauſta in templo incendebantur: Mane corvi Heliæ cibum afferebant: Mane Sacerdotes in templum inrroibant: Mane Judæi in vineam à magno illo patrefamilias ad laborem conducti ſunt: Mane tres Mariæ ad ſepulcrum Domini profectæ ſunt: Mane denique omnibus quærentibus ſe Dominus fruendum præbet. *Deus, Deus meus ad te de luce vigilo*, inquit regius Propheta, quaſi dicat: Ex quo natus ſum, ô Deus, tibi ſervio: & à puero te quæro. At ego miſer peccator quid dicam? Hoc ſcilicet, Deus, Deus meus, ab initio tibi peccavi, & adhuc pecco. Ex quo enim à te creatus ſum, offendere te nõ deſii: ex quo cogitare ac ſapere cœpi, tibi reluctatus ſum: ſic ut nullus dies ſit, quo nõ gratiã aliquã à te accipiã, & nulla hora, qua nõ delictu in te committã. O Deus meus, nõ ſum ego, non ſum ego qui mane ad te vigilet, ſed qui mane tibi peccet. Si enim mane ſurgam, negocia me excitant: ſi ſomnũ abrumpã, curæ & moleſtiæ interpellant: & quod peſſimũ eſt, ut Mundo ſatisfaciã, nec die nec nocte quieſco, ut vero tibi ſerviã, ne horã quidẽ quieti demo. Fateor equidẽ o Deus, quod nõ ad te de luce vigilo, nec ſervitio tuo ut debeo, incũbo nihilominus tamẽ quũ Chriſtianus natus ſim, tuus profecto ſum: quod ſi tuus ſum, cur me delertũ ac perditum pateris? Tu, inquam, qui unumquemque vel minimum Chriſtianorum tam ardenter amas, ac ſi unus tantum eſſet in toto Mundo.

Mane Deus quærendus.

Deprecatio peccatoris.

PRO-

PROSEQVITVR INSTITVTVM SERMONEM *Auctor, ſuadens ut nemo merita ſua Deo, ſed Amorem tantum offerat.*

Lazarus Chriſto amatus.

ECCE *quem amas infirmatur*, &c. Erat Lazarus ex nobiliſſima inter Judæos familia prognatus, frater Mariæ ac Marthæ, & occultus Jeſu Chriſti diſcipulus: qui quum ægrotaret, ſorores nuncium ac litteras ad Jeſum miſerunt, quibus hæc verba præſcripta erant: *Ecce quem amas infirmatur.* quaſi dicerent: Nos tui amantiſſimę ſorores tibi noſtri amantiſſimo nunciamus, eum quem tu tantopere ames, male habere: ſollicite interim exſpectantes, quid tam ipſius quàm noſtri cauſſa facturus ſis. Quid ergo fecit CHRISTUS? Non ſine multis incommodis, atque adeo cum vitæ periculo iter ingreditur, triſtes illas ſorores conſolaturus, mortuum primum deploraturus, ac deinde inaudito miraculo reſuſcitaturus. Quamvis enim tũ Phariſæos ac omnes fere Judæos vitæ ſuæ inſidiari, Apoſtolos vero ac diſcipulos vehementi metu perculſos eſſe non ignoraret: tamen ubi dulciſſima illa verba, *Ecce quem amas*, legit, ſtatim contemtis omnibus periculis, in viam ſe dedit, ipſo Amore alas velut addente. Qualis, hæc, Deum immortalem, epiſtola eſt, quam pluſquã, Laconica brevitate concepta! quæ tota his verbis abſolvitur: *Ecce quem amas infirmatur.* Ex quo monemur, ad Dei implorandum atque impetrandum auxilium non opus eſſe ullo verborum apparatu, aut aliis blanditiis, ſed uno Amore. Veri enim Amatores plura cogitare ac divinare quàm loqui debent. Quanto vero Amor ille quo Chriſtus nos complectitur, pretioſior eſt illo quo nos eum complectimur! Id mulierum iſtarum docet exemplum, quæ Chriſto in memoriam revocant non quantopere tam ipſæ quam Lazarus ipſum amarint, ſed quantopere ipſe Lazarum amarit. Non dicunt, *Ecce qui te amant*: ſed, *Ecce quem amas.* Niſi enim Dominus bilanci de ſuo Amore aliquid ponderis adderet, nunquam divini auxilii gratia ad nos inclinaret: quam Amor noſter quavis tipula ſit levior.

Amoris efficacia.

Amor non exprobrandus.

Solent vani ac mundani Amatores alter alteri Amorem à ſe præſtitum exprobrare. Id vero a Dei ſervis alieniſſimum eſſe oportet: qui petitionis ſuæ fundamentum non in ſuo, ſed in Chriſti amore ponere debent. Tam enim alta ac perfecta divini Amoris lex eſt, ut hic quidem aliquo modo diſci, at in altera demum vita impleri poſſit. *Facti ſumus, ut immundi, & juſtitia noſtra menſtruata ſunt*, inquit Eſaias cap. LXIV. de peccatorum multitudine & meritorum paucitate loquens, quaſi diceret. Tam ego quam ceteri omnes peccatis ad ſummum uſque ſumus contaminati, quod ſi quæ bona noſtra opera appareant, ea ad divinæ juſtitiæ puritatem examinata, quovis cœno aut quacumque alia re ſordidiora videbuntur. Eodem enim amore, quo Deum amo, amo filium meum, amicum, atque adeo amicam: non aliter ac ſi in una eademque forma ſeu modulo aureos ac luteos globos ſimul velimus fundere atq; efformare. At longe alia ejus Amoris quo Deus nos complectitur eſt natura. Eodem enim amore quo ſe amat, nos quoque amat. Quum enim unus ſit, non diviſus, amor quoque ipſius unus eſt, non diviſus: quamvis idem alium magis, alium minus diligat. Quod ſi cum Deo rationes ponere velimus, aut is ad rationes reddendas nos vocet, ſumma noſtra erit cautio, ne ſervitia quæ ipſi forte præſtitimus, aut merita, ſed unum Amorem, quo nos ipſe complexus eſt, in conſpectum ejus adducamus: quum unius diei beneficio, totius noſtræ vitæ ſtipendium exſolvere nobis poſſit. *Eme à me aurum ignitum, ut locuples fias*, inquit D. Johannes in Apocalypſi ad Epiſcopum Laodicenſem. *Apoc. c. 3* Quid tu, quid dicis, Domine? Dicis alibi: niſi quis relictis omnibus te ſequatur, diſcipulum tuum eſſe non poſſe: hic vero ignitum aurum nos à te emere jubes. Cur vero aurum? cur ignitũ? Cur à te? An tuum aurum tam vile tibi eſt, ut id vænale hominibus proponas? Cur certum precium non dicis? Cur non exſpectas, dum emtores id à te petant? Cur ultro offers? Equidem video, Domine, te mecum non ut cum ſervo dominum, ſed ſponſum cum ſponſa, & ut fratrem cum fratre loqui. Quemadmodum enim omnium rerum nihil eſt auro carius atque acceptius, ſic ex omnibus virtutibus cor hominis in nulla re magis acquieſcit quam in ſolo Amore, præ quo ſolo, cetera omnia ne pili quidẽ facit. Nulla ſane quæ ſub ſole ſit cum re aptius comparari Amor potuit quàm cum auro. Ut enim nihil eſt quantumcumq; pretioſum, quod auro comparari queat; ſic nihil tam difficile

eſt, quod amore perfici non poſſit. Ex quo fit, ut cor amore captum tum demum quiete ſibi frui videatur, quando ejus cauſſa quem amat defatigatur. Qui imperium detrectat, aut petitionem eludit, non pro amatore, ſed pro deceptore habendus eſt: neque ego cor ei ex auro, ſex ex luto eſſe dixerim. In amoris enim domo nemo petenti aliquid denegat, neque obmurmurat mandanti. O quantum Dei dominum eſt, cor ex auro ignito! O infelices, quibus cor eſt arenôſum ac frigidum. De quibus Propheta: *Cor eorum vanum eſt.* Eſt enim Cor inſtar fornacis, in qua omnia deſideria noſtra ac cupiditates coquuntur, & omnes labores ac moleſtiæ contunduntur ac conſumuntur.

Illud vero notandum eſt, quod Deus non aurum ſimpliciter, ſed *Ignitum aurum* venale nobis proponit. Quo innuit, quam primum divinus Amor in cordibus noſtris exarſerit, ſemper nos orare, ſemper ad Deum ſuſpirare, ſemper amare. Ea enim eſt divini amoris vis ac natura, ut ex ea quam ſemel occupavit anima omne frigus, omnem deſidiam, omnem malitiam expellat. *Aurum ignitum* divinus certe eſt amor: cujus clariſſima luce intellectus noſter illuminatur, cujus ardore voluntas accenditur, cujus flammis pravæ cupiditates exuruntur, cujus denique vi omnia velut animi noſtri viſcera purgantur. Hujus ignis calore electi recreantur, reprobi vero tamquam fumo ſuffocantur. Non eſt, non eſt aurum ignitum amor hominũ mundum amantium: ut qui urit quidem, ſed non calefacit, dolorem affert, non recreat, conſumit, ſed non purificat, alterat, non ſanat, ac tandem inevitabili exitio miſerum hominem involvit. Aurum illud quod in hominum officinis proſtat, non aurum eſt, ſed ſcoria, non aurũ eſt ſed plumbum, non aurum eſt ſed lutum, cœnũ, ſtercus. Qui enim Mundi amore maxime occupantur, in peccatorum ſordibus omnium profundiſſime ſunt demerſi. DEI vero amor non aurum modo eſt ignitum, ſed aurum approbatum, & quidem approbatũ ſeptuplum. Auri hujus probatio facta eſt in cruce Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, in martyrio S. Petri, in gladio S. Pauli, in cultro S. Bartholomæi, in lapidibus S. Stephani, in crate & prunis S Laurentii, in rota S. Catharinæ. qui omnes & alii innumeri tã exquiſita tormẽta & inauditos cruciatus ſuſtinuerũt, ut amorẽ ſuum erga Chriſtum teſtatũ facerent: cujus mutuo amore ſuffulti, tãtis doloribus nõ ſuccubuerunt. Quis hanc certiſſimam magni amoris probationem eſſe neget? Quando ſanct Apoſtoli *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*, non obſcuris ſignis Dei amorem in pectoribus ſuis accenſum ac probatum declararunt: ut qui lætiores ad carnificinam & ſupplicia, quam Reges ad coronam ſuſcipiendam properarint. Quando S. Paulus ſcripſit, *Ego vinctus in Domino*, in intimis cordis viſceribus Chriſti amorem defixum habuit: adeo ut nullus umquam Rex corona quam capite, quam compedibus S. Paullus quos pedibus geſtabat, magis gloriatus ſit.

De Mundi amore verius dixeris reprobatum eſſe quam approbatum, quum vix quiſquam alterum amet, niſi commodi alicujus aut voluptatis cauſſa: ſicut ſervi Dei ament plus quàm poſſunt, homines mundani minus quàm præ ſe ferunt. Minus amat, qui utilitatis cauſſa aliquem amat: quem amorem merito non approbatum, ſed reprobatum eſſe diximus: ſiquidem non amat eum qui habet, ſed id quod habet. In ſola ergo Dei domo approbatum illud aurum invenitur: quum Deus non ob id quod valemus, aut id quod habemus nos amet. Nam ſi cum Deo in amore quaſi paria facere velimus, omnibus totius Mundi meritis ne minima quidem divina amoris erga unum etiam Chriſtianum pars redimi aut compenſari poſſet.

Illud quoque conſideratione dignum eſt, quod Deus non dicit, *Eme ab alio*, ſed *Eme à me aurum ignitum*: innuens, à ſe uno gratiam Deum amandi, eique ſerviendi proficiſci. Neque vero gratis eam nobis promittit, ſed *Emere* nos jubet: ut eam tanto majoris faciamus. Sed nec magnum precium nobis ponit, ut tanto facilius alliciamur; nec certum aut definitum, ut qui circumſcribi ullo precio nequeat. Unicum vero precium illud eſt, ut viciſſim eũ amemus. Quoniam vero amor noſter tam cæcus ac Mundi vanitatibus eſt occupatus, putare non debes, parũ eſſe quod Deus à te petit, ut totum cor & amorem tuum ipſi tradas. Quum enim ipſe non niſi rem ſacram ac cœleſtem, amorem nobis vendat, pati ſane nullo modo poteſt, ut fictum nos ac vitioſum amorem ſibi rependamus.

O benigniſſime Domine Jeſu! tu quum Amor ipſe ſis, quomodo alium Amorem quæris? *Auctoris obteſtatio.*
At cur aut quomodo vis ut te amem, niſi me quomodo amare debeam doceas? Da mihi, Do-

mine,

mine, quod vis; impera, quod vis: largire modo ut te amem, Id quidem in viribus meis poſitum non eſt, Quare à te peto ut quod mihi deeſt, tua ſuppleat benignitas. Tu dixiſti, neminem tuum eſſe niſi quos Pater tibi dederit. Quia ergo Amor tuus nullo alio precio redimi poteſt quam amore tui: ſtat mihi ſententia nihil poſthac amare, nihil deſiderare quã te unum. Neque enim acerbior mihi mors poſſet contingere, quam ſi ſpiritus meus gratia tua deſtituatur. *Memento quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Quum ergo, o Domine, è luto & pulvere me feceris, egoque rurſus in pulverem ſim convertendus; quanam ego ratione amorem tuum aureum compenſare poſſim, quam luteo meo atque imperfecto amore? Hic cum S. Auguſtino exclamare mihi libet. *O bone Ieſu, O dulcedo animæ meæ? Amor mei ducit me uſque ad contemtum tui. & amor tui uſque ad contemtum mei.* Vere, inquam, qui ſe amat, te contemnit. Neque enim Mundum ſimul & Deum amare quis poteſt. Et quoniam Amans non in ſeipſo, ſed in eo quod amat, vivit: da ut vere cum D. Apoſtolo dicere poſſim: *Vivo ego, ſed jam non ego, ſed vivit in me Chriſtus.* Tam tener eſt namque tui amor, ut cum nulla alia cujuſcumque extraneæ rei amore copulari queat. Quare ſi me amem, tibi mortuus ſim; ſin vero te amem, mihique moriar, tum demum vere incipiam vivere. Da ut cor meum tui unius amore flagrans, nullum ſuiipſius ſenſum habeat, de ſe numquam cogitet, ſe non amet, ſe non deſideret; ſed quaſi extra ſe poſitum ac domi peregrinans, immò ab omni ſui converſatione alienum, in tui unius amore conquieſcat. Numquam tu in Apoſtoli cor immigraſſes, ſi ille non ab ſeipſo exiiſſet, ſi non ſibiipſi prius fuiſſet mortuus. Da mihi aurum ignitum, id eſt, cor purum, amore tui flagrans: da mihi precium quo illud à te emam, precium ſcilicet illud precioſum ſanguinis tui, quo me redemiſti, &c.

Ad
ANTONIUM MENDOZAM, INDIÆ Proregem,
EPISTOLA.

In qua de annulorum inventione & uſu multa non minus eleganter quam utiliter diſſeruntur.

GOnſalvus Fernandes litteras mihi à te reddidit, nequaquam illas recentes quidem, ut quæ in novo illo Mundo, ubi tu pro Rege noſtro imperiũ adminiſtras, ad me, qui in vetere hoc Chriſti Evangeliũ hominibus annuncio, vix octo menſibus perlatæ ſunt, nihilo tamẽ, immo multo magis gratiores: quamvis earũ argumentũm nõ parum ſim admiratus. Annulorum enim hiſtoriã à me explicatã cupis: in quo quidẽ ſuſpicor, id nõ tam ut aliquid à me diſcas, quam ut imperitiæ meæ periculum facias, à te fieri. *Modeſtia auctoris* Utut vero res ſeſe habeat, quum magnum oportet ſit quod tibi negẽ, quæcumq; ea de re mihi comperta ſunt, pro mei ingenii & doctrinæ tenuitate, craſſa, quod dicitur Minerva explicabo; hac tamen conditione, ut ſi ex epiſtola libellus mihi ſub manu veluti naſcatur, prolixitati meæ ignoſcas.

Annulorum uſus facilis. Inter omnia quæ humana induſtria & ſollertia, vel ut verius dicã, vanitas, invenit ornamenta, annulorum uſus quum pulcritudine tum ſubtilitate nullis cedit. Nam præterquam quod formam inter omnes perfectiſſimam, rotundã nempe, habent, etiam minus operoſus ac perfacilis eſt hujus ornamenti uſus, ut quod vel minimo digito geſtari poſſit Accedit ad hoc materiæ præſtantia, quum ex nobiliſſimo metallorum, auro nimirum, & auro precioſioribus gemmis conficiantur. Atque hic vide humanam vanitatem & ambitionem, eo progreſſam ut ſæpe quis non dico oppidi aut dominii, ſed integræ regionis precium, ſine ullo impedimẽto aut moleſtia, in minimo digitorum portet: ad nullam fere aliam rem, quam ad delectandos oculos & oſtentandas divitias comparatum.

Quis annulos primus invenerit. De prima Annulorum inventione & uſu ex hiſtoriis certi nihil ſtatuere poſſumus. Fabulantur quidem Poetæ, Herculem Prometheo à Jove Caucaſo ferrea catena alligato, a ſe vero liberato,

Regum III. Jeſabel litteras quibus Nabothus occidi jubebatur, annulo obſignaſſe legitur. Et Danielis cap. VI. rex Darius lapidem, qui ad oſtium lacus leonum, in quem Daniel conjectus fuerat, annulo ſuo & annulo optimatum ſuorũ obſignavit.

Gemma annuli. Porro huic obſignandi uſui gemma potiſſimum, cui certa figura inſculpta erat, inſerviebat. Hinc Poeta:

Agnoſco manum gemmamque fidelem.

De Polycratis annulo hiſtoria. Hinc veteres, imprimis vero Reges & magnates præſtantiſſimas ad hanc rem gemmas conquirebant. De Polycrate Samiorum Tyranno legimus, tanta eum omnibus in rebus uſum fuiſſe felicitate, ut nihil umquam adverſi ei acciderit, ſed ad nutum omnia fluetent ac ſuccederent: Is fortunæ blanditiis diffidens, ac humanæ conditionis memor, quæ talis eſt, ut non magis ſine adverſitate quam mare ſine fluctu eſſe poſſit, quod fortunam detrectantem videbat, ex Amaſis regis Ægyptio conſilio ſibiipſi infortunium aliquod conſciſcere ſtatuit, ratus ſe hoc modo fortunæ placaturum invidiam; eoque annulum ingẽtis precij, quo ad obſignandũ uti ſolebat, in altum mare abiecit. Non multo pōſt piſcis in eodem mari capitur, & ob raritatem ad Polycratem defertur: in quo exenterato ac diſſecto, ipſe ille annulus fuit repertus. Quamvis autem pleriqque ob hoc etiam Polycratis fortunam prędicarent, Amaſis tamen, re intellecta, amicitiam & fœdus cum eo diſcidit, exiſtimans fieri non poſſe, quin tam proſpera fortuna tandem in magnum malum adeoque deteſtabile exitium Polycrati, amicis vero in luctum verſura ſit. Quod & non multo poſt factum eſt, Polycrate ab Oronte Darij Regis duce capto, & in cruce ſuſpenſo, in qua fortunatus ille Rex miſerabiliter computruit. Accidiſſe hoc anno ab V.C. ducenteſimo Plinius ſcribit, eumque annulum Romæ poſtea in æde Concordiæ aſſervatum, & exteris Legatis commonſtratum eſſe. Quod ego exemplum hoc loco citare volui, non tam ad ſententiam meam confirmandam, quam ad fortunæ demõſtrandam inconſtantiam.

Alexandri M. ſigillum. Alexandrum Magnum ejuſmodi quoque annulo uſum inde conſtat, quod quum Ephæſtioni litteras legendas dediſſet, eis perlectis, annulum digito ſuo detractum ori ipſius admovit, admonens ſcilicet, ut quæ legiſſent ſecreto apud ſe contineret.

Oct. aug. Octavius Auguſtus Sphingis imagine in obſignandis litteris uti erat ſolitus: quam poſtea quum maligne quoſdam interpretari Sphingem hanc animadverteret (Sphinx enim monſtrum fuiſſe Poetæ perhibent, quod tranſeũtibus ænigma aliquod proponebat, eos vero qui ſolvere id non poſſent, occidebat) in Alexandri Magni imaginem commutavit. Sic & ejuſdem Octavij imagine ſequentes Cæſares pro ſigillo uſi ſunt.

Mecenatis. Mæcenatem intimum Octavij Auguſti amicum, Rana pro ſigillo uſum Plinius auctor eſt, Unde Romanorum iocus, Mæcenatis Ranam (quod tamen maxime formidoloſum eſt animalculum) valde ſibi formidabilem eſſe dicentium. Hoc enim ſigno vectigalia ac redituum penſiones obſignabantur. Pompeij Magni ſigillum Leonis imaginem præferebat. Conſtat ſane, *Pompeij M.* annulum & ſigillum Bochi regis cruento illi bello inter Marium & Syllam cauſſam dediſſe; ut & alteri inter Druſum & Scipionem: quæ enarrare hoc loco nihil attinet. Republica Romanorum à Cæſaribus ſive Imperatoribus occupata, multi non ſine adulationis probro, eorum imaginibus in obſignando uſi ſunt. Ex quibus omnibus patet, annulorum in obſignatione uſum quum varium tum antiquum valde eſſe.

Annuli ad ornatum. Nec vero ad uſum tantum, ſed ornatum etiam annuli & olim fuere adhibiti. Judithem illam videamus, quæ, ut loquitur S. Scriptura, exuit ſe veſtimentis viduitatis ſuæ, aſſumſitque dextraliola & lilia, & inaures, *& annulos*, & omnibus ornamentis ornavit ſe. Romanos omnes dignitos præter pollicem & medium, annulis exornare ſolitos legimus. Cauſſas hic explicare pudoris mei non eſt. Aſia à Pompeio ſubjugata annulorum uſus apud Romanos ita fuit pervulgatus, ut hyberno tempore aliis, aliis æſtivo, nempe ſubtilioribus, uſi fuerint, adeoque ſingularibus nominibus ſingulorum digitorum annulos indigetarint. Quinetiam nõnulli ternos uni digito inſerebant. Graviſſimus tamen ac modeſtiſſimus quiſque non niſi unum geſtabat, cujus tamen gemma plurimorum precium vincebat. Pyrrhus *Pyrrhi annulus.* Epirotarum Rex annulum geſtaſſe dicitur, cui gemma admirabilis fuerit inſerta, ut in qua novem Muſarum & Apollinis citharœdi, non ab arte, ſed ipſa Natura certis lineamentis adumbratæ imagines viſebantur. Quæ fabula videri poſſet, niſi a Plinio & aliis fide dignis auctoribus pro re veriſſima eſſet prodita. Quamvis id fieri poſſe, ne Philoſophi quidem negent, ludentre nimirum in variis illis velut colorum nubibus Natura.

tura. Sed & experientia teſtatur, à corporum cœleſtium & planetarum influentia mirabiles effectus in ſublunari iſta materia produci ſic ut feminæ horribiles beſtias aliaque monſtra nonnũquam enixæ ſint. Albertus Magnus Coloniæ Agrippinæ inter trium Regum, quorum corpora ibi aſſervantur, donaria, lapidem à ſe viſum affirmat, in quo duorum hominum facies,& utriuſque capitibus inſidens teſtudo, non arte, ſed ab ipſa Natura fuerint expreſſæ. HæcNaturæ miracula Leonardus Camillus ſingulari libello fuſe perſequitur, teſtatus inter alia Agatem ſe vidiſſe in quo ſeptem arborum non aliter quam pictoris manu, eadem forma expreſſæ ac concinnè inter ſe diſpoſitæ imagines, à Natura fuerint repreſentatæ. Equidem ipſe quum marmora aliquot,tum Jaſpidem vidi, in quibus ex variorum colorum & lineamentorum concurſu, variæ variarum rerũ imagines, obſcure alibi,alibi dilucide repræſentari videbantur: ut Pyrrhi ille lapis non tam miraculoſus haberi debeat.

Naturæ ludentis miracula.

Gygis annulus.

Sed ex omnibus maxime mirabilis eſt Gygis annulus (Midam hunc Plinius facit,ſed forte aut librorum,aut memoriæ vitio) vel potius,ut verius dicam,fabuloſus. Huic aiunt gemmam inſertam fuiſſe, quam quum intra volam abſcondiſſet Gyges, ipſum quidem videre alios, à nemine vero conſpici potuiſſe; rurſus quum aſpicientibus obvertiſſet,omnibus aſpectabilem fuiſſe. Sed lepida inprimis eſt fabula (quam tamen divinus ille Plato prodere non dubitavit) de occaſione qua is annulo hoc fuerit potitus. Aiunt enim Gyge oves in campis paſcente, terra horribili motu diſcedente, ingentem cavernam repente extitiſſe, in quam Gyges,ut [illegible]mperterrito animo, ingreſſus,hominis cadaver conſpexerit,digito annulum geſtantis. Quem quum detractum ſuo ille digito inſeruiſſet, ſicque ad ſocios rediſſet, audiret vero illos de Gyge non aliter quam de abſente loquentes; ſtatim annuli virtute id fieri ſubodoratum,abjecto pedo, ad Lydorum Regem ſe contuliſſe, eoque annulo ſic uſum eſſe, ut corrupta adulterio regina,ejuſque ope Rege occiſo, regnum ipſum occuparit. Hanc tu ſive fabulam ſive h[istor]iam eſſe credas,parum,opinor, intereſt: ego vero tanto lubentius eam hic recenſui, quod ab ipſo Platone,ut dixi,ſit prodita.

Lapillorũ ſeu gemmarum vis

Cum iis ſane,qui talem in ullo lapide vim ineſſe negant,diſputare vel altercari nolim; modo & illi fateantur,ab annulis illis, qui arte magica ad certos cœleſtium corporum influxus conficiuntur, mirabiles effectus produci. Sed his omiſſis nemo tam bliteus rerumque expers eſt, quin magnas lapidum ejuſmodi ac gemmarum virtutes eſſe norit. Adamantem ajunt ſua virtute cor corroborare,ac contra incantationes & diabolica ſpectra plurimum valere; ſed in primis prægnantibus geſtatu eſſe utilem. Amethyſtus contra venenum & ebrietatem facit. Beryllus carnis cupiditates retundit,& valetudini conducit. Carbunculus ſive Pyropus contra aeris infectionem vim habet, animumque triſtibus cogitationibus & cupiditatibus liberatum exhilarat. Nec ſua Coralliniis annulis virtus deeſt, ut qui ſanguinem ſiſtant, viſui proſint; inſomnia abigant, & cor reficiant. Hyacinthus itidem cordis recreationi multum inſervit: & inprimis peſtilenti lui præſens eſt antidotum. Smaragdus caſtitatem juvat, adeo ut ſi à virgine tum quum pudor ei eripitur,geſtetur,medium crepare nonnulli ſcripſerint. Sed & idem contra diaboli tentationes, contra tempeſtates & fulmina contraque apoplexiam admirabilem vim habere; tum memoriam ac viſum corroborare, & venenatis morſibus mederi dicitur. Sardonyches carnis refrænat cupiditates, ad ſculpturam omnium commodiſſimus, ut qui nativo quodam colore ceram mollem reddat. Topazius contra humorum deſtillationes, nec non contra iracundiam & guloſitatem prodeſt: idemque animi ægritudines mitigat,& ſanguinem ſiſtit. Sed de variis ejuſmodi multorumque aliorum lapillorum ac gemmarum virtutibus Ariſtoteles (quem tamen ſuppoſititium fetum nonnulli exiſtimant) Albertus Magnus,Serapion, Iſidorus,Bartholomæus Angelus, Leonardus Camillus, Vincentius, & inter primos nominandus ſollers ille Naturalium rerum indagator Plinius,multa ac mirabilia ſcripſerunt, ad quorum libros quum te tum alios curioſos remitto.

Smaragdi.

Scriptores De Gemmis.

Nec vero ad ornamentum tantum & ſalutẽ, ſed & ad perniciem annulorum uſum humana curioſitas invenit. Fuerunt enim qui venenum in annulis circumferrent,ut eo ad omnem caſum uterentur,inter Ethnicos præcipue qui voluntariam ſibi conſciſcere mortem non modo

modo turpe & impium, ſed & laude dignum cē-ſebant; miſere à diabolo decepti, ut tanto expeditius in damnationis barathrum præcipitarētur. Teſtatur id Annibalis exitus, qui eam in rem paratum ſemper venenum annuloque incluſum circumtulit, quo & vitā ſibi ademit, priuſquam Romanis ludibrio traderetur. Idem fecit Demoſthenes. Heliogabalus vero Imperator quāquamvis & ipſe idem mortis inſtrumentum aſſiduo apud ſe haberet, eo tamen uti non potuit, ad ignominioſius mortis genus reſervatus.

De annulis magicis. De iis annulis qui magica arte, obſervatis certis ſignis & conſtellationibus, conficiuntur, tantum abeſt ut quidquam hoc loco addere velim, ut tam impius ſuperſtitionibus non modo fidem habendam, ſed in eorum auctores tanquam impios & ſacrilegos acerrime vindicandum putē. Omnes ergo homines, ſed magnates inprimis monitos volo, ut omnem ſuam ſpem & fiduciā in uno & ſolo Deo, repudiatis magicis iſtiuſmodi ſuperſtitionibus, ponant: & ante omnia in gemmam illam omnium gemmarum precioſiſſimam, Jeſum Chriſtum inquam illum conciſū, ac ſanguinolentis inſculptum notis, & cruci tamquam annulo affixum. Hæc tam ſalutaris gemma non auro fuſili opere, ſed cordi tantum includenda eſt: ſtatimque admirabiles maxime & ſalutares producet effectus. Hæc unica illa gemma eſt, quæ exſtinctis carnis cupiditatibus verum Dei amorem ac timorem in nobis accendit & auget indies; hoc illud alexicacō eſt, quod omnia mala & pericula à nobis avertit; hoc antidotum eſt quod omnibus animorum morbis medetur; hoc illud eſt amuletum quod omnes faſcinationes & incantationes à nobis avertit; hoc denique unicum illud eſt contra æternam mortem medicamentum.

Vera gemma Chriſtus.

Annulorum uſus in nubendo. Sed ut epiſtolam tandem concludam, annulorum ego uſum nequaquam damnandum cenſeo, quibus & præcipue conjugia tanquam arrha confirmantur, & memoria etiam pro digitorum quibus inſeruntur diverſitate, juvatur. Et quis neget, ut cetera omnia, ita quoque tam aurum quam gemmas ad hominum uſum à Deo eſſe creata? Hiſce ego me Excellentiæ Veſtræ petitioni ſi non omnino, aliqua ſaltim ex parte ſatis feciſſe puto. Smaragdum dono mihi miſſā, valde gratam habeo, eamque inſulæ meæ Epiſcopali inſerendam curavi, ut me quoties ſacrum celebro, deprecationis pro te quoque faciendæ admoneret, Madriti XV. Auguſti MDXL.

Ad

N. SCUDERUM

J. C. CÆSAREÆ MAIESTATI A CONSILIIS.

EPISTOLA.

In qua de proxenetis agitur, quamque pernicioſum id genus hominum Reipublicæ ſit, oſtenditur.

Litteras tuas recte accepi. Ad proxenetas quod attinet, de quibus quid mihi videatur quæris, equidem ſic ſentio, vix ullam capitaliotem peſtem eſſe Reipublicæ quam hoc hominū genus, ut qui ſine ulla conſcientia, ex ſudore vivunt alieno, eoque ad reſtituendum merito à magiſtratu cogi debent. Quod ſi ipſo Salvatore teſte, divitibus propria bona poſſidentibus difficile erit cœlorum regnum adipiſci, ubi manſuros putas eos qui aliena ad ſe rapiunt? Sed ut rectius intelligas, quid de proxenetis iſtis ſentiendum ſit, age originem eorum videamus. Dices profecto, talibus labris dignas has eſſe lactucas. Quid ergo? Uſurariorum nempe inſtrumenta ſunt proxenetæ iſti, quibus illi ad fraudes, rapinas atque expilationes utuntur. De uſurariis iſtis recte dici poteſt, feras eſſe vel beſtias, in avaritiæ ſpeluncis ſtabulantes; proxenetas vero, canes eſſe ſagaces, qui lucri odorem ſequuti, miſeros atque æris egentes homines illis tamquam prædam obiiciant. Quis non à diabolo hoc hominum genus ortum credat, qui pecuniam petenti omnem damni ſenſum; mutuanti, omnem pudorem eripiunt? Hi enim pecuniam promittunt, hi ſuis manibus numerant, hi uſuras paciſcuntur, hi miſeros deglubunt. Hi ſi velut tertia perſona non in ſcenā hanc uſurariam prodirent, atque

Proxenetæ Reipublicæ pernicioſi.

Eorum & Uſurariorū cōparatio.

atque operam ſuam tamquam lenones præſtarent, feneratoribus nec animi ſatis eſſet, nec occaſio ſuppeteret, ad pecuniam ſuam tā turpiter erogandam. Illud inprimis dolendum eſt, quod proxenetæ iſti ſine ullo reſpectu tam nepotari quam negociari cupientibus pecuniam conquirunt; nec quidquam quam uſurariorum & ſuum ipſorum commodum ſequuntur. Sed & iidem omnibus negociis, quæ inter mercatores intercedunt, ſeſe ingerunt: in quibus ita verſantur, ut parti utrique operam ſuam promittāt, neutri interim præſtent, ſed utramque mendaciis alii, quæ falſis artibus decipiant, atque argēto emungār. Bilingues hos recte dixeris; qui calidum ac frigidum ex uno ore efflant, & ex una fidelia nō duos tantum, ſed innumeros parietes dealbant. Equidem aperte dico ac proteſtor, cōtra Deum ac conſcientiam ſuam peccare eos magiſtratus, qui peſſimum hoc hominum genus in Republica ferunt: ſicque exiſtimo, etiamſi uſurarii & daniſtæ in civitate aliqua tolerentur; proxenetas tamen minime ferendos eſſe. Numquid enim videmus paſſim ſcorta tolerari? At quæ unquam natio tam barbara atque omnis pudoris expers fuit; quæ lenones tamquam peſtem Reipublicæ nō proſcripſerit ac profligarit? Sic profecto res eſt. Si iſti avaritiæ velut lenones non eſſent, non ita paſſim immanibus uſuris egentium facultates exhaurirentur. Hodie vero res ita comparatas videmus, ut nulla frequentior ſit negociatio quam pecuniæ in fœnus elocandæ: ad quam unam rem proxenetæ iſti operam ſuam condicunt, jam hunc jam illud adeunt, ſollicitant, promittunt, mētiuntur, pejerant; interim ut lucri, ſic peccati quoque maximam partem ſibi ſervant. Hos ego non minus quam ipſos uſurarios ab omni æternæ ſalutis ſpe excluſos eſſe puto, niſi relicto hoc vitæ genere pœnitentiam agant, & injuſte acquiſita, vel ut verius dicam, furto aliis ablata reſtituant. Quo nomine non eos tantum intelligo qui tales ſunt, hancque artem velut profitentur; ſed etiam eos, qui quum revera uſurarij ſint, minime tamen videri volunt. Paſſim namque opulenti reperiuntur mercatores, qui ſi nobilem aliquem aut magnatem pecunia opus habere animadvertant, ſic cum illo agunt, ut tertiam cōmodati partem ipſi retineant, & annuas uſuras nihilominus integras percipiant. Ex quo fit, ut ſi miſer ille Nobilis poſtea rationes ineat, & quantum honorariis ac ſollicitationibus abſumtum ſit, computet vix mediam totius ſummæ partem in ſuum uſum ceſſiſſe deprehendat, nihilominus interim pro tota ſumma fœnus petere cogatur. Quinetiam hanc artem è Nobilitate nonnulli à mercatoribus, in quibus hoc minus hoc mirum, didicerunt, dum & ipſi fora ſequuntur, & pecunias ſuas elocant ac velitti vendunt. Qui profecto à majorum virtute quam longiſſime mihi degenerare videntur. Illi enim armis olim Regi vel Principi imperium acquiſiverunt, at hi uſuris Rempublicam, quantum in ſe eſt, perdunt, etiamſi ipſi non negocientur, ac menſas argentarias ipſi non habeant.

proxenetarum artes.

Mercatores uſurarij.

Hæc mea eſt de proxenetis & uſurariis ſententia: quam tanto apertius ad te perſcribere volui, ut quod in hac re æquum ac pium eſt, Cæſareæ Majeſtati conſulas; perſuadeaſque, ut hæc malorum ſentina ex Republica exhauriatur, ac miſeræ plebeculæ potius quam paucorum avarorum commodis proſpiciatur. In quo rem Deo gratam, Cæſareæ Majeſtati opportunam atque utilem, Reique publicæ neceſſariam facies, atque æternam laudem apud omnes conſequeris. Mondeneti III. Maij Anno MDXL.

proxenetæ eliminandi.

Ad

RODERICUM

MOREIONUM

EPISTOLA.

In qua quum veri amici, tum quoque boni Iudicis partes explicantur.

RECTE ac vere eloquentiæ pater Cicero in Dialogo ſuo de Amicitia ſcripſiſſe mihi videtur: *Si omnia facienda ſunt quæ amici vellent, Amicitiæ non ſunt amicitiæ, ſed conjurationes.* Nicias quidem & Perſeus qui Thebas diripuerunt; Antenor ac Meſturius qui Trojam prodiderunt, Scaurus & Catilina qui Romanæ Reipublicæ exitium moliti ſunt, ſocij quidem ac conjurati nequaquam tamen amici fuerunt. Neque enim inter malos & impios vera eſſe amicitia poteſt. Exſecrabilis profecto illa eſt amicitia, quæ ad exitium aliorum conflatur

Amicitia inter bonos tantum eſt.

conflatur ſive contrahitur. Quorſum hæc? inquis. Ut intelligas nimirum, quid de eo ſentiam, quod ad me ſcribis, Te jam quos amicos habeas, experturum, qui & præſenti faveant, & abſenti ſuccurrant.

Nihil turpe amici cauſſa faciendũ

Quod veteris noſtræ amicitiæ memoriam mihi refricas, gratum ſane eſt: cujus me quoq; necdum pœnitere profiteor, eamque porro me conſervaturum promitto, hac tamen conditione ut tu nihil facias, quod merito reprehendi poſſit aut debeat. Ut vero rem omnem melius intelligas, ſic habeto, moleſta mihi fuiſſe auditu quæ tu ibi feceris. Quod ſi ea quæ à Philoſopho libro ſecundo Ethicorum ſcripta ſunt, non legiſſes modo, ſed etiam memori animo retinuiſſes; nec amicis tuis dolorem, nec tibi ipſi periculum conciliaſſes. Qui enim in ejuſmodi magiſtratu ſunt conſtituti, in factis ſuis cauti, & in judicando juſti eſſe debent. Ad quod duo illa neceſſaria ſunt, doctrina & experientia: quibus velut duabus columnis Reſpublica ſuſtentatur.

Ut vero aperte quod ſentio eloquar, ſic puto, multos eſſe qui Decreta & Decretales, Sextum, Clementinas, Inſtitutiones & Pandectas perlegerint; qui tamen deinde ad magiſtratus & Reipublicæ adminiſtrationem admoti, ea quæ legerint imperite allegent ac perverſe uſurpent. Mihi vero Juriſconſulti nomine dignus videtur nō is, qui vel totum Juris corpus ad unguem callet, ſed qui ipſas leges tempori, perſonis ac reb. accommodare norit. Ad leges quidem memoria comprehendendas, diligentia ac tempus; ad eaſdem vero recte applicandas, judicium ac prudentia requiruntur. Quum vero omnes humanæ leges ex æquo & bono potius quam ambiguo verborum ſenſu interpretandæ ſint; ſæpe fit, ut judex aliquis plebeius atque indoctus juſtiorem ferat ſententiam, quam Doctor aliquis graduatus, ac vocant. Tu quidem antehac ſemper valde prudens ac multæ lectionis vir mihi viſus es, ſed quantum jam video, atque ab aliis audio, vel mea me opinio decepit, vel tu ingenium valde mutaſti. Noſti Ovietum te miſſum, ut Tabaræ topareham rebellantem comprehenderes, ſuppliciumque de eo ſumeres. Quid tu? Regio inſuper habito mandato, connives ac diſſimulas; ſicque rebelli iſti elabendi occaſionem præbes.

Bonus Iudex quis,

An & quatenus declinandum.

Qui Regi aliquando obedire detrectat ut legi ſatisfaciat, aut qui leges infringit, ut Regis acregi commodum promoveat, excuſari aliquo modo poteſt. At qui & Regi contumax eſt, & leges violat, non pro temerario tantum, ſed etiam pro inſano habendus eſt. Vetuſtiſſima lex eſt & ab antiquis uſque temporibus deducta cōſuetudo, ut proditionis ac rebellionis comperti, non ſolum ſupplicio afficiantur & è medio tollantur, ſed & eorum ædes ubi habitarunt, diruantur ac funditus evertantur. At tu ædium rebellis iſtius miſertus, vendere eas quam diruere maluiſti, dictitans, præter rationem tibi videri, tam pulcrum ac ſumtuoſum ædificium ſolo æquari, unde nulla ad quemquam reditura ſit utilitas. At meminiſſe debebas illius quod ſapiens quidam dixit: Numquam ſcilicet debere fieri judicium in conſpectu objecti delectabilis, de quo judicandum eſt: quum judicium facile perverti, & juſtitia à miſericordia pelli atque obrui poſſit:

Helenæ præſentis aſpectus judicum animos faſcinavit.

Narrat Homerus inter Trojanos & Græcos judices diu magnis contentionibus diſceptatum fuiſſe, utrum Helena priori marito Menelao reſtituenda eſſet, vel non: illamque abſentem ſemper damnatam, at præſentem rurſus animos judicum ad miſericordiam flexiſſe atque abſolutionem impetrâſſe, donec tandem judices jure contra eam agere plane deſierint. Titus Imperator, ſubjugata Judæa, & captis Hieroſolymis, Salomonij templi aſpectu ita affectus fuit, ut tam magnificæ atque admirabili ſtructuræ parci juſſerit: quam deinde domum reverſus everti juſſit. In ſacra Scriptura legimus, Sauli Regi contra Amalechitas bellum gerenti, à Deo mandatum fuiſſe, ut omnia eorum demoliretur, & omnes interficeret à viro uſque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & aſinum. Quum vero Saul melioribus ovibus & armentis pepercisset, Deum tanta indignatione accendit, ut rejectus fuerit & à Regno deturbatus. Marcus Marcellus Syracuſanæ urbis incendio illachrymavit, quod miſerabile exiſtimaret, tam pulcram urbem ſic deformari ac deleri. Quod ſi tam hi quam tu inprimis, Domine Licentiate, ſapientis illud monitum ſequutus, à delectabilis rei aſpectu abſtinuiſſes: hac culpa facile cariturus fueras, cujus jam à regij fiſci patrono accuſaris, quod ſcilicet Tabaræ toparcham non modo elabi ſiveris, verum etiam ædibus ejus peperceris. Equidem non tam dolor mihi tuus & ſollicitudo, quam ipſum tuum peccatum ac culpa non exiguam moleſtiam affert:

Quid in amico dolendum.

fert: ut qui veri amici munus eſſe exiſtimem, non tam amici dolore quam errato affici.

Nec vero muliebris illa tua lamentatio nova mihi aut mira videtur; quamvis, ut verum fatear, riſum mihi potius quam commiſerationē tua illa puſillanimitas conciverit. Neque enim video, quomodo capitis accuſari poſſis, quum non proditionis, ſed in comprehendendo proditore negligentiæ crimen tibi intendatur. Quā riſi, poſtquam te in eccleſiam tamquam ad aſylum confugiſſe accepi! in qua multas jam Miſſas præter voluntatem tuam auditurus es, quas ante ſumma cum voluntate fueras omiſſurus. Sed & aliud habes ibi privilegium, quod ſcilicet periculum non eſt, ut à nocturnis excubitoribus armis ſpolieris, aut in cuſtodiam compingaris. Quod ſi commodum tibi erit, cum æditu o turrim conſcendes & vel campanas pulſabis, vel in choro cum pueris veſpertinas decantabis, vel catechumenorum inſtitutioni Dominicis diebus intereris, vel defunctorum exequias celebrabis. Quid multis? Optimam jam habes & cu̅ vivis converſandi, & pro mortuis orandi occaſionem. Quod ſi interea opulentioris alicujus funus deducatur, ſuadeo ut ſacerdoti exſequias celebranti te adjungas; & oblatis una cum eo fruaris Sed omiſſo joco, ſic tibi perſuade, me apud Ronquillum Præſidem diligenter pro te interceſſurum; quamvis cum tibi graviter ſuccenſere non ignorem, Palentiæ IX. Novemb MDXXIV.

Salſe ridet hominem nimis ſibi metuentem.

Ad

N. BRACAMONTIUM COMMENDATOREM,

&c.

EPISTOLA.

In qua eum ob peccata & libere objurgat & conſolatur.

EX litteris tuis & caſum tuum adverſum, & periculum in quo jam verſaris intellexi; tanto majori cum meo dolore; quod & tecum mihi amicitia, & cum patre tuo neceſſitudo & affinitas mihi intercedat. Quod quidem utrumque vinculum tam tenax eſt & validum, ut facile ſolvi nec poſſint nec debeant. Ut enim affinitas familias, ſic amicitia corda inter ſe conjungit & conglutinat. Mirabar hactenus, quid eſſet quod jamdiu nihil de te audirem: quamvis me non lateret, te jam decem fere continuos annos nihil aliud fere agere, quam quod aſyla inſideas, & medicis ac chirurgis utaris. Medinæ enim ad antiquam, Madriti & Toleti in ſacram Deiparæ ædem jam olim confugiſti; jam vero Carmelitarum cœnobium te inſidere audio, perverſo ſane ſtudio, quum ad ſacra loca frequentanda non pietas te inducat, ſed malitia compellat.

Amicitia & affinitatis vincula.

Memineris vero, Deum graviter te offendiſſe, juſtitiæ tergum obvertiſſe, ac generi tuo maculam aſperſiſſe: ac niſi deſiſtas, fore ut tandem in juſtitiæ manus incidas, quæ vix pœnite̅di, nedum ſubterfugiendi ſpacium tibi conceſſura ſit. Si malum eſt, alios lædere, cur tu, quæſo, id facis? Sin bonum eſt, cur fugis? Sentiant alij quidquid velint, mihi quidem nec boni nec fortis viri videtur eſſe, à ſe vitaque ſua periculu̅ propulſare, Juſtitiæ interim ſeſe ſubducere. Magna enim ſtultitia eſt, ſpe remedij, periculum temere atque ultro provocare. Ego tamen tuo caſu ſic afficior, ut numquam magis optarim, me divitem eſſe, ut opem ferre; aut ſapientem, ut bonum conſilium tibi dare poſſem. At noſti ipſe, me & ætate multo juniorem eſſe, quam ut bonus conſilij auctor eſſe; & conditione pauperiorem (utpote Franciſcanum Monachum) qua̅ ut reipſa auxilium tibi ferre queam. Neque tamen intermittere poſſum, quin breviter ſententiam meam tibi aperiam:

Exhortatio.

Dilemma.

Si quid forte ego te adiuvo, curamve levaſſo,
Quæ nunc te coquit & verſat ſub pectore fixa:

licet certo certius ſciam, decem ſcutatos tibi multo gratiores futuros quam ducenta conſilia. Ut tamen & in hac re tibi non omnino deſim, quatuordecim regales, ut vocant, comparſi, & quatuordecim ex libris aliquot venditis confeci: quos omnes ad te mitto, ad teſtificandam meam in te voluntatem, & fidem quam neceſſitudo noſtra requirit, aliquo modo liberandam. Quum ergo quidquid habeo contribuam; par ſane eſt, ut hoc quidquid eſt, æqui bonique conſulas, ac tibi perſuadeas, eum qui eleemoſynas ex ſacrificiis ſibi confectas dare tibi non dubitat, ſanguinem quoque ipſum non gravate tuis commodis ac ſaluti impenſurum.

Re magis amicus iuvandus qua̅ verbis.

Ad cetera quod attinet, conſultius mihi videtur,

tur, ut iſthinc ad nos tranſeas; ſicque longius ab inimicis tuis abſis, & tanto facilius judices rurſus places. Quos offendiſti, tanto citius iram ponent, quanto minus te videbunt: Cordati enim viri non tam ægre ipſam injuriam ferunt, quam contemtus ab adverſario, oculis noſtris quotidie obverſante, ſuſpicionem. Nullus tantus amor eſt, quin aliquando tandem refrigeſcat; neque ulla tam gravis ira quæ non remittatur; modo ſpacium ac tempus ei largiamur. Altero enim amantium vel paullulum remittẽte, amor refrigeſcit; & inimico oculis noſtris ſeſe ſubtrahente, paulatim indignatio atque ira evaneſcunt.

Amici veri officium.

Quod vero tam ſollicite atque anxiè res tuas mihi commendas, non parvam mihi facis injuriam, quum me vel nimis obliviosſum, vel parum tibi amicum eſſe, putare videaris. Tu mihi ipſe optimus teſtis es, quam promte in omnibus quibus potui, te ſemper adjuverim: quamvis meliorem mentem ſæpe tibi optarim. Ajunt enim qui te norunt, te nimis quam inimico cõveniat, arrogantem eſſe ac temerarium; ac nimis quam amicum deceat, ſuſpicioſum. In omnibus aliis rebus mediocritas quædam eſt, ultra citraque quam rectum nequit conſiſtere. At in amicitiæ uſu & converſatione vel totos nos amico demus, vel omnino ab ejus conſuetudine abſtineamus oportet. Sit tibi aliquis, quicum cibum capias, rideas, ac cetera tractes, interim tamen ab eo cavendum tibi putes: talem ego nõ amicum, ſed neceſſarium tantum aut familiarẽ dixero. Inter veros namque & ſinceros amicos nullus ſuſpicioni locus eſſe debet. Satis miſer eſt, quem inimici continuo exagitant atq; perſequuntur. Quanto magis is, quem etiam ab amicis cavere ſibi oportet. Qui tamen hoc nomine nequaquam digni ſunt, ſed ij tantum, quorũ fidei omnia ſecreta mentis noſtræ tuto committere, & in quorum amore ac benevolentia conquieſcere nobis licet.

Suſpicione carere amicitia.

Hæc quidem eo à me dicuntur, ut oſtendam, non levem à te mihi factam injuriam, dum benevolentiæ in te meæ quodammodo diffidere videris. Quam ſuſpicionem niſi quamprimum à te ſegregaris, eoque nomine pœnam à te ipſe exegeris, jamjam grãdem ego dicam tibi impingam, adeoque amicitiæ tuæ repudium mittam. Palentiæ VIII. Februarij MDXXII.

Ad

N. AQUILERAM, COMMENDATOREM, & cæt.

EPISTOLA.

In qua eum & negligentiæ in ſcribendo, & incivilitatis accuſat.

IAm dies multi ſunt, quibus non modo negligentia tua & meum ingenium, ſed & conditio mea cum tua pertinacia conflictantur, dum animi dubius hæreo, utrum ad te ſcribere debeam, nec ne. Audio enim te gloriatum eſſe, quaſi rem magnam feceris, quod id, quod à te petierã, mihi denegaris. Malus eſt qui male agit; at qui malefactis gloriatur, diabolus potius eſt quam homo. Diabolus enim ſemper peccatum emendare ſtudet. Vide nunc utrum me tito tibi ſuccenſeam, qui non modo commendationis meæ nullam rationem habuiſti, ſed & ad litteras meas hactenus ne verbo quidem reſpondiſti, adeoque aperte præ te tuliſti, quam parvi me faceres? ex quo quantam indignationem conceperim, dicere vix poſſum.

Malefactis non gloriandum.

Quia vero ſuſpicabar, aliquid forte in mea epiſtola fuiſſe quod te offenderit, ejus deſcriptũ iterum pervolutavi, neque tamen quidquam reperire potui, quod vel leviſſimam bilem movere tibi debeat. Immo ſic ſentio, ſicque profiteor, quidquid a te petii juſte me petiiſſe, neque à te illæſa conſcientia denegari poſſe. Utinam tu potius illud cogitares, multos dum injurias ultum eunt, ſibi ipſis interitum atque exitium acceſſiviſſe.

Homo exorabilis eſſe debet.

Fateor ſane, nec pictam verbis, nec gravem ſententiis illam meam fuiſſe epiſtolam; piam tamen atque officioſam fuiſſe, nemo in quo harum rerum ullus ſenſus eſt, negabit. Petebam enim, ut amico meo Pamo ignoſceres, & amicitiam meam pluris apud te quam injuriam ab illo acceptam eſſe pateretis Et ſane vix dubitabã, quin & hominis ipſius dolor ac pœnitentia, & mea interceſſio veniam à te eſſet impetratura. Tyrannus eſt, quiſquis nec precibus nec lachrymis deprecantium movetur. Infime conditionis hominũ eſt ulciſci ſe; excellſæ, ignoſcere. Nõ

eſt

Pulcerrima victoria qua. eſt præclarior in toto terrarum orbe triumphus, quam ſeipſum vincere & injurias condonare. Fateor interim hac in re certum modum aut regulam præſcribi non poſſe. Sæpe enim accepta injuria talis eſt, ut ſine nova injuria remitti non queat: ſic ut qui condemnatum condemnat, ſeipſum condemnet. Atqui injuria quam à Pamo accepiſti, ex hoc genere non eſt: quàm ſi ut Chriſtianus condonaſſes, vel ut Nobilis ac generoſus diſſimulaſſes, nec brachium nec crus facilitas illa tibi fractura, ſed benevolentiam potius ac laudem fuerat conciliatura

Quid vero eſt quod deprecantes ita averſaris? cur petentes in gratiam non recipis? Me quidem ſi audias, tu poſthac eos qui ad te venerint, grato accipies animo, & bene monentibus non obtemperabis modo, ſed & gratiam habebis atque ages. Quod ſi durus atque inexorabilis eſſe perrexeris, jam ante prædico tibi, multos te vicinos, ſed paucos amicos habiturum. Quare ab ejuſmodi errore in poſterum tibi cavebis, atque ex hoc ipſo exemplum capies. Quum viſcera, ut ita dicam, cordis mei amicis ſemper pateant, par ſane non eſt, ut ſuum illi mihi animum occludant, & ſalubriter à me monita aſpernentur. Sed ne te magis etiam offendam, manum de tabula tollo, querelæ finem facturus quam primum tu errorem hunc emendare cœperis, atque ignoſcere didiceris. Arcvaſi VI. Maij M D XXIII.

Ad

DIDACUM CARDILLUM *EPISTOLA.*

In qua de duello, & utrum illud licitum ſit, diſputatur.

TAM ex miniſtri tui Herreræ, quam aliorum iſthinc ad nos venientium relatu intellexi, te verborum quorundam, ut tibi videtur, injuria provocatum, cum Franciſco Hurtado ferro dimicare conſtituiſſe. Quod quidem tanto magis mirum mihi accidit, quanto major & generis tui nobilitas, & animi tui pietas inſignior mihi ſemper viſa eſt. Adeone ira tam præcipitem te egit animumque à ſtatu deturbavit, ut tamquam *Ira peſſimus cõſultor.* beſtiarius arenæ incluſus, pedem pede conferre, & ferro vel proximo tuo vitam eripere, vel tuam profundere, & quod peſſimum eſt, extra S. Matris Eccleſiæ gremium mori tibi propoſueris? Te, inquam, quem ob multas dotes ac virtutes magni ego hactenus ſemper feci, ac non vulgariter dilexi, ut & boni fere omnes. Quocirca intermittere non poſſum, quin duelli naturam breviter tibi deſcribam, & quam atrox peccatum non dimicantes tantum, ſed & ſpectantes committant, oſtendam; ut viſa rei fœditate, tam tu quam alii abſterreantur, & magis Deo parere, quàm ſtultæ atque exitiabili ambitioni ac inani fortitudinis perſuaſioni velificari condiſcant.

Duellũ, de quo decretum *in cap. Monomachiam,* exſtat, olim in dubia minimeque perſpicua controverſia, ad explorandam rei veritatem inter duas nobiles perſonas admiſſum fuit, ſic ut victoris cauſſa ex illo ipſo quod vicerat, juſta fuerit exiſtimata. Atqui ego monomachiam ejuſmodi nequaquam idoneum eruendæ Veritatis inſtrumentum, ſed mortale peccatum eſſe aio: ut idem in fine modo citati Decreti probatur. Per hoc enim Deus tentatur, & per conſequens divina lex violatur. Notum eſt, quod Salvator noſter ipſi diabolo objecit divinum illud præceptũ: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Non vero tantum alterum ad duellum provocans, ſed & conditionem accipiens, ut & illi qui dimicantes conſilio, auxilio aut quacumque re juvant; tum etiam qui quum impedire poſſent, non tamen impediunt; hi omnes, inquam, mortaliter peccant, utpote qui in rem conſentiant, divino ac humano juri repugnantem. Quin etiam tales à ſacra communione arcendi ſunt, quum mortali peccato ſint obſtricti. Neque ulla hic metus aut conſuetudinis valere debet excuſatio. Chriſtianum enim potius quodvis damnum ac contumeliam pati oportet, quam in peccatum ejuſmodi conſentire. Fruſtra ijdem Davidis ac Samſonis exempla allegant; quorum ille ſingulari certamine Goliathum immanem gigantem fudit, hic vero unus complures Philiſtæos occidit. Singularia enim hæc ſunt, ad generalem conſequentiam minime trahenda; & ſingulari S. Spiritus inſtinctu facta.

Duelli origo & uſus.

Cõſuetudo duella non excuſat.

Aiunt quidam, quod ſi quis à Judice aut magiſtratu, propoſito, niſi pareat, capitis ſupplicio, duellum ſuſcipere cogatur, ei (modo ſalvam, & ejus quod inſimulatur immunem habeat conſcien-

An judicis mandatu duellũ ſuſcipiendũ

ſcientiam) in arenam deſcendere licere, ita tamen ut ſpem ſuam non in armis, ſed in unius Dei auxilio ponat. Quæ quidem communis, falſa tamen eſt opinio. Duellum enim eum in finē permitti ſcribunt, ut quod humano judicio pervestigari non poteſt, divino judicio per ſignum aliquod viſibile, victoriam nempe, manifeſtum fiat. At divina manifeſtatio dupliciter accipi poteſt. Primo, quando eouſque exſpectamus, dum Deus rem ipſam miraculoſe in apertum producit: velut olim per virgam refloreſcentem Moyſi oſtendit, quis ſupremus eſſe ſacerdos deberet: & per ſortem miſſam Judæ in Apoſtolatu ſucceſſorem deſignavit. Quod ſi Deus tali aliquo tam externo quam interno ſigno voluntatem ſuam patefaciat, duellum quoque licitum erit. Alter modus per viſibile ſignum occultam inveſtigandi veritatem, in humanis conſiſtit cōjecturis: quo quidem Deus tentatur graviterque offenditur. Ex quo infero, quum dijudicatio illa non miraculoſo aliquo & divinitus dato ſigno, ſed humana tantum cōjectura nitatur, ſententiam illam falſam eſſe ac vitioſam. Duellum namque vel ultro, vel Judicis mandatu ſuſcipitur. At utrocumque modo fiat, tam in civilibus quam criminalibus cauſſis, tam divina quam humana juſtitia ſemper violabitur. Primo quia nullius boni cauſſa, ſine divinæ voluntatis revelatione, tale nobis experimentum ſumere licet eoque non in dimicationem modo deſcendentes, ſed & conſentientes, ac eum in finem ſpectātes, ut ex victoriæ ſigno pronuncient, utra pars juſtitiam pro ſe habeat, graviter peccant: utpote divinam legem tranſgredientes. Deinde ijdem Naturæ violant legem: quod tamen nullius cujuscumque boni, adeoque ne vitæ quidem conſervandæ gratia facere licet. Eſt vero duellum contra Naturæ legem eoque omnes qui illud vel ſuſcipiunt, vel mandant, vel conſilio aut auxilio promovent, mortale peccatum committunt. Ex quo recte infero, vere Chriſtiano capitis potius ſubeundum eſſe ſuppliciū etiamſi innocens ſit, quàm Judici duellum ſuſcipere jubēti parendum: utpote quod nulla lege, auctoritate vel conſuetudine permitti aut approbari ullo modo poteſt.

Deus quo modo occulta manifeſtet.

Duellū repugnat legi Naturæ.

Hic tamen animadvertendum eſt licere unicuique ſe vitamque ſuam contra temere invadentes defendere, adeoque dimicare etiam, ſi periculum aliter propulſari non poſſit quod & ipſa Naturæ lex dictat, nec divina prohibet. Sed & eadem Naturalis lex à nobis requirit, ut alterius necem, quantum in nobis eſt, impediamus; quanto magis ut noſtram ipſorum vitam tueamur ac propugnemus. Quare ſi non eo animo in pugnam deſcendas, ut alium interficias, ſed ut vitam tuam modo defendas, neque in defenſione tua modum excedas, nihilominus tamen adverſarii victus pertinacia, atque extrema coactus neceſſitate, eum interficias, à peccato excuſaris; taleque homicidium caſuale appellatur, ut quod contra voluntatem tuam factum eſt, eoque vix ullam, aut certe exiguam pœnam meretur.

Quatenus ſe defēdere liceat.

Reſtat, ut an duella ſpectare liceat, breviter explicem. In quo diſtinctione generali opus eſt. Ludi enim qui ſpectantur, vel liciti ſunt, vel illiciti. Et illos quidem ut celebrare, ita ſpectare quoque ſine peccato licet; non tamen ſemper. Si enim utiliora interim, non tamen neceſſaria negotia intermittantur, peccatum veniale, at ſi id quod ex divinæ legis præſcripto faciundum nobis fuerat, negligatur, peccatum mortale committetur. Unde ſic argumentari licet: quandoquidem duella ſpectantes, rem ſpectant, quæ ex ſe peccatum mortale eſt, etiamſi in rem ipſam non conſentiant, quia tamen laſciva illa & inordinata ſpectandi cupiditate periculo conſentiendi ſeſe objiciunt, eos peccare mortaliter. Sed & mortaliter peccat, quiſquis rem, quæ ex ſe peccatum mortale & cupide ſpectat. Quod tamen de iis actibus intelligi debet, qui natura ſua mali ſunt, non vero de iis qui ſine peccato fieri ac celebrari poſſunt. Immo docet D. Thomas, ſi quis rem ſpectare geſtiat, quæ ſua natura mala ſit, non tamen eo animo, ut malum imitetur, ſed ut factum ipſum nude tantum videat ac cognoſcat: talem actum non modo ſine peccato, verum etiam licitum, adeoque meritorium aliquando eſſe poſſe, præſertim ſi id eo à nobis fiat, ut tale malum agnoſcere in nobis ac fugere, & in aliis reprehendere diſcamus.

Scādala vitāda.

Hic vero inter ſpectacula & laſcivas ac carnales cogitationes, quæ naſci inde ſolent, diſtinctio facienda eſt. Primo enim ſpectacula iſta natura ſua non tam mala ſunt, ut impudicæ illæ cogitationes. Deinde ad ſpectacula iſta animus hominis non ita propendet uti ad carnales illos actus, qui etiam ex leviſſima occaſione animum accendunt ac de ſtatu ſuo deturbant. Hinc qui ludos ſpectant, non valde curant, ſive celebrentur illi ſive intermittantur; quos tamen quia viden-

Cogitationes ſpectaculis periculoſiores.

Digitized by Google

videndi copia eſt, animi oblectandi cauſſa ſpectare geſtiunt. In quibus ſi illicitum quid fiat producatur, nequaquam delectantur, multo minus actu illo abutentium vitia probant, ſed in ipſam tantum actionem, quæ ſua natura mala non eſt conſentiunt. Spectacula tamen ejuſmodi periculoſa eſſe non nego, quum animum ad conſenſum illiciant; pauci vero ſint, qui cupiditatibus ſuis imperare queant. Quod ſi ergo ſola ſpectatio ad conſenſum ac perpetrationem peccati mortalis poſſet inducere, atque is qui ſpectaculis delectatur, à proximo de ſcandalo, quod ex ejuſmodi ſpectatione oriri poſſet, admoneretur, ille vero contemta hac admonitione, ad ſpectaculũ nihilominus pergeret, & ſcandalo occaſionem daret; peccaret ſane mortaliter. Hinc ſacri Canones ſacerdotibus ſpectacula ejuſmodi prohibent, utpote in quorum vita major honeſtas ac puritas requiritur. Mihi quidem ita videtur, pleriſque illis ſpectaculis neminem meliorem, multos vero deteriores fieri. Ut de taurorum (in Hiſpania uſitatis) venationibus dicam; quis taurum laudat aut videre in arena geſtit, niſi qui tamquam œſtro percitus, obvia quæque proſternat atque obterat? Ex quo fit, ut qui ſpectaculo ejuſmodi delectantur, gaudium gaudeant, quod proximi cruore ſit aſperſum. Scio quid noſtri mihi replicaturi ſint, hanc ſcilicet antiquam eſſe conſuetudinem, quęque à magnatibus hodie præcipue uſurpetur. Ego vero has impiæ & crudelis ſuperſtitionis reliquias eſſe aio, ex gladiatoriis illis Romanorum ludis relictas, apud quos ad duo gladiatorum millia ſemper parata erant, non alium in finem, quàm ut populum cruore ſuo oblectarent, mutuis vulneribus ſe lacerando ac necem inferendo. Ut nihil dicam de elephantibus, leonibus, urſis, aliiſque beſtiis, quæ vel inter ſe, vel cum hominibus committebantur: in quo dici vix poteſt, quantum auri impenſum, & quantum humani ſanguinis abſumtum ſit. Ex his & ſimilibus actibus quid aliud exſpectari poſſit, quàm morum corruptio & animi depravatio? In his caſtitati vis affertur, his animi hominum efferantur, ut tauris ipſis evadant ferociores. O vanam ambitionem! Videas hic audaculum aliquem tamquam alterum Herculem ſe circumſpicere, & quovis triumpho dignum putare, quod petulantius tauro occurrerit, vitamque ſuam periculo objecerit. Matronæ interim & virgines ſpectantes pudoris ſui velum ſæpe in taurorũ cornua velut abjiciunt, ac bonæ famæ faciunt jacturam. Quod ſi corpore integræ domum redeant, animo tamen inflictum vulnus ſecum reportant. Quinetiam ejuſmodi oblectatio, interfectorum ac vulneratorum, amicorumq; lachrymis ſæpe miſcetur ac diluitur.

Eccleſiaſticis ſpectacula prohibita.

Taurorũ Venatio.

Ex quibus omnibus perſpicue liquet, omnes eos qui ſpectaculis ejuſmodi, quæ mortalem peccatum conjunctum habent, cauſſam, occaſionem, conſilium vel auxilium præbent, mortaliter peccare: tum illud quoq;, hominum vitio & abuſu malum fieri poſſe, quod ſua natura bonũ eſt. Quum ergo inde facile quid de duello, tam naturali quam divinæ legi repugnante, ſentiendum ſit, colligere poſſis: etiam atque etiam rogo te atque obſecro, ut Deo potius vindictam committas, quam ſingulare certamen cum adverſario ſuſcipias; nec dubites, quin Deus jus tuum alia ratione oſtenſurus, tuamque hanc pietatem tam in hac quam altera vita remuneraturus ſit. Quem eundem precor, ut ad omne opus bonum te perducere, omniaq; mala conſilia ac cogitationes, caſuſque adverſos à te averruncare dignetur. Medinæ Campi ultimo Julii M D XXXVII.

Dehortatio à duello.

Ad ANTONIUM ACUNAM, EPISCOPUM Zamorenſem.

EPISTOLA.

Qua graviter eum reprehendit, quod rebellium contra Regem ducem ſe præbuerit.

SAlobrenna equitum tribunus, *Reverende Epiſcope ac tumide Prælate*, litteras tuas mihi reddidit: quæ etſi ita neligenter atque intricate ſcriptæ fuerant, ut in iis legendis initio hæſitarim, mox tamen non tam epiſtolam quàm hoſtilem libellum eſſe deprehendi, quo Zamorenſis Epiſcopus amicitiæ meæ repudium mittit, & vitæ meæ interitum minatur. Inimicitiæ vero hujus cauſſam eſſe dicis, quod nuper Villabraximæ PetrumGironum à te abſtraxerim, eique perſuaſerim, ut Regi potius ſervire quàm tuam factionem ſequi vellet. Equidem ſi ita vis, inimicitiam tuam accipio, ac pro inimico me haberi non abnuo, hac tamen conditione, non ut alter alterum inter-

Amicus à malo revocandus.

interficiat, ſed examinet; non ut ferro, ſed ut rationibus inter nos pugnemus, ex quibus facile manifeſtum fiet, uter noſtrum magis in culpa ſit, ego qui Regem ſequor, an tu, qui regnum perturbas. Memini puerum me Treceni patruum ac patrem meum vidiſſe, atrato veſtitu luctum è morte patris tui teſtantes. Poſtquam vero nuper te Villæbraximæ vidi non militum modo cohortibus ſtipatum, ſed ipſum quoque totũ armatum, ſic mecũ cogitabam, æquius multo eſſe, ut vitam filii quam patris mortẽ lugeamus. Divinus Plato neſcire ſe dixit, utrum ex his magis dolendum ſit, nempe mors bonorũ, an vita improborum: ſiquidem bonis viris nihil tam moleſtum eſt, quàm videre bonos immatura plerumque morte ante tempus abripi, malos econtra ad decrepitam usque provehi ætatem. Græcus quidam Philoſophus rogatus, cur Socratis mortem tam multis lachrymis defleret, reſpondit, non tantum dolorem ſibi Socratis obitum, quam Alcibiadis afferre vitam: quæ & diis ipſis odioſa, & hominibus noxia ac ſcandaloſa futura ſit. Joannes Cuazo Eques Medinenſis jam olim mihi narravit, ſe quum patris tui aulæ præfectus eſſet, non toto ſemeſtri quatuor tibi nutrices conduxiſſe. Adeo in nutricatione ferocem, & in ſugendo lacte importunum te fuiſſe. Quod ſi, Domine Epiſcope, in infantia tam ferox & importunus, & in juventute tam moroſus fuiſti, æquum ſane fuerat, ut vel in ſenectute tandem placidiores mores ſectareris. Et quia ætas tua à ſeptuaginta annis non longe abeſt, recte facturum te judico, quum optimæ ætatis florem Mundo conſecraris, ut Deo vel fæces ſaltim ne ſubtrahas. Quia etiam vitæ tuæ vindemia ac meſſis jam præteriit, ac nil niſi triſtis hyems ætatis reſtat; multo magis è re tua fuerit, ſuperioris vitæ culpas ac peccata agnoſcere atque emendare, quàm ſeditioſis ducem te præbendo, noxam contrahere ceteris omnibus capitaliorem. Quod ſi Dei ac Salvatoris noſtri, qui te creavit ac redemit, exemplum ſequi nolis; ſaltim patris tui Ludovici Acunæ veſtigiis inſiſte, ad cuius fores multi quotidie pauperes paſti ſunt, quum ante tuas non pauperes, ſed milites excubent; nec Dei laudes, ſed perjuria ac blaſphemiæ audiantur. Quod ex militibus nonnunquam clerici fiant, ferri poteſt, at ex clericis milites fieri, non bonis tantum moribus, ſed ipſi etiam rationi ac pietati repugnare mihi videtur. In quo tanto tu gravius peccaſti, quod non ſolum miles

Mors bonorum, vita malorum.

Vrit matures &c.

Exempla majorũ movent.

ipſe factus es, ſed trecentos inſuper clericos è diœceſi tua Tordeſillam traduxiſti, non ut Reginæ miniſtros peccata ſua confitentes audiant atque abſolvant, ſed ut urbem contra Regem defendant. Ut vero invidiorum voculas & obtrectationes vitares, atque animas ad faciliorem ſalutis viam perduceres; in ipſo Quadrageſimæ principio Zamora eos abſtraxiſti, ac tamquam bonus Paſtor ac Prælatus, ſcilicet, confeſſionis neceſſitate liberatis, pugnandi provinciam demandaſti. In conflictu nuper ad Tordeſillam meis oculis ſacerdotem vidi, ſtantem pone arborem, qui diverſis unius ſclopeti ictibus undecim interfecit. Illud vero pulcrum inprimis ac pæne ridiculum mihi videbatur ſpectaculum, quod idem eis quos globi ictu interficiebat, ſclopeto decuſſatim in crucis formam ducto, prius benedicebat. Eundem antequam prœlium finiretur, vidi ictu in fronte accepto proſtratum, & ſine ulla confeſſione, aut benedictione ſubito exſpirantem. Quam rationem, putas, Epiſcopi, qui clericum hanc ab Eccleſia abduxit, & clerici, qui tot homines interfecit, anima Deo aut hominibus reddet?

Martiĩ ſacerdotis exemplum.

Non recte fecit, quisquis tibi olim deſerendæ militiæ auctor fuit, at qui Eccleſiaſtico ordini te adſcripſit, graviſſime mihi peccaſſe videtur: utpote hominem inquietum ac turbulentum tam ſacro ordini ingerendo, qui cædibus & incendiis patriam vaſtare omniaque miſcere nihil penſi habeat, neque ullo irregularitatis ſcrupulo afficiatur. Non tu mihi libros S. Auguſtini, quibus doctrinæ Chriſtianæ capita explicantur, ſed Vegetii aut alterius, quibus rei militaris præcepta traduntur, legiſſe mihi videris: idque tanto magis, quod ſæpe te haſtam manu verſantem, numquam vero librum manu, aut ſtolam humeris geſtantem vidi. Lepida mihi viſa eſt quorundam narratio, qui aiebant, te milites tuos Empudiam arcem oppugnantes, vehementer cohorratum eſſe, ut ſtrenue pugnarent, neq; mortem in tam juſta cauſſa formidarent: atque inter alia dixiſſe, nõ recuſare te, quin anima tua illis qui ita occumberẽt, comes ſit. At non es ignarus, Domine Epiſcope, milites qui ibi interfecti ſunt, à Papa eſſe excommunicatos, eſſe Regis proditores, Regni vaſtatores, raptores, ſacrilegos, ſeditioſos, ac hoſtes Dei ac Reipublicæ. Quid ergo de eo Epiſcopo ſentiemus, quid dicemus, qui talem auſus eſt effundere bla-

Epiſcopus bellator.

Malorũ mors bona eſſe non poteſt.

Digitized by Google

blaſphemiam, ac cum impiis militibus mori optavit? Quamvis minus mirum ſit, eum ut militem mori cupere, qui Epiſcopus eſſe numquam laboravit.

Si dicas, bellum hoc à te ſuſceptum, ad ſtatum Reipublicæ reformandum, & patriam ab oppreſſionibus vindicandam: occaſionem captare te dicam, rationem habere non dicam. Quid ergo? Lippis & tonſoribus notum eſt, te contra Regem arma cepiſſe, non ut Regni ſalutem defenderes, ſed ut fertiliorem Epiſcopatum conſequereris, & Albæ de Liſta Comitem Zamora ejiceres. Quæ vero cauſſa hujus belli ſit, facile ex auctoribus ac ſociis conjectura fieri poterit: quos ſi diligenter inſpiciamus, nemo erit quin ſtatim judicaturus ſit, non publicæ hic utilitatis, ſed privati emolumenti atque affectus reſpectũ haberi Ego in primis ſcio quid quæratis. Petrus Gironus id agit ut Medina Sidonia potiatur. Salvarerræ Comes lucroſius officium expetit.

Ambitio plerum queeauſſa eſt rebellionis.

Ferdinandus Davalus vindictæ cupiditatem explere ſtudet. Joannes Padilla Ordinis Equeſtris Saniacobiui magiſter eſſe; Petrus Laſſus ſolus Toleti rerum potiri vult. Ferdinandus de Hallo fratrem Tore expellere nititur. Petrus Pimentellus Salamancæ inſidiatur; Abbas Complutenſis zamoræ Epiſcopatum, Licentiatus Bernardinus præturam Valliſoletanam, Ramirus Nunneſius præfecturam Legionenſem ambit. Carolus Arellanus Soriam cum Vorabia ſuo imperio cupit ſubiicere. Tu vero, Domine Epiſcope, Toletanum Archiepiſcopatum jam tibi deſtinaſti. Vere Sapiens dicit: *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Idem de te ac ſociis tuis dici poteſt, qui contemtis amicorum admonitionibus, id unum ſpectatis atque agitis, ut quæ jamdudum in patriæ perniciem cepiſtis conſilia, ipſo opere exſequamini; rerumque ſummam ad vos trahatis. In quo neſcio utrum magis veſtram audaciam an civium levitatem admirari conveniat: quum conſtet maximas urbes: Toletum, Burgum, Valliſoletum, Legionem, Salamancam, Avilam & Segoviam ad veſtras partes eſſe traductas, libertatis ſpe deceptas: utpote quibus perſuaſiſtis, non minus quam Venetam, Genuenſem, Senenſem aut Lucenſem liberas fore Reſpublicas, quibus non regni Præfecti, ſed Conſules poſthac ſint imperaturi. Hæc ego cum animo meo conſiderans, diu quid agendum mihi eſſet incertus hæſi; adeoque conſtitueram tam inſignem procerum vanitatem & inauditam civium levitatem ſilentio omnino tegere ac prætterire. Illud enim certo certius mihi conſtat, veſtrorũ conſiliorum ſcopum eſſe, non ut civitates in libertatem vindicetis, ſed ut cives tyrannide opprimatis; & tam imperium quam publicas opes ad vos transferatis. Qui facinus aliquod ſua natura injuſtum & periculoſum aggredi volũt, non tam occaſionem quam finem atque exitum ſpectare debent. Nulla tam mala cauſſa eſt, quin bono prætextu velari poſſit. Sylla, Marius, Catilina ſub prætextu Romæ à malis gubernatoribus liberandæ, ſervitutem atque exitium Reipublicæ moliti ſunt,

Libertatis ſpe multi ſervituti ſunt oppreſſi.

Multo quidem ſatius eſt, aliquando regentium ferre vitia, quam armis vindicare. Eſt enim ea belli conditio, ut licet boni cauſſa ſuſcipiatur, omnia tamen mala ſecum trahat. Alexander Magnus rogatus, cur totius Mundi affectaret imperium, reſpondit: quum omnium diſcordiarum ac bellorum inter populos tres hæ præcipuæ cauſſæ ſint, quod diverſos deos, diverſas leges, ac diverſos Reges habeant; ſe toti Mundo imperare cupere, ut unus Deus ſub uno Rege adoraretur, & una lex ubique ſervaretur. Jam ſi te, Domine, cum magno illo Alexandro comparemus, ac conſideremus illum ut Regem, te ut Epiſcopum; illum ut paganum, te ut Chriſtianum; illum in bello, te in Eccleſia educatum; illum veri Dei cognitione plane deſtitutum, te ad ſervandam Evangelij legem ſanctiſſimo juramento adſtrictum: quis non miretur, illum voluiſſe, ut unus tantum Rex in toto Mundo eſſet, te vero id agere, ut pro uno, ſeptẽ ſoli Caſtellæ Reges obtrudas?

Unus rex, una lex.

Olim nobilitas ut unum Regem haberet, ceteros regnum uſurpantes deponebat; at jam traditores, ut plures Reges habeant, verum Regem deponere nituntur, Nec ego nec quiſquam bonorum alium Deum ac Salvatorem quam Chriſtum, nec aliam legem quam Evangelium, nec alium Regem quam Carolum habere aut ferre volumus, Quod ſi tu ac tui aliam legem aut alios Reges deſideratis, ſuadeo ut Medianæ Plebanum adeatis, qui ſingulis fere Dominicis diebus novos Caſtellæ Reges dat & aufert. Quod ut recte intelligas facetam tibi narrabo hiſtoriã.

Faceta Narratio.

Mediana, quã dixi, pagus eſt, non longe à Palomera diſtans. Ibi curionem agebat homo ſimplex, qui Joannis Padillæ ducis veſtri cauſſam tanto ardore complexus erat, ut è ſuggeſtu populo ferias & alia quæ ſolent renunciaturus, hac oratione uteretur: Vota concipite, mei Auditores, pro ſan-

ctiſſima Liga, ne diſſolvatur. Vota etiam concipite pro regia Majeſtate, Joanne de padilla; & pro uxore ejus Maria de Padilla, noſtra Sereniſſima regina, ut Deus ſalvos eos nobis & incolumes ſervet, utpote ſolos veros & legitimos Reges, quum omnes qui hactenus apud nos regnũ tenuerunt, puri puti fuerint tyranni. Hæc ille vota quum per tres ſeptimanas circiter nuncupaſſet ac repetiiſſet, tandem factum eſt, ut quædam Joannis Padillæ & rebellium copiæ in pago illo hoſpitia ſibi ſumſerint, & milites pro more ſuo, bono illi parocho omne penu & vinum exhauſerint, adeoque ancillam etiã abduxerint. Quare ſequenti Dominica ex eodem ſuggeſtu populum ſic affatus eſt, Scitis, chariſſimi mei Auditores, Joannis Padillæ milites nuper hac iter feciſſe, qui gallinas meas jugulaverunt, cibum meum abſumſerunt, vinum exhauſerunt, atque adeo ancillam meam abduxerunt. Quare volo ac jubeo, ne poſt hac pro ipſo, ejuſque uxore, ſed pro Carolo ac Joanna, legitimis noſtris Regibus, vota nuncupetis, atque omnes iſtos Toletanos Reges ad corvos ac mille diabolos faceſſere jubeatis. Ex quo perſpicere potes, Domine Epiſcope, quanto potentior hic Curio ſit quam Reverendiſſima Veſtra Dignitas; ſiquidem ille intra trium ſeptimanarum ſpacium Reges poſuit ac depoſuit, quod tu cum omnibus tuis jam totis octo menſibus efficere nõ potuiſti. Quin hoc tibi ex tripode dictum puta, non minus breve ac caducum fore ejus regnum quem vos Caſtellæ Regem facere conamini, quam ejus quem Curio hic Medianenſis fecit. Hiſce te bene valere jubeo, Deumque rogo ut gratiæ ſuæ ſpiritu cor tuum ad saniora conſilia flectat. Medina rivi ſicci, XX. Decembris M D XXI.

Facete.

Ad

EUNDEM EPISCOPUM

EPISTOLA.

In qua ei ſuadet, ut ad Regis gratiam ac ſervitium ſe recipiat

EX Quintillanæ ad me literis intellexi, quam alte quæ proxime ad te ſcripſi, in animum tuum deſcenderint. Ait enim te quam primum epiſtolam inſpexeris ac legere cœperis, ſtatim indignabundum in hæc verba erupiſſe: Ergo F. Antonij Guevaræ lingua plus poterit quam mea lancea? cui non ſatis eſt, quod Petrum Gironum à nobis abduxerit, niſi inſuper lingua ſua nos flagellet, & convicium nobis dicat. Mihi quidẽ jam tanto magis placet illa mea epiſtola, quod ejus acrimonia bilem tibi commotam, atque ipſum cor quaſi ſuccenſum animadverto. Neque enim eo ſcripſeram ut legeres tantum, ſed etiã ut perſentiſceres, quæ ſcripſi. Pharmaci amaritiem neceſſe eſt ſentiat æger, ut convaleſcat. Hoc vero unice tibi perſuadeas, parum profuturam tibi epiſtolam meam, ſi errorem ex ea tuum agnoſcas, niſi & emendes.

Aſpera ſed ſalutaris admonitio.

Te quidem ut genere Oſorium, dignitate Epiſcopum, auctoritate magnatem, profeſſione Chriſtianum, magni antehac ſemper feci, & adhuc facio: at quum mores tuos incompoſitos, turbulenta conſilia, injuſtas querelas, & vanas minas conſidero, dici non poteſt, quam mihi, nec mihi ſolum, ſed & bonis omnibus diſpliceas ac non multi precii videaris. Quin tu potius cogita, Deum eſſe, qui ſervorum ſuorum curam habeat; ac Principem, qui infideles puniat, fideles remuneretur. Non quidem tibi diſſuadeo ne miles ſis, neve armatus incedas; modo iis armis utaris, de quibus S. Apoſtolus loquitur, inquiẽs, *Arma noſtra militia non eſſe carnalia. ſed ſpiritualia.* Non cum hominibus nobis, ſed cum vitiis pugna eſſe debet. Si Senecæ credimus, Cato ex vitiis Roma exterminatis majorem, quam Scipio ex Pœnis in Africa victis gloriam conſequutus eſt. Quod ſi belligerari, totumque Caſtellæ regnum perturbare conſtitutum tibi erat, tantũ ut de Alvæ Liſtæ Comite adverſario tuo ultionem ſumeres: quid, quæſo, Rex & regina commeruerunt? Multis unius cauſſa ignoſcere, Chriſtiano dignum eſt; at ob unius peccatum quam plurimos pœnis atque incommodis irreparabilibus afficere, plusquam eſt tyrannicum. Quis ergo non dicat te non tam Zamoræ eſſe Epiſcopum quam Reipublicæ tyrannum?

Eccleſiaſticorũ qualis militia eſſe debeat.

Sæpenumero apud me cogitare ſoleo, quidnam te potiſſimum induxerit, ut proculcata omni quæ Regi debetur obedientia, ſubditos ad ſeditionem concites, exercitum conſcribas, ſeditioſis non ſocium modo, ſed & ducem te præbeas, denique & teipſũ & alios perditum eas: nullam

Ambitio turbarũ mater.

Digitized by Google

cur ex arbore ſuſpenſum me videre cupitis? Me, inquam, qui nequaquã vos ſuſpenſos, ſed emendatos & ad viam reverſos videre unicè exopto.

Narrat Titus Livius, Romæ olim patritium quendam fuiſſe, hominem ambitioſum quidem, ſed ignavum; qui conſtituent populi Romani ærarium incendio abolere. Rogatum vero quænam cauſa ipſum ad tantum facinus impulerit reſpondiſſe, illam, quod ſui nominis memoriam in ſcriptorum libris exſtare cuperet: utque ita quod multorum induſtria tamdiu congeſtum eſſet, ſua unius opera brevi momento periret. Quam ego hiſtoriam ideo tibi recitare volui, ut ſpem tibi facerem, me qui Regis noſtri ſum Hiſtoriographus, in libris meis ſeu Annalibus tui nequaquam obliturum, non quidem tamquam Patris Patriæ & pacificatoris, ſed tamquam turbulenti hominis & ſeditioſorum anteſignani. Quomodo enim ſeditionem Toletanam, mortem regii præfecti Segovienſis, Tordeſillani oppidi occupationem, captivitatem Senatus, Aloneiæ obſidionem, conjurationem Avilæ factam, incendium Medinæ, motum Valliſoletii excitatum, Tori, Zamoræ, Salamancæ defectionem, vere deſcribere poſſem, niſi Veſtræ quoque Reverendæ Dignitatis, quam par eſt, facerem mentionem? Quomodo commemorari poſſent quæ Medinæ panni tonſor Bobadilla, quæ Burgis Vera ſerarius, quæ Avilæ textor, quæ Burgis cerdo, quæ Salamancæ pellio, aliique ſeditionũ auctores alibi fecerunt, niſi tam gravi ac ſanctæ ſocietati tuum quoque nomen adſcriptum legeretur? An falſo ego te teſtimonio oneraturus ſim? ſi in ſcriptis meis dixero, vidiſſe me Villebraximæ ædes tuas machinis ac tormentis egregie inſtructas, omneſque aditus militari præſidio firmatos, menſam tuam centurionibus ac ſeditionis ducibus frequentem, cubiculum tuum ſecretius conſiliis contra Regem ac regnum initis fervens; tum audiſſe me militares manipulos una velut voce tibi acclamantes: *Vivat, vivat Epiſcopus Zamora.* Hæc omnia inquam, quę oculis meis vidi, & auribꝰ meis audivi, ſi ſcriptis ad poſteritatis memoriã, & æternã nominis tui ignominiam prodidero, an tibi injuriam facturus ſim? Quæ quidem ego æterna oblivione ſepulta eſſe malim, ſi ulla ſpes eſſet, fore ut reſipiſcas, & culpam recte factis debitaque in Regem obedientia emendes. Sed eam video animi tuĩ eſſe obſtinationem, ut citius è vita quam à propoſito diſceſſurus ſis. Equidẽ nuper quum te rebellibus ex Salamanca, ruſticanis ex Saniago, proſcriptis ex Avila, homicidis ex Legione, factioſis ex Zamora, inſtitoribus ex Segovia, cerdonibus ex Toleto, calcariis ex Valliſoleto, doliariis ex Medina aliiſque id genus viliſſimis & perditis hominibus cinctum ac ſtipatum vidiſſem, dici non poteſt quantopere vicem tuam miſeratus ſim, præſertim quum animadverterem, horum omnium voluntates ac ſtudia ſollicite tibi devincienda atque enixie retinenda eſſe, illos vero imperium tuum ſuſque deque habere, nihilque niſi quod ipſi velint, facere. Iſti namque vani ac leviſſimi homines qui à veſtris jam ſtant partibus, minis adducti vos ſequuntur, precibus retinentur, aluntur promiſſis, ſpe vivunt, laborant ſuſpicionibus, mercede conducuntur, contemnunt præſentia, futuris inhiant, numquam ſatiantur, non denique juſtiorem cauſſam, ſed opimius ſtipendium & certiorem prædam ſequuntur. Illud inter noſtram & veſtram partem intereſt, quod nos qui Regem ſequimur, gratiam ac præmium exſpectamus, vobis vero pæna metuenda eſt, quamvis interim vana ſpe vos ipſos lactetis. Neque enim nos latet, te quidem Toletanum Archiepiſcopatum, Joannem Padillam Equeſtris S. Jacobi Ordinis Præfecturam, Abbatem Compluti Epiſcopatum Zamorenſem, Priorem Valliſoletanum Epiſcopatum Palentiæ ſpe jam devoraſſe. Novimus etiam Petrum Pimentellum, Maldonatum, Quintanillam, Sarabiam, Licentiatum Bernardinum, Doctorem Cabecam de Vacca annuos multorum millium proventus ſibi pollicere. Scimus Ramirum Nuneſium & Joannem Bravum Illuſtriſſimos jam velle appellari, quorum unus Chinconi, alter Lunæ Comes jam factus ſibi videtur. Atqui vereor ego ne eorum alter, vel uterque etiam caput citius amiſſurus, quam voti compos futurus ſit. Ad re vero ut redeam, Domine Epiſcope, etiam atque etiam hortor te ac moneo, ut rei gravitatem melius perpendas, culpam non deteſteris tantum, ſed & emendes, cogiteſque, eam fuiſſe ſemper & eſſe Caſtellani regni erga Reges ſuos fidelitatem, ut plures uno Rege ferre non poſſit, atque unius tantum legem atque imperium agnoſcat. Tordeſilla X, Martij MDXXI.

Nominis cura prima eſſe debet.

Quam multa indigna rebelles committant,

Vulgi rebellis ingenia ac mores.

AD

Digitized by Google

eam dignitatem adhuc ſis promeritus, nec quidquam ille fecerit cur munere ſibi demandato indignus videatur,

Hæc tamen ſalutaria conſilia, admonitiones tam ſeriæ, præces tā importunę, tam præclaræ pollicitationes, obteſtationes tā vehementes, quibus tū erga te uſus ſum, nequaquā profecto hominis verſipellis, aut ficti amici fuerunt, ſed ejuſmodi, quæ à patre in filium, à fratre in fratrem, ab amico in amicum poſſunt proficiſci. Utinam pariter & uno velut obtutu tam meum quam Ferdinandi Davali cognati tui animum poſſes inſpicere! Mihi crede, tamquam in ſpeculo viſurus ſis, te à me amari, à Davalo seduci: manum tibi à me præberi, à Davalo pedem ſupponi: monſtrari tibi à me vadū, in verticem ab illo te præcipitari: vulnus tuū à me curari, ab illo exaſperari: fortunas denique tuas, famam & vitā in ſummum periculū devocari. Quod ſi meo uſus conſilio, relictis ſeditioſis, ad regias partes te recepiſſes, armaque quæ contra patriā ſuſceperas, quo patria vertiſſes, nomen tuum in libris meis, clarorum & fortium quos Hiſpania protulit virorum, Viriati ſcilicet, Cidi fortunati cognomine, Comitis Ferdinandi Conſalis, Tirani, magni Capitanei Conſalvi, & aliorum fere innumerabilium, quorum virtutes non minus imitatione quā laude dignæ ſunt, catalogo adſcriptum poſteritas lectura eſſet. Nunc quoniā Ferdinandi Davali & aliorū rebelliū obſequutus libidini, tā Regi quam patriæ nefarium bellum inferre paras, quid aliud poſſum, quam ut te famoſis Hiſpaniæ tyrannis quietiſq; publicæ perturbatoribus accenſeam? quales fuerunt Alcaldus de caſtro Nunno, Ferdinandus Centenus, Capicus Capitaneus, Villæ albæ Dueilla, Pettus Pardus, Alphonſus, Truxillus, Lupus Carraſcus, & Tamaius cognomine lævus: qui omnes olim Joanni & Henrico Regibus rebellarunt, in eo tibi diſſimiles, quod in ſua tantum quiſque ditione ac civitate tyrannidem exercuit, quum tu univerſum Caſtellæ regnum exagites ac vexes.

Clari viri in Hiſpania.

Seditioſi

Rebellionis exitus quis.

Quis ſcopus tuorum conſiliorum, quis finis actionum ſit, equidem neſcio: hoc tamen ſcio, ſi vel maxime injuſtum hoc propoſitum ad exitum perduxeris, nullam à quoquam tibi gratiā aut præmium: at ſi conatu tuo fruſtratus fueris, certam tibi à Rege pœnā exſpectandam eſſe. Cave putes unquā fore, ut Caſtella à legitimo ſuo Rege deficiat, aut à regni invaſoribus ac tyrannis imperari ſibi patiatur. Quū ſuperiori tempore Medinæ campi ad me veniſſes, egoque in tuo comitatu vidiſſem Veram calcarium, Villoriam pellionem, Bobadillam panni tonſorem, Penuelam inſtitorem, Onoriam ferarium, Mendeſium librarium, & Lareſium ſigniferum, vehementer ſtatim cohorrui, ut qui facile proſpicerem, quo tandem hæc res eſſet evaſura. Videbam quippe, te cæco animi affectu, illos cupiditatibus ſuis abreptos, ſpreto rationis imperio, in abrupta ac præcipitia ferri.

Etiamſi vero vita peccator, ingenio ac moribus ſimplex, habitu pauper religioſus ſim, non tamen meum conſilium aſpernari debebas: ſiquidem, Platone atque ipſa veritate teſte, multum iis debemus, qui à malo nos deterrent, & ad bonum erudiunt ac exhortantur; multoque ſatius eſt ex alterius admonitione errorem emendare, quam ſtulta obſtinatione ſe ſalutemque ſuam perdere. Quod ſi prius Toleti, ut poſtea Medinæ, ſermonem tecum conferre mihi licuiſſet, non dubito, quin tibi perſuaſurus fuerim, ne hiſce turbis te immiſceres. Excelſi enim & magni animi vir (ut Trajanum Imperatorem dixiſſe accepimus) numquam aggreditur, quod perficere non poteſt; ne ab eo quod magna ſpe incœpit, cum ignominia deſiſtere cogatur.

Ne velis quod nō potes.

Scis ipſe, pleroſque omnes qui partes veſtras ſequuntur, fures eſſe, latrones, homicidas, perjuros, proditores, blaſphemos, proſcriptos, ac perditæ vitæ homines: qui etſi abjectiſſimi ſint & ipſius vulgi fæx, blanditiis tamen & promiſſis, non minus tractandi, rogandi tibi, non cogendi ſunt. Neque enim id ſpectant aut agunt, ut Rempublicam oneribus ſublevent, ſed ut aliorum fortunis ſe collocupletent. Mihi crede, quamprimum vel Rex in regnum revertetur, vel tu adverſum committes prælium, vel ſtipendia non mature ſolves, ſtatim in te ruent, in te arma convertent, nec deſerent modo te, verumetiam ultro vendent ac prodent. Habe rationem, quæſo, ætatis tuæ adhuc juvenilis, familiæ tam nobilis, cognationis tam honoratę, ac cæterarum quas Deus in te contulit dotium, inutilium tibi plane, niſi quamprimum reſipiſcas. Ne quidem ſi audias, à ſeditioſis diſcedes, regiiſque te adjunges partibus; nihil dubitans, Regem, qua eſt manſuetudine ac clementia, regioſque Præfectos ac Gubernatores, qui ſalvum te unice cupiunt, non tam præteriri errati quā præſentis officii rationem habituros. Ab hoc propoſito cave te illa cogitatio avocet, fore ut

Ee levi-

Digitized by Google

Vulgi judiciū non pertimeſcēdum.

levitatis tibi inde, vel etiam proditionis nota impingatur. Neque enim ullis litterarū monumentis illi qui Regibus ſuis fidem, & obſequiū præſtant, ſed qui legitimo magiſtratui rebellant, proditores perhibentur. Ignaviæ inſimulatus Eques nobilis, torporem excutere; garrulitatis, linguæ moderari; voracitatis, gulæ temperare; ſuperbiæ, criſtam ponere; libidinis, voluptates fugere: iracundiæ, animum cohibere poſthac poteſt: at proditionis macula nullo colore pingi, ac ne toto quidem Oceano elui poteſt. Neque Rex ita eſt iratus, neque regnum ita perturbatum, neque Gubernatores ita exaſperati, nec deniq; eo loco adhuc res eſt, ut nullus ad veniam Regiſque ſervitium pateat receptus. Quod ſi tu etiamnū facere volueris, fide Chriſtiana tibi promitto. ac lege boni viri juro, quamprimum pœnitentiæ tuæ fidem mihi feceris, me non ſolū veniam tibi procuraturum, ſed etiam ſtilū omnino verſurum. Cum Montalbano, qui has ad te fert, multa ſecreto loquutus ſum: quibus ut ille fidē habuit, ita ei à te fidem haberi velim. Sin in propoſito mihi omnibus amici partibus hactenus functo, poſthac cōmune tecum futurum Vale. Medina Campi, VIII. Martij MDXXI.

AD MARIAM JOANNIS PADILLÆ UXOREM, EPISTOLA.

Ejuſdem cum ſuperiore argumenti.

Narſetis laus.

QUo tempore Juſtinianus Imperator in Orientali Imperio ſedē habebat, eiuſdē nomine Narſes, nō minus belli quā pacis artibus præclarus vir, Occidentale Imperiū adminiſtrabat: in quo uno Romani dicebant ineſſe robur Herculis, Hectoris audaciam, animum imperterritū Alexandri Magni, Pyrrhi ingenium, animū Antæi, & fortunam Scipionis. Hic quū devicto Totila Gothorum, aliiſque Regibus, non Italiam modo, ſed & Galliam ac Britanniam pacaſſet, eoque urbem triumphans ingreſſus eſſet, apud Juſtinianum delatus eſt quaſi affectati imperii reus. Quo accepto, Narſes Byzantium profectus eſt, ut corā apud Imperatorem ſe purgaret, calumniamq; invidorū refutaret. Magno vero apud Sophiā Imperatoris conjugem odio laborabat Narſes, ſive ob opes privati modum pæne ſupergreſſas ſive quod ſolus fere imperium adminiſtrare crederetur, ſive, ut alii dicunt, quod eunuchus eſſet. Quum ergo die quodam Narſes in palatiū veniſſet, Imperatrix ut pectoris ſui virus contra eū evomeret his eum verbis affata dicitur: Quandoquidē ſemivir tantum es, Narſes, & fere nihilo plus quàm mulier, ſua ſerim ut depoſito imperio in gynæceum meum te conferas, ibiq; colum & lanam tractes. Quanto vero majori animo atque auctoritate erat Narſes, tanto altius in ejus animum verba hæc deſcenderunt; adeo ut vultu expalleſcente, oculiſq; illachrymantibus reſponderit: Mallē equidem ò Imperatrix, ut me velut domina & hera quo velles cruciatu, quā velut mulier convicio afficeres; neque tam ægre mihi faciunt verba à te mihi dicta, quā reſpondendi mihi impoſita neceſſitas. Subjunxit deinde: Jam ego in Italiā proficiſcor, ubi ejuſmodi telam exordiar, quam neque tu neque vir tuus poteritis detexere.

Narſes convicio exceptus.

Sed ut ad rem veniam, Epiſtolam tuam Abbas Complutenſis mihi reddidit, tantæ arrogantiæ ac temeritatis plenam, ut ejus lectio Abbati quidem verecundiam, mihi vero etiam ſtuporem incuſſerit. Primum vero idem quod Narſes tibi reſpondeo. non tam mihi moleſta eſſe atque acerba quæ ſcribis, quam ea quæ reſpondere cogor. Video namque pennæ meæ cum tua lingua decertandum eſſe. Ais, legiſſe te litteras ad maritum à me ſcriptas: ex quibus perſpexeris me nugacem eſſe Monachum, tumidū, arrogantem, ac plane irregularem; qui ſi unus ex ſecularibus eſſem, non modo non publice iſta loqui aut ſcribere, ſed ne in angulo quidem murire auſurus ſim. Exprobras etiam, Petrum Gironiū à me ſeductum, & tentatum Zamoræ Epiſcopum. Addis, Villæbraximæ me publica oratione in Ligam veſtram invectum eſſe: & ab verbis meis veritatem, ab actionibus fidem abeſſe. Conviciis deinde, minis, & omni contumeliarum genere me inceſſis, ob litteras ad maritum tuum ſcriptas, & conſilium ipſi à me datum; atque ex eo tempore ſemper cogitabundum ac triſtem receſſiſſe ais. Me denique impudenter calumniaris Gubernatoribus palpum obtrudere, ſeducere confœderatos, abſterrere milites, inſectari Communitatem, multa pro regiis mandatis, quæ nō ſint, ad populū jactare, adeoque totū Caſtellæ regnū hinc inde cōmeando perturbare. Hæc quidem præcipua ſunt epiſtolæ tuæ capita, aliaq; memoratu indigna: ad quæ dū reſpondeo, non ægre feres, quū prior percuſſeris, ſi & ipſa pugni mei vires ſentias.

Stultis ſecundū ſtultitiā reſpondendum.

Prim•

Principio in eo quòd dicis, me,ſi Religioſus nō eſſem, iſta nequaquā ad maritum tuum ſcribere auſurum fuiſſe,plane tibi aſſentior. Quum enim Bertrami Guevaræ ſim filius, & Ladronis Guevaræ cognatus, equidem ſi extra Religionē adhuc viverem,non penna,ſed gladio decertandum,non ſtilum,ſed lanceæ euſpidem acuendū, nec argumentis ac perſuaſionibus, ſed pugno & armis maritum tuum vincendum mihi ſim exiſtimaturus: quum controverſiæ in quibus de fide ac proditione agitur, non verbis ſed armis, inter Nobiles præſertim, diſceptandæ ſint. Jam vero quum profeſſione ſim Chriſtianus, habitu & ordine Religioſus, officio Concionator, genere Nobilis, cui nihil cū ſeditioſa plebe commune: quis vitio mihi vertat,ſi quod verū eſt dicā,juſtāq; cauſsā defendā,& Ligiſtarū impugnē conjurationem? Juſtā vero causā eſſe exiſtimo Nobilium,qui noſtra,id eſt,Regis caſtra ſequūtur:neque enim vias obſidenr,nō ſpoliant eccleſias,nō cōculcāt ſegetes,nō domos incendunt, ruſticanorum hominū fortunas non diripiunt, perditis hominibus receptum non præbenr,ſed pro lege ac Rege pugnanr. Pro ſeditioſis habeo Ferdinandum Davalum, qui primus fuit conjurationis auctor: te, Domina,quæ eam alis: maritum tuum,qui eā defendit: Zamoræ Epiſcopum,qui eam ſequitur: Petrum Gironum, qui ſuam ei addit auctoritatem: Petrum Laſſum,qui eam laudat: Sarabiam,qui eā deprædicat: Quintanillam,qui pro ea quod poteſt facit, Caroſum Arellanum,qui eam in præcordiis habet: & Petrum Pimentellum,qui quos poteſt ad eam trahit:qui tamen omnes nec quem ſequantur, nec quid petant ſciunt. Mihi quidem, ut dixi, ſatis conſtat, primum hujus conjurationis eſſe auctorem Ferdinandum Davalum: ſed & illud ſcio, de conventu Avilæ habendo totoque Caſtellæ regno ad ſeditionem concitando, prima in tuis ædibus inita fuiſſe conſilia: ſic ut ille quidem ignem poſuerit, tu vero ſufflaveris, Totius hujus mali prima cauſſa fuit, Gribaltarenſis Præfectura Ferdinando Davalo erepta: qui magnam Iræ molem animo coquens, tua inprimis perſuaſione maritum tuum Joannem Padillam, Padilla Gironum, Gironus Laſſum, Laſſus Abbatem Complutenſem, Abbas Cōplutenſis Zamoræ Epiſcopum, hic Licentiatum Bernardinum, Bernardinus Sarabiam, hic ceteros miſerabiles in hac velut Litania comprehenſos,ſeduxit.

Alia ſeculari, alia eccleſiaſticum decent.

Conjurationis primores.

Sæpenumero mecum ego cogitavi, atque ex aliis etiam percontatus ſum, quænam cauſſa ſit, ut tu quoque, atque adeo inter primas,tam periculoſis rerum novarum conatibus non aſſentiri modo, ſed & ſupra ſexum operam præſtare non dubites. Intellexi vero ex cognatis ac neceſſariis tuis, te vel divinaſſe vel ſomniaſſe, maritū tuum Equeſtris Ordinis S. Jacobi Magiſtrū eſſe factum. Quod ſi ita eſt, vereor ego,ne ſomnium tuum aliter eveniat,& non mariti tui collo crux (militiæ illius inſigne) ſed collum ipſius cruci appendatur. An tu putas dignitatem hanc iſthoc modo comparari? qua ſi maritum tuum ornatum videre cupis,longe aliā viam ei monſtrabis,aliaq; ſuggeres conſilia. Neque enim ſuperiores Magiſtri eam conſequuti ſunt ſeditionibus patriam perturbando, ſed contra Mauros in regno Granatenſi & alibi fortiter pugnando. In omnibus terræ partibus inveniuntur amici & inimici, bene contenti & malecontenti, divites ac pauperes, felices ac miſeri, fideles ac infideles. In eo vero fideles ab infidelibus dignoſcuntur, quod illi Regi ac legitimo magiſtratui obedire ac ſervire: hi vero aliorū fortunas diripere ac dignitates involare ſibi habent propoſitum. Quem vero exitium ejuſmodi conjurationes ac ſeditiones habeant, ſuperiorum temporum hiſtoriæ te docebunt. Ibi enim invenies Joannem regem mortuum, Henricum interfectum, Petrum Pardum decollatum, Caſtri Nunni Alcaldum in exilium ejectum, Capicum aqua ſubmerſum, Ferdinandum Centenum laqueo ſtrangulatum, alios alio ſupplicii genere affectos: quum tamen ea eſſent tempora, quibus ei qui plus poterat, plus licebat: at jam res in eo (quæ eſt Dei gratia) ſunt ſtatu, ut qui habere aliquid aut impetrare à Rege cupit, non extorquere illud, ſed petere, ac quibus par eſt modis promereri debeat.

Honores quomodo conſequendi.

Si hiſtoriæ nos non fallunt, Mammæa ſuperba fuit, Medea crudelis, Martia invida, Poppæa impudica, Zenobia impatiens, Helena verecunda, Macrina inconſtans, Myrrha malitioſa, Domitia male ſobria: at feminam ullam ſeditionis ac proditionis notatam, legiſſe me non memini. Ne vero in hoc quoque exemplum deſit, tu jam facis: quæ debitam Regi obedientiam non ſubtrahis tantum, ſed & maritum tuum atq; alios ad idem impellis: atq; ita æternā generi tuo maculam inuris. Felicē te alii forſan putant, ut quæ tam nobili atque antiquo genere orta ſis, patremque habueris cū paucis ſui tem-

Vitia fœminarum.

Digitized by Google

poris comparandum ; at ego tam tuam quam mariti tui ſortem deplorandam puto : tuam quidem , quod maritum tam imprudentem , illius , quod mulierem (ſi modo mulierem) tam audacem nactus ſit. Solent alias ſuâ naturâ mulieres eſſe miſericordes : tu crudelis es : ſolent eſſe manſuetæ , tu ſæva es : ſolent eſſe quietis amantes : tu turbulenta es : ſolent pacem amare : tu bellum quæris : ut in te Villæalbæ Duciſſa nobis renata videatur.

Calamitates à mulieribus illatæ.

Aſſyriam tyrannide oppreſſit Semiramis : Helena Græciam fatali bello involvit : Romam aliquot Imperatorum matres atque uxores in extrema diſcrimina adduxerunt : aliis denique regionibus aliæ feminæ pænè exitio fuerunt : de te vero Caſtellæ regnum queritur , ac ſemper queretur , non quod tui cauſſa rebellet , ſed quod tu in eo rebellionem excitâris. Quæ jam Toleti à vobis fiant, ex eo patet, quod neque regiis mandatis , nec promiſſis Gubernatorum, nec Joannis Riberæ comminationibus, nec Varrenſis Epiſcopi precibus , nec fratrum veſtrorum admonitionibus, nec ſupplicationibus religioſorum, cives placari & ad viam reduci poſſunt : immo indies magis magiſque tam vos quam illi , abjecto omni ſtudio pacis, bellum totis viribus molimini.

Magicis artibus non credendum

Servam quoque habere diceris, magicis artibus deditam : quæ tibi perſuaſerit , brevi fore, ut tu & maritus Illuſtriſſimi dicamini, id eſt , ut tu reginæ noſtræ, ille Regi ſuccedat. Id etſi adduci vix poſſum ut credã, ſi tamen ita eſt , etiam atque etiã te moneo atque hortor , ne fidẽ habeas diabolo. Joſepho quidẽ, & divinitus quidem ſomnium objectum eſt, quod dominium ipſi ſuper fratres portendit : at ſe à fratribus venditũ iri, non prævidit. Fieri ſane poteſt, (hæc enim diaboli eſt vafrities, ut vera falſis admiſcendo , his per illa fidẽ cõcilier , ut malefici prędixerint, Regẽ ex regno abiturũ, celebrem fore tui nominis famã , maritum tuum ad ſummos honores evectũ iri, & in Caſtellæ reg. civilẽ motum orturum : hæc, inquam, fieri poteſt, ut malefici prædixerint, eaq; ita evenerint : interim vero quis horũ exitus futurus ſit, alio ſilentio texerit, Ligã ſcilicet diſſolutum iri, ejuſque auctores ac ſocios capitis pœnam daturos. Zoroaſtres, Tullus Hoſtilius , ejuſque filia, & innumeri alii artibus his uſi ſunt , commerciumque cum diabolo exercuerunt, divinationibus, ex inſomniis præſertim, deditis : at ſi in vitam hanc reverſi loqui nobiſcum poſſent, Deus bone, quæ ludibria , quas fraudes , quibus in hac vita decepti ſunt : tum quas pœnas ac cruciatus , quibus jam ab ipſo afficiuntur, nobis ſint expoſituri ! Neminem certe ego legi aut audivi iſtas artes tractaſſe, quin non modo levis, ſed & parum Chriſtianus fuerit habitus : neque enim diabolus ideo cum hominibus amicitiam colere ſe ſimulat , ut de rebus futuris eos præmoneat , ſed ut eos decipiat , & tam corporis quam animæ exitio involvat.

Diaboli aſtutia.

Sacrilegium multa religione patratũ.

Lepida inprimis hic quoque de te ceteriſque tuis factis narratio circumfertur , te ſcilicet Toletanæ eccleſiæ ſacrarium ingreſſam, ut quod ibi erat auri atque argenti inde aſportares, non quidem ut ſacra illa vaſa aurifici renovanda , ſed conflanda dares atque inde ſtipendium militi exſolveres ! Sed placent inprimis ceremoniæ quibus hac in re uſa diceris. Ajunt enim, te ſacrarium genibus ingreſſam , lugubri amictam habitu , inter ſingultus & lachrymas crebro pectus percutientem, duabus prælatis facibus. O pium furtum ! o religioſum ſacrilegium ! o felix argentum , quod tanta cum devotione , tam ſacris cum ceremoniis ex eccleſia ſurripi atque auferri meruiſti ! Ceteri homines quando furantur, timent , quando vero ſuſpenduntur , plorant. Tu vero Domina plane contraria uteris ratione : & credo ſane , quum in furto plores, te olim in ſupplicio riſuram. Ad munus Apollini Delphico mittendum Romanæ matronæ omnia ſua ornamenta aurea atque argentea olim contulerunt : quod deorum templa magis quàm hominum membra ornanda putarent. Credo equidem ſi tum vixiſſes , non meliorem te Romanam, quam Chriſtiana jam es , futurã fuiſſe. Neque enim credibile eſt , te corporis tui ornamenta Apollinis templo donaturam fuiſſe, quum argentum è Toletana eccleſia auferre non dubites. Militaribus ſtipendiis aliquid detrahere quod eccleſiæ donetur, licere puto ; at eccleſiæ theſaurum inter milites diſtribuere, ſacrilegum eſt facinus, & ſub excommunicationis pœna interdictum.

Romanarum matronarum pietas.

Exhortatio.

Quod ſupereſt, humiliter te rogo atque oro, ut à peſſimis iſtis facinoribus deſiſtas, cives non ad rebellionem , ſed obedientiam cohorteris , portas urbis aperias , mariti tui vitam ſalvam præſtes, animum tuum ad quietem componas, magicas artes ad Orcum releges , civitatis denique Toletanæ totque innocentium hominum miſerearis. Si namque res uti cœperunt , procedant,

cedant, nos quidem errata veſtra deflebimus, vos vero ipſi luetis atque expiabitis. Medinæ ad Rivum ſiccum XVI. Janu. M D X X I I.

ORATIO

Ab Auctore Villebraximæ habita: qua Ligiſtas hortatur ut ad officium & obedientiam redeant.

DEum immortalem, à quo creatus ſum, teſtē invoco; & per ſanctam hanc eccleſiā juro, in iis quæ dicturus ſum, me nō id ſpectare aut agere, ut cuiquam moleſtiam aliquā creem, multo minus inſidias ſtruam; ſiquidem habitus iſte religioſus quo veſtitū me videtis, & generis è quo prognatū me ſcitis, Nobilitas atq; excellentia nequaquam permittunt, ut ullam animo incluſam malitiam geram, aut in verbis fraudem ac perfidiam oſtendam. Sunt inter vos quibus indoles mea atque ingenium ſatis notum eſt: me ſcilicet tam in privatis quam publicis ſermonibus ſumma uti parrheſia, ab omni etiam adulatione alienum, in reprehenſione vero candidum eſſe ac ſincerum.

Fraus à Religioſo & Nobili abeſſe debet.

Heri, primo novi hujus anni die, coram regni hujus Gubernatoribus ac Magnatibus ſermonem habui: in quo quum multa monere viſus eſſem, quæ in Reipublicæ adminiſtratione circūcidenda atq; emendanda eſſent, quamprimum ad vos ire juſſus ſum, ut quemadmodum illis, ita vobis quoque errorem veſtrum oſtenderem, tradito hoc quo Legationi meæ fidem facerem diplomate, itemque a Cardinali, Almirante & Coneſtabili ſubſignata Inſtructione, è qua cognoſceretis, quid illi Regis nomine à vobis poſtularent, quidque viciſſim offerrent: ut ita ſublato omni motu atque inteſtino bello, pax quāprimum patriæ redderetur.

Equidem intra ſeptemdecim dies ſepties jam huc cōmeavi, ut de pacis conficiendæ rationibus vobiſcum conferrem. Quia vero à Gubernatoribus interdictum mihi eſt, ne poſthac amplius huc redeā aut vobiſcum tractem. Illud jam ſupereſt, ut alter alteri hodie extremū vale dicamus, & vel pacem faciamus, vel bellum denunciemus. Quia enim utrimq; copiæ tā prope inter ſe abſūt, vitari vix poteſt, quin prope diē inter ſe concurrant, præliumque conſerant. Equidem ſententiam meam breviter vobis dicam & quæ in mandatis habeo exponam, ut conſiliū ex iis quæ audietis, quæque jam videtis, capiatis, deque iis quæ reſpondenda mihi aut facienda vobis videbuntur, ſtatuatis.

Gravia negocia procraſtinationem non ferunt.

Ante omnia facere non poſſum, quin de injuria à Lateſio militum præfecto mihi illata, conquerar, ut qui tam verbis quam factis me indignis modis tractarit, quamvis probe ſciret, ab eo qui tamquam pacis patarius & mediator inter duos exercitus commeat, omnem injuriā abſtinendam eſſe. Quare proteſtor, ſummam ab illo mihi factam injuriam, dum mihi tamquā proditori manus injecit, & tamquam furem captivum duxit, me, inquam, qui Regis nomine à Gubernatoribus miſſus ad vos venio, eum in finem ut ſedato bello, pax optatiſſima conficiatur. Tanto vero acerbior mihi hæc eſt injuria, quod ab eo homine proficiſcitur, qui ſi in ſæculo adhuc verſaretur, clientium meorum numero adſcribi pro felicitate ſibi duceret.

Acerbior eſt ab inferiori injuria.

Sed his omiſſis, breviter vobis exponam, quæ & quanta pericula poſt Regis diſceſſum & civilem hunc motum excitatum, ſuſtinuerim, quantaſq; moleſtias devorarim: ex quibus facile intelligetis, quæ dicturus ſum neque divinatione mihi cōperta, neque in ſomnis objecta, ſed hiſce oculis viſa hiſque auribus audita eſſe. Scitis ipſi, ſocietatis hujus ſeu conjurationis primum auctorē eſſe Ferdinandum Davalum, ducem Petrū Gironum, Joannē Padillam ſigniferum, advocatum Licentiatum Bernardinum, Doctorē Zunigam aſſeſſorem, procuratorem Petrum Mercatū ſacellanum Abbatem Complutenſem, Zamorenſem Epiſcopū metropolitanū, ſub primis motus hujus initiis Segoviæ etiam, quando die XXIII. Maij rebelles Tordeſillis ſacram S. Michaelis ædem ſpoliarunt, ejuſque loci Gubernatorem inter duos ſubulcos, non aliter quam Judæi olim Chriſtum inter latrones, medium ex patibulo ſuſpenderunt. Avilæ eram, quando ſeditionis duces in primaria eccleſia conventu habito, pro Liga hac ſua uſq; ad extremum ſpiritū ſe pugnaturos conjurarunt. Quum vero Antonius Poncius & ego juramento iſto vel ſcelere potius nos obſtringere recuſaremus; in illius quidē ædes ſolo æquatas furorem effuderūt, me vero urbe ejecerunt. Medinæ Campi eram tum quū ab Antonio Fonſeca octingentorum haſtatorum equitum duce, civitas ea XXIII. Auguſti

Digitized by Google

Medina Campenſis ſeditio.

oppreſſa, & primoribus machinas murales tradere recuſantibus, injecto in S Franciſcanorum monaſteriũ & ædes nonnullas igne, miſerabili incendio deformata eſſet, à quo in prædicto monaſterio nihil præter venerabile Sacramentũ, in muri cujuſdam prope templum foramine à nobis reconditum, intactum evaſit. Ibidem eram, quando Bobadilla tonſor, & ſocii excitato tumultu, Nietũ urbi Præfectum, & Tellem librarium per feneſtras in plateas dejecerunt, ipſe vero Bobadilla, occupata primaria quadam domo, aſſumtaque corporis cuſtodia, veluti Caſtellæ Rege mortuo, pro civitatis domino ſeſe ferret.

Valliſoletana.

Valliſoleti erã, quando rebelles arreptis armis, Vera lorario duce, regiorum miniſtrorum bonorumq; civium domos diripuerunt, Cardinali per pontẽ, Licentiato Varga per foricam, Præſide in Franciſcanorum monaſterium, Licentiato, Capata monaſtici habitus beneficio ægre elapſis, & fratre meo Doctore Guevara jã à Senatu in Belgiũ ad Regem ablegato. Ceteros regios Conſiliarios non quidem dum caperentur, captos tamen poſtea vidi: qui jam hinc inde diſperſi, rebellium metu convenire, aut quidquam in commune conſulere, vel juſtitiam adminiſtrare non audent. Indignum itidem nuper Soriæ vidi facinus, nempe pauperem ac ſenio fractum civitatis Procuratorem ſuſpendi: non quod male feciſſet, ſed quod nonnulli male ipſi vellent.

Cetera rebelliũ facta.

Narrare vobis quomodo Coneſtabilis Burgis, Dianæ Marchio Tordeſillã, Comes Duenna, Didacus Mendoza Palentiã, Nobilitas Salamanca ejecti, eorumque muniis cerdones, ſutores, pelliones, fabri aliiq; viliſſimi homines ſuffecti ſint, mihi miſerabile narratu, auditu vobis probroſum futurũ ſit. Quid aliud tamen dicam, quã iſtorum quæ tum facta ſunt, nos omnes reos eſſe? Tã enim juſtus eſt Deus judex, ut ſi nõ omnes peccaſſemus, nõ omnes puniturus fuerit. At jam miſeri hujus regni ſtatum eò redactum eſſe videmus, ut omnes viæ à latronibus obſideantur, nulla eccleſia à perditorum hominum injuriis immunis ſit, agri inculti paſſim ſqualleant, nulli aliunde commeatus advehantur, ſileant fora, tribunalia proculcata jaceant, nemoq; adeo in ſuis ædibus ullã ſecuritatem promittere ſibi poſſit: quod indigniſſimũ eſt, omnes Regẽ verbis agnoſcãt ac profiteãtur, nemo tamẽ ſit qui legẽ ſervet, aut Regi obediat.

Mihi credite, Domini, ſi veſtri ſequaces Regem agnoſcerent, & legem ſervarent, nunquam iſta facturos, quæ jam faciunt: quia vero nec gladium vindicem, nec furcã timent, faciunt omnes quod volunt, non quod debent. Equidem neſcio quid vobis velitis, dicentes, nihil vos aliud cupere, nihil aliud agere, quàm ut regnum reformetur: quum interim, Regi debitam obedientiam denegetis, conſtitutos ab ipſo Gubernatores repudietis, Senatus regii auctoritatem eleveris, Juſtitiæ curſum impediatis, nullum deniq; magiſtratum ferre velitis: ſic ut regnum reformare nihil aliud vobis futurum ſit, quam omnem Juſtitiam è regno tollere ac profligare. Quid? An vos ullum reformandi regni ſtudium præ vobis ferre aut jactare audetis, quibus auctoribus Monachi è monaſteriis profugiunt, mariti ab uxoribus, uxores à maritis diſcedunt, vaſalli ac clientes dominos perfide deſerunt, adeoque nemo ſit, qui quod verum eſt loquatur, ſed ſub libertatis ſpecie quiſq; voluntati ac libidini animi ſui obſequatur? An hoc reformare ſit, mulierum pudicitiæ vim, virginibus ſtuprum inferre, pagos ac vicos incendere, domos diripere, abigere pecudes, eccleſias ſpoliare: adeoque nullum malum omittere, niſi quod patrare non poſſis? O egregios reformatores! quorum inſtinctu Toletana civitas rebellavit, Segovia legitimos ejecit magiſtratus, Medina incendio deformata, Halohera obſeſſa, arx Burgenſis diruta eſt: quorum ductu Valliſoletum à Rege defecit, Salamanca contra legitimum inſurrexit magiſtratum, Soria obedientiam excuſſit, Palentia apoſtatavit. Vos ſcilicet regnum defendetis, quibus auctoribus Naiara Duci, Duenna Comiti, Tordeſilla Marchioni, Chinconum legitimo ſuo domino rebellat: Legio vero, Torus, Zamora & Salamanca contra Regem ejuſque miniſtros conſpirant.

Rebellioni ſemper prætextus quæritur.

Sed facta reges futatur.

Sed operæ precium eſt audire quæ poſtuletis. Vultis ne Rex è regno diſcedat: tum ut Juſtitia æquabiliter omnibus adminiſtretur: ne monetam vel pecuniam avehendi peregrinis fiat poteſtas: ut publica munia & officia referantur indigenis: ne nova tributa indicantur: eumprimis vero, ne publica Officia ac dignitates veneant, ſed bene meritis tribuantur. Hæc quidem petere vobis licet: at de his omnibus diſponendi penes ſolum Regem eſt facultas. Neque enim bonorũ ac fidelium ſubditorum, ſed perditorum potius hominum, immo proditorum eſt, lancea & vi velle extorquere, quod precibꝰ impetrari debet.

Peregrinorum

Fatemur ipſi, Belgis publicæ rei adminiſtrationi præpoſitis, non pauca regno incommoda eve-

Imperiū indigenis moleſtū.

evenifſe: citra tamen ipſorum culpam, ut quibus noſtrarum rerum imperitia & indigenarum invidia atque odium magis quàm ulla alia res obfuerit. In quo certe gravius mihi indigenæ quā peregrini peccaſſe videntur: ſiquidem hi nec Cōmendarias, quas vocant, ambiendi, nec publica munera vendendi rationes unquam ſcituri fuerant, niſi vobis ipſis commonſtrantibus has artes didiciſſent. Quod ſi illorum accuſatis avaritiam, veſtram quoque malitiam damnate. Eſto, peccarit Cheurius & alii. An propterea culpam ipſorum miſera noſtra luet Hiſpania? Quod vos morbo huic adhibetis remedium, nō ſanando corpori, ſed perdendo facit.

Quia ergo belligerari vobis conſtitutum eſt: agite, diſpiciamus contra quem bellum geratis. Si contra Regem, recuſare cum debebat tenera adhuc ętas & innocentia. Si contra regium Senatum: is jam nullus apparet, aliis aliò dilapſis. Si contra Cheurium: is jam in Belgium rediit. Si contra Nobilitatem: quid mali, quæſo, ij vobis fecerunt! Si contra tyrannos, rogo quo jure tyranni dicendi ſint, per quos ante omnibus in regno pacifice vivere licuit? Reſtat ergo, ut contra patriam arma ſumſiſſe vos fateamini. Atqui nec Regis negligentia, nec Cheurij avaritia ſatis juſta arma vobis potuerunt induere, ut ſcilicet patres cum filiis, patrui cum nepotibus, vicini cum vicinis, amici cum amicis committerentur. Divinam ego potius ultionem hic agnoſco, peccata noſtra mutua hac laniena punientem. Equidem, ut ad rem ipſam veniam, non video tamen, quomodo veſtram illam Avilæ factam conjurationem excuſare poſſitis, è qua tamquam Pandoræ pyxide, omnia iſta malà & calamitates eruperunt. Sæpe ego non divinavi tantum, ſed & publice ac privatim dixi, conventus ejuſmodi ſeu conſpirationes ſine præſentiſſimo regni periculo ac pernicie haberi atque iniri non poſſe. Quæ veſtrum illum cōventum ſequuta ſint videtis: ſeditionem ſcilicet totius regni, contemtum Regis, everſionem Juſtitiæ, rerū omniū perturbationem, & perditorū hominū quodvis patrandi licentiam: ſic ut univerſi hujus regni ſtatus, niſi divinitus ſuffulminetur, in exitium ac ruinā præceps ruere videatur. Quamquā & in vobis adhuc aliqua ſpes eſt, ſi ſcilicet conſilia veſtra magis togæ ac pacis quam belli ſint ſocia. Neque enim dubitandum eſt quin Deus pacē precantiū gemitus, quam lituorum ac tubarum bellum denunciantium

Nulla juſta cauſſa belli civilis excitandi.

clangorem potius ſit exauditurus. Quod ſi vos de odio veſtro, Gubernatores vero de jure ſuo aliquod remittere voluerint, jam pacem confectam habemus. In quo neutros ſpero difficiles ſeſe præbituros. In Civilibus namque iſtis motibus homines non tam rationem quā præconceptā opinionem ſequuntur. Vobis ego ſuadeo, ut cum regni Gubernatoribus conveniatis, ac de veſtris gravaminibus eorumque remediis ſententias conferatis. Sic enim fiet, ut & vos maturius poſtulata veſtra perpendere poſſitis: & Rex ad eis annuendū facilius animū inducturus ſit. Hac ſpe ſi vos arma ponere volueritis, fide tam Chriſtiani quā boni viri vobis affirmo, ac pro ea quæ mihi hac de re conceſſa eſt, poteſtate, polliceor ac fidejubeo, Regem præteritorum culpā vobis condonaturum, Gubernatores humane vos accepturos: omnia deniq; ſecus facta perpetua amneſtia & oblivione ſepultū iri. Ne vero exiſtimetis vana eſſe quæ loquor, atque omnem diffidendi vobis anſam præcidam, breviter vobis indicabo quæ regni ac publicæ ſalutis cauſſa Gubernatores facturi, quamque gratiam Regis nomine vobis præſtituri ſint.

Motus civiles magis opinione quam ratione nituntur.

Primo promittunt vobis, Regem numquam poſthac è regno diſceſſurum, quin Vicarium cōſtituat talem qui in Caſtilia natus ſit. Neque enim Hiſpanorum magnitudo ac prærogativa cujuſquam alterius Nationis fert imperium.

Promittunt etiam, omnes dignitates, Commendas, ut vocant, officia & beneficia tam in regno quàm aula non niſi Indigenis collatum iri, excluſis omnino peregrinis, quum eis digni viri ſatis multi in regno reperiantur.

Promittunt, reditus Camerales in civitatibus tolerabili pretio civibus locatum iri: ſic ut nonnulla inde ad civitates utilitas reditura, nec tamen multum de regiis proventibus deceſſurum ſit.

Promittunt iidem, ſi in regio Conſilio Advocatus aliquis ſit, ſeu Auditor, Fiſci procurator, vel etiam ipſe Præſes, aut quicumque alius, gubernandi minus peritus, ad ferendam ſententiam non ſatis doctus, tum vita & moribus non ut par eſt integer, ei Officio abdicato, aliunde alimenta aſſignatum ire. Nam quum homines ſint, & errare ac labi poſſint, æquum non eſt, ut ob unius vel alterius partis ſtudium omnino rejiciantur.

Promittunt, Regem aulæ ſuæ, ut & Cancellariarum Officiariis mandaturum, ut poſthac

neque

Digitized by Google

neque tanta in imperando arrogantia, neque tanta in puniendo ſeveritate utantur: quamvis plerique in eo non ex malitia peccent, ſed eo tantum, ut tanto majorem ſibi concilient auctoritatem.

Promittunt, Regem aulam ac familiam ſuam reformaturum, ac ſuperfluos ſumtus reſecturum: quum ex prodigalitate nova plerumque exſiſtant tributa.

Promittunt, Regem ne in extrema quidem neceſſitate paſſurum, ut pecunia è regno in Belgium, Germaniam, vel Italiam avehatur: conſtat ſiquidem ubi pecunia non ſit, ibi omnem quoque ceſſare negociationem.

Promittunt itidem, prohibiturum Regem, ne ex Biſcaia ferrum, alumen ex Murcia, alimenta ex Andeluſia, aliæque aliarum regionum & civitatum merces peregrinis navibus, ſed Birccainis & Gallicienſibus imponantur: ut peregrinis furandi auferatur, domeſticis vero lucri faciendi detur occaſio.

Promittunt, Regem nullius arcis aut muniti loci cuſtodiæ peregrinos quoſcumque, ſed indigenas tantum, & quidem Nobilium filios præfecturum, eos tamen qui minus potentes aut factioſi ſint, ne forte contra Regem, viribus ſuis confiſi, rebellent: quam ob cauſſam olim nemini arcem aut munitum locum in Caſtellæ regno niſi ſolis Regibus poſſidere licebat.

Promittunt, Regem nemini, quicumque ille ſit, frumentum è regno aſportandi facultatem permiſſurum: ne alibi facilis annona, nobis famis creetur periculum

Promittunt, Regem curaturum, ut cauſſæ omnes ac lites, quæ jam inter civitates ac magnates præcipue pendent, quamprimum decidantur ac terminentur: ſiquidem conſtat, opulentos ac potentes id agere, ut lites procraſtinentur, atque ita altera pars ſumtibus exhauſta, potentiori cedere cogatur.

Promittunt, Regem leges ſumtuarias, quales ipſe regni ſtatus requirit, laturum: tum curaturum, ut monaſteria viſitentur, Cancellariæ examinentur, arces firmentur, fines muniantur: quum in his omnibus multa appareant vitia emendationis indiga.

Quod ſi ii eſtis qui videri vultis, nempe Patriæ liberatores, propugnatores libertatis, ac regni Reſtauratores: hæc quidem quæ vobis offerimus, minime recuſabitis, ut quibus non publica tantum, ſed veſtra etiã ſalus cõjunctur, & quibus plus petere ipſi auſuri ſitis. Jam jam apparebit, utrum vera ſint quæ dicitis, veſtriſque actionibus prætenditis, vel an aliud ſub iſto colore quæratis. Si enim publicam ſpectatis utilitatem, nihil amplius deſiderare poteſtis: ſin privatam, ſic habete, ſpe veſtra vos proculdubio fraudatum iri. Neque enim fas eſt ut alienis ſudoribus vos fruamini, & ex publica re veſtrum peculium augeatis.

Alienis inhiantes decipiuntur.

Quod ergo ſupereſt, quantum ad me attinet, in hoc ſacro loco genibus innixus vos rogo atque oro, ex Gubernatorum juſſu vos hortor ac moneo, Regis vero nomine jubeo atque impero, ut poſitis armis, dimiſſis copiis, ac tradita Tordeſillæ arce, domum quiſque vos recipiatis, pacique ac quieti ſtudeatis. Quod niſi feceritis, jam Gubernatorum juſſu bellum vobis denuncio, eorumque cauſſam juſtam eſſe pronuncio, omnia quæ inde exſiſtent damna, rapinæ, cædes, vobis imputanda eſſe proteſtatus.

Hæc ipſum ego in genua provolutus dixiſſem, ab Alphonſo Quintanilla & Sarabia ſurgere juſſus comiterque adjutus ſum, & ut unà cum ceteris conſiderem invitatus. Dicentem vero alii torvis oculis intuiti, alii capita quaſſantes, alii pedibus ſtrepentes, explodere conati ſunt: me interim omnia iſta diligenter obſervante, & orationem nihilominus perſequente. Qua finita, conclamatione facta, omnes Zamorenſem Epiſcopum rogarunt, ut ſuam primus mihi ſententiam diceret, ad quam deinde ſua ipſi conſilia eſſent accommodaturi. Is manu me apprehenſum omnium nomine ſic affatus eſt: Reverende Domine frater Guevara, Longa equidem oratione, pro ea quæ habitu tuo digna quodammodo videtur, libertate, nos remuniſti, multaque non minus temere quam arroganter dixiſti: quia vero ætate juvenis adhuc es, & ab experientia parum inſtructus, nihil mirum eſt nec intelligere te quid dicas, nec ſcire quid petas. Equidem credo te vel puerũ adhuc religioſæ vitæ nomen dediſſe, vel hac in re peculiari quodã affectu duci, vel rerum hujus Mundi plane imperitũ eſſe, vel judicii laborare inopia: ut qui talia dicere auſis, atq; etiã perſuadere nobis coneris. Tu enim monaſterii tui ſeptis incluſus, quomodo ſcire poſſis exactiones & oppreſſiones quib⁹ ſubditi à regiis miniſtris vexãtur: aut regij patrimonij expilationes, quib⁹ illud à Nobilitate exhauritur? quare intẽtionẽ tuã & affectũ boni qui-

Infidelitatis ſibi conſcii omnia habent ſuſpecta.

quidem conſulimus verbis vero nequaquam fidem habemus. Ex aliis ante audiveram, temerarium te admodum eſſe in loquendo, & in puniendo acerbum: quia tamen gubernatores conſilio tuo uti animadvertebam, credere non poteram quin aliquid in te eſſet, quod illorum de te opinione dignum eſſet. Nunc quoniam rerum plane imperitum, omnique judicio deſtitutum te prodis, non ægre feres verba tua à nobis contemni Bene tecum agi puta, quod nemo ferociorum ducum ſermoni huic tuo interfuit, quos credo ſi iſta quæ dixiſti audiſſent, è veſtigio te jugulaturos fuiſſe. Dabis ergo operam poſthac, ſi ſapis, ut ſi cum tantæ auctoritatis viris agendum tibi ſit, linguæ modereris Sic enim habeto, oratione tua animos noſtros magis exaſperatos eſſe quam mitigatos: quum id modo agere viſus ſis ut Gubernatores purgares, nos vero noſtraſque actiones damnares. Quia vero nobis non tam de his ac ſimilibus judicandi, quam ea quæ à confederatis decreta fuerint exſequendi provincia demandata eſt, recte feceris, ſi quæ dixiſti, ſcripto comprehenſa nobis exhibeas. ut ea ad abſentes quoque mittantur, ac tum quod opus fuerit, unanimi conſenſu ſtatuatur ac reſpõdeatur.

Exitus hujus Tractationis.

Secundum hæc Zamorenſis Epiſcopus, miſſo nuncio una cum eis quæ à me expoſita fuerant mandatis, eos qui Tordeſillæ erant certiores fecit ac conſuluit. Tandem vero omnium nomine mihi reſponſum fuit: Tam frigidam Legationem tamque arrogantem orationem pœna magis quam reſponſo dignas videri. Sic ergo ſine ullo reſponſo quamprimum inde faceſſere juſſus ſum, Epiſcopo comminante, ne iſthuc redirem, niſi ſatis vixiſſe me putarem: ac dicente, Gubernatores quidem multa Regis nomine promittere, vix tamen quidquam ejuſmodi in mandatis ac poteſtate ſua habere, Sic ergo Medinam redij, Petro Girono me deducente: cum quo ea in via loquutus ſum, quibus ille motus, caſtra Villapandam tranſtulit, Tordeſilla interim à Gubernatoribus in poteſtatem redacta, Regina liberata captiſque rebellium ducibus, &c.

Ad

PETRUM GIRONUM EPISTOLA.

Conſolatoria in qua privilegia aliquot exſulum recenſentur.

Danielis viſio

IN divini Vatis Danielis oraculis legimus, inter angelos coram throno Altiſſimi velut altercationem quandam ortam, aliis ne Hebræi è captivitate liberarentur poſcentibus, ut eorum opera Perſæ ad veram fidem converterentur, aliis pro libertate eorum intercedentibus, ut tẽplum & ſacrificia ab eis reſtaurarentur. Ex quo apparet, id in improbis appellari à nobis pervicaciam, quod in probis ut zelus deprædicari ſolet. Quorſum hæc? inquis, ut intelligas, binas litteras ab Archidano miniſtro tuo mihi redditas, ſed diſſimili plane argumento; unas quidem patris, alteras tua manu ſcriptas in quibus neſcio an magis cum patre filii fortunam deplorare, an potius filio de animi magnitudini gratulari debeam. Verũ ſic eſt, mi Petre. Ille quidem, dum exſilium tuum tam ægre fert, pij patris; tu vero dum caſum hunc tuum tam viriliter ſuſtines, fortis Equitis fungeris officio. Quia ergo uterque facitis, quod debetis, utrumque conſequuturos ſpero quod optatis.

Veri amicis officium.

Memini quum Avilæ ad me veniſſes, à Cæſare Oranum relegatus, ſollicite me à te rogatum, ut in hoc tuo exſilio, ſi occaſio ita ferret, te viſitarẽ aut ſi minus id poſſem, frequentes ad te litteras mitterem. Hoc tu mihi credas velim, maluiſſe me hoc ipſo tempore viſitandi tui, quam ad te ſcribendi laborem capere, non ignarum, utriuſque præſentiam plus voluptatis utrique allaturam: quia vero id jam fieri non poteſt, ut deſiderio tuo & amori meo aliquo tamen modo ſatisfacerem, hanc epiſtolam ad te ſcribendã duxi, non illam quidem inanem, ſed quæ in memoriam tibi ea revocet, quorum & lectio tibi non injucunda, & uſus longe maximus futurus ſit. Nam & ut amico verum tibi dicam, & ut exſulem te conſolabor. Quod tanto mihi erit facilius, ac tibi fructuoſius, quod quæ maxime ad rem hanc neceſſaria ſunt, ea ſumma in te eſſe video; fortitudinem ſcilicet, ad ſtrenue contra infideles hoſtes dimicandum; prudentiam, in moderandis

Digitized by Google

derandis tuis affectibus; ſapientiam, ad teipſum conſolandum: ſine quibus Oſſunæ quidem in exſilio, ar eum eiſdem Orani in paradiſo, mihi crede futurus ſis.

Dolor in alium quaſi tranſlatus, minuitur.

Amici verba amico magnam quidem afferunt conſolationem, præſertim ſi majus videatur, quod animus illius ſentit, quam quod lingua loquitur. Neque enim dolor qui pectori inſedit, depelli inde facile poteſt, quam alterius pectoris dolore. Ad Diomedem unico filio orbatum, quum multi conſolandi gratia accurriſſent, paupercula quoque venit mulier, contra adverſarij injurias auxilium petitura. Ceteris multa diſputantibus, ſola hæc magnam vim lachrymarum profudit. Quam conſpicatus Diomedes, & ipſe illachrymatus eſt: deinde ad præſentes converſus, Vos quidem, inquit, verbis veſtris aures meas obverberaſtis; ſola vero hæc muliercula animum meum tetigit, utpote lachrymis dolorem ſuum teſtata. Hæc quum ita ſint, mi Petre, rogo ut verba mea non auribus tantum accipias, ſed & in pectus demittas, mihique fidem habeas, & ut tui amantiſſimo, & ut doloris tui ſocio ac participi. Mihi certe & ob neceſſitudinem qua conjuncti ſumus, & ob amicitiam quæ inde à pueritia fere inter nos fuit, & ob ſecreta meæ fidei abs te commiſſa, & ob multa tua in me merita, nihil eſſet gratius, quam reipſa oſtendere quamvis nullam ejus quod ſecus feciſti culpam ſuſtineam, pœnam tamen una tecum ſuſtinere. Atque utinam tam in manu tua eſſet dolorem, uti fortunas, inter amicos diſpertiri! Crede mihi, vix quemquam ex omnibus tuis habiturus eſſes ad portionem vel maximam accipiendam paratiorem. Multa ego benigne à te facta mihi fateor; tu viciſſim amici officio me numquam defuiſſe, ſcio, non negabis. Meminiſti proculdubio Valliſoleti te à me monitum, Villæbraximæ reductum ad viam, viſitatum Pennafielæ, & Victoriæ adiutum: ne vero jam quoque amici partes deſeram, epiſtolam hanc ad te mitto, proteſtatus, ubicumque vel tu vel ego fuerimus, commodis tuis & honori me numquam defuturum. Sed quia verbis erga extraneos, operibus vero erga amicos officioſi eſſe debemus, ad rem ipſam accedam.

Triſtis eſt præteritorũ recordatio.

Non ſane dubito, quin exſilium hoc valde tibi moleſtum ſit, præſertim ea quæ in aula de te cogitantur, in regno vero dicuntur, ruminanti. Cui enim pectus non effodiat illa cogitatio, ſe hoſtibus ludibrium, amicis dolorem debuiſſe ac dediſſe reminiſcenti? Equidem ſic exiſtimo, plus animo adferre modeſtiæ invidorum atque inimicorum inſultationem, quam ipſius mali ſenſum. Auctor eſt Plutarchus in Apophthegmatis, quum apud Ariſtonem Lacedæmoniorum ducem quidam conqueſtus eſſet, quod milites ipſius famoſis ſermonibus Athenienſes traducerent, eum reſpondiſſe: Si Athenienſibus curæ eſſent quæ ipſi faciunt, nihil moraturi erant quæ Lacedæmonii loquuntur. Quæ verba diligenter tibi notanda, adeoque animo inſculpenda ſunt, ne cum S. Jobo dicere cogaris. *Factus ſum mihimetipſi gravis.* Certum namque eſt, maximas quas ſentit moleſtias, hominem ſibi ipſi creare. Atque utinam tu id reipſa non eſſes expertus! qui ſi tam meo quam cognati tui Coneſtabilis conſilio obſequutus eſſes, jam & te patria, & tu patria fruereris. Quid enim? An rem tantam, ex tam levi cauſſa, idque alieno admodũ tempore, ex mera irritati animi paſſiõe, tentare oportuit? Atqui ratio ipſa ſæpe aliquid ſuadet, quod quominus faciundum ſit, occaſio obſtat. Multa in mundi hujus negociis perperam fiunt, non quod juſta non ſint, ſed quod juſto tempore aut loco fiant. Neque enim in negociis minor quam in ſatione temporis & opportunitatis cura eſſe debet.

Non ta[illegible] quid, ſed & ubi & quando.

Si in Medinæ Sidoniæ Ducatum legitima tibi fuit actio, multo & juſtius & tutius ad Judicis tribunal, quam ad Zamorenſem epiſcopum cauſſam tuam detuliſſes. Tyranni enim (ut Villæbraximæ tibi non ſemel dixi) ab armis; at boni à legibus præſidium ſibi quærunt. Ego certe ex tua illa cum Zamorenſi Epiſcopo converſatione, malum ſtatim cepi augurium: qui miſer ut de Albæ Liſtæ Comite ſeſe ulciſceretur, totum regnum perturbare, regem offendere, vos decipere, ſeque ipſum in exitium præcipitare non dubitavit. Hoccine, inquis, eſt conſolari? Non eſt, fateor: iſta tamen in memoriam tibi revocanda eſſe duxi, ut non tam doleas ob ea quæ jam pateris, quam quæ tum feciſti. De meo ſenſu ut verum tibi fatear, malo ego te, cum certa ſpe reconciliationis, Orani jam videre exſulem, quam ab omni Cæſaris excluſum gratia, Medinæ Sidoniæ Ducem.

Nobilis ſeu æquitis munus.

Cordati ac prudentis eſt Equitis, operam dare, ut quæ facit Regi accepta ſint, ſtatumque ſuum ac dignitatem fidelibus conſervare officiis. Quod ſi vel in aula vel in regno ex invidia, æmulatione, diſſenſione turbæ exſiſtant, eidem per me licebit quæ fiunt vel

palam

Digitized by Google

palam reprehendere vel occulte deplorare, nequaquam vero ſe immiſcere. Neque enim periculoſum hoc mare vado: multo minus natatu tranſmitti facile à quoquam poteſt, quin voraginibus immerſus, fœdum ſui adverſariis ocioſe in portu ridentibus ſpectaculum ſit præbiturus. Una Chriſtiana excepta religione, unuſquiſque Nobilis ſive prope, ſive procul, ſive ad dexteram ſive ad ſiniſtram, ſive in regno ſive extra regnum, ſive contra amicos ſive contra inimicos Regem ſuum ſequi, eique quam debet operam præſtare tenetur. Adeoque præſtat fidem Regi ſervando, vitæ jacturam facere, quam perfidioſum vivere.

Facilius eſt perturbare quam reformare Rempublicam.

Quod dixi, periculoſa admodum eſſe Reipublicæ negotia, fruſtra non eſt. Multas enim paſſim ſeditiones excitatas vidimus, ad bonum exitum perveniſſe non vidimus. Facile eſt excitare incendium, ſed reſtinguere, hoc opus, hic labor eſt. An tu neſcis, non Catilinam modo, qui vi & ruina, ſed & alios qui legibus aliiſque legitimis modis Reſpublicas reformare conati ſunt, prius vel mortem oppetiiſſe, vel à civibus oppreſſos atque in exſilium ejectos eſſe, quam cœpta ad exitum perduxerint? Verumenim vero quia vetera vulnera quæ cicatricem jam duxiſſe videntur, refricare non convenit, quodque factum eſt, infectum fieri nequit: jam porro hoc agamus; & quo æquiori animo exſilium tuum feras, remedia aliquot, vel privilegia potius quibus exſules fruuntur, recenſeamus. Quod ſi quæ dixero, minus tibi forte probabuntur; animum ſaltim dicentis probes rogo; ſicque tibi planiſſime perſuadeas, malle me, ſi poſſem, rebus tuis opem, quam animo ſolatium adferre.

Elegans de exſulum moleſtiis earumque remediis diſputatio.

Amor patriæ à Natura inſitus.

SCio tibi in Africa jam exſulanti, triſtem fore Hiſpaniæ non mentionem modo, ſed & recordationem. Tantus enim eſt hominum animis à natura inſitus patriæ amor, ut velut olim dixit Sertorius, ſi vel maxime ratio, ut eam deſeramus, nobis perſuaſerit, tamen ut ejus obliviſcamur facere non poſſit. Hinc idipſum expertus Ovidius, ſic inquit:

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Et Ulyſſes Ithacæ, ſcopuli verius quam inſulæ civis, identidem tamen optat,

Fumum de patriis poſſe videre focis.

Alphonſi Regis dictum.

Apud Alphonſum Neapolis & Aragoniæ Regē Principum aliquot alio Romæ magnitudinem, alio Venetiarum magnificentiam, alio divitias Florentiæ, alio Mediolani opulentiam deprædicantibus, optimus Rex, Ego, inquit, quæ dixiſtis vera eſſe fateor, at his omnibus locis ego Carrioncillum prætulerim. Erat vero Carrioncillum pagus, uno milliari Medina-Campi diſtans, ubi Rex idem natus, & puer educatus fuerat. Quis, ubi de patria ſermo eſt, non fertilitatem ejus, non humanitatem gentis, non alias dotes deprædicat? Ibi ait ſolem multo lucere ſplendidius, aerem magis eſſe ſalubrem, carnes magis ſapidas, aquas limpidiores, panem meliorem, vinum præſtantius, & homines minus malitioſos. Ridiculum eſt, videre nonnullos patriæ laudandæ ſtudio eò provectos, ut facilius injuriam devorent famæ ſuæ, quam patriæ illatam. Hujus rei cauſſa eſt, quod homines non recordantur, ſe terram eſſe; & è terra natos, redire in terram; interim tamen nullam propriam habere terram, niſi eam cui poſt mortem corporis reliquias ſunt tradituri. Noluit Socrates diſcipulos ſuos dicere. Hæc vel illa mea, hæc tua eſt patria: ne ſcilicet illud Meum & Tuum velut omnium inter homines diſcordiarum ſeminarium uſurparetur: eamque ob cauſſam idem aiebat, nec plumas nobis, quibus corpus tegeremus, Naturam dediſſe, nec domos in quibus habitaremus fabricaſſe, ſed communem omnibus terram eſſe voluiſſe, quam deinde tamquā propriam ambitioſi homines ſibi vindicarunt, & inter ſe partiti ſunt. Hercules cujas eſſet rogatus, Græcum ſe eſſe reſpondit. At Socrates multo laxius Mundi ſe civem eſſe dixit. Narrat Plutarchus in quadam Græciæ inſula familiam fuiſſe, Agidarum nomine, ab Agide celebri illo duce dictam; legemque ab ipſis latam, ne quis hanc ſibi patriam eſſe jactaret, priuſquam egregium aliquod patraſſet facinus. Exiſtimabant enim, æquius eſſe, ut cives patriæ, quam patria civibus eſſet ornamento. Equidem & ipſe fere auſim dicere, majori tibi laudi eſſe, quod jam milites in Africa, quam quod natus ſis in Hiſpania, quum honorem quem in Hiſpania perdideras, in Africa recuperaris.

Communis omnium parens terra.

Ne vero exiſtimes, hæc dicis tantum cauſſa & quaſi per jocum à me dici ac ſcribi, age ea quæ olim in Hiſpania feciſti cum iis quæ nunc in Africa facis, comparemus: ut intelligas, ſi quā nūc

Ignobilis præſtantiſſimorum virorũ patria.

Rex factus eſt Scipio in pago Campaniæ natus tota ſubacta Africa, Africani cognomẽ eſt cõſequutus. Annon Severus Imperator è Numidia ortus, totam Parthiam ſubegit? Auguſtus Velitris natus, annon totius Orbis fuit dominus? Traianus Gadibus ortus & ipſe rerum ſumma nihilominus poſitus eſt. Tito in campaniæ pago nato, nihil patriæ ignobilitas obſtitit, quo minus & ipſe ad eandem dignitatem perveneririt. Sexcenta alia afferre poſſem exempla eorum, qui poſtquam natale ſolum verterunt, tum demum quaſi vivere cœperunt. Numquid Themiſtocles & Demetrius Phalareus civitate ab Athenienſibus eiecti, à Ptolemæo Ægypti Rege non liberaliter modo excepti, ſed & divitiis aucti, & ad ſummos honores evecti ſunt? Nota eſt Themiſtoclis vox, amicos una exſulantes, ſic alloquuti: *perieramus omnino, amici, niſi periiſſemus.* Præclara ſane & conſolationis plena verba: nec in Themiſtocle tantum, ſed aliis quoque vera. Videmus namque exſules à fortuna ita tractari, ut ab iis qui aquam hauriunt ſitula tractari ſolet, quam præcipitem illi in puteum demittunt, ac in profundum demergunt, non ut perditam ibi relinquant, ſed, ut aqua impletam in altum rurſus extrahant. Joſepho Patriarchæ Jacobi filio quantivis fuit, à fratribus fuiſſe venditum, ſiquidem hac ratione & ampliſſimam Regique proximam dignitatem in Ægypto eſt cõſequutus, & patris ac fratrum, adeoque totius gentis ſuæ neceſſitatibus ſuccurit. Ex quo multiſque aliis exemplis perſpicuum eſt, ea quæ mala videntur, multis in ſummum bonum vertiſſe. Et quemadmodum multi rectum curſum tenere ſe arbitrantes, interim aberrant, ſic non pauci quum errare ſe exiſtimant, eo ipſo ad optatum portum devehuntur.

Magni nominis dux Camillus à civibus ſuis in exſilium eiectus, Gallis Romam magnis viribus oppugnantibus, non revocatus modo, ſed etiam fauſtis omnium acclamationibus tamquam Patriæ liberator exceptus fuit. Juſtus ille & nobiliſſimus Imperator Traianus ex Italia proſcriptus, Colonia Agrippina, ubi exſulabat, à Nerva revocatus, & Imperij ſucceſſor fuit deſignatus. Unde ad familiares per jocum dicere ſolebat, exſilium à Domitiano ſibi indictum, Imperii ſibi fuiſſe proxenetam. Quæ exempla cô pertinent, mi Petre, ut non tantum conſolationem inde capias, ſed animum quoque recipias, ac melius in poſterum fore ſperes: inprimis vero, ut exemplum illorum imiteris: caſumque tuum non fortiter modo, ſed & prudenter feras. Parum enim tibi profuerit cum illis in exſilio oberrare, niſi eorundem quoque exprimas virtutes. Deum ego precor, ac de te confido, fore ut contra infideles Mauros in Africa fortiter pugnando ita te geras, ut non minus honorifice in Hiſpaniam, quam Romam Camillus revoceris.

In bello iſto Africano, ad quod exſilium te protrulit, ſuadeo ego, ut in ſumtibus faciendis ſis liberalis, in ferendo patiens, in pugnando fortis, in victu temperans, in ſermone modeſtus, in vita denique omni Chriſtianus: ut quibus ſuperioris vitæ tuæ erratis dolorem, jam benefactis tuis voluptatem & gaudium concilies. Ad malevolos vero quod attinet, Diogenis imitare exemplum, qui à Sinopenſibus ipſum proſcriptum eſſe nunciantibus. Si illi, inquit, ex Epiro in Pontum me relegarunt, ego viciſſim illos è Ponto in Epirum relego. Vetus eſt verbum; Omne ſolum forti patriam eſſe; & magnum animũ quamvis locum mutet, non tamen exſulare. Sic & tu cogita, Africam jam tibi pro patria eſſe, præſertim quum ibi latiſſimus ad gloriam adipiſcendam campus tibi aperiatur. Malevolos vero nulla ratione melius ulciſceris, quam ſi des operam ut de te audiant quæ nolint; quæ vero ipſi agant, te latere velint. Ante omnia vero, ſi tua ſalus tibi curæ eſt cavebis, ne vel in ſermone vel in litteris tuis ullam de Rege inſtituas querelam; tum etiam, ne ullius triſtitiæ ſignum præ te feras. Hoc enim niſi feceris malevolis ac invidis & calumniandi te apud Regem, & in ſinũ ipſis gaudendi anſam præbebis.

De malevolis quomodo ultio ſumẽda.

Sequuntur exſulantium prærogativæ ſeu privilegia.

QUandoquidem cives civitatis ſuæ privilegia omnino noſſe oportet, & vero exſulantium, in quorum civitate jam verſaris, multæ ſunt prærogativæ; earum nonnullas hoc loco tibi recenſebo, non tantum ut civitatis tuæ leges & ſtatuta noſcas, verum etiam ſervare in animum inducas.

Primum exſulantis privilegium eſt, quod nõ invidia, ſed commiſeratione dignus omnibus videtur. Illa enim felices petit; hæc miſeris ſolatium præbet.

Invidia. felicitatis comes.

Exſulantis privilegium eſt, quod, quamdiu in exſilio vivit, nemo mutuam ab ipſo pecuniam

Digitized by Google

audet poſcere. Sciunt quippe omnes, patria pulſis plures ſupereſſe in corde gemitus, quam in crumena numos.

Exſulantis privilegium eſt, quod ſine ulla impudentiæ nota vel mutuam pecuniam, vel quodcumque aliud officium ab aliis petere audent. Quia enim à patria procul abſunt, & fortunis in fiſcum redactis, ad vitam neceſſariis deſtituuntur; amicis dicent, adeoque jurabunt, niſi juventur, rapiendi ab aliis aut furandi ſibi impoſitam eſſe neceſſitatem.

Privilegium Exſulantium eſt, quod quæcumque, vera an falſa nova ad alios perſcripſerint, nemo procul diſſitis mendacium exprobrabit.

Miſero vel falſo queri licet. Exſulantium privilegium eſt, ad ſuos audacter perſcribere, ſe male valere, quamvis bene valeant, ſe egere, quamvis omnibus abundent; ſe ſummo patriæ teneri deſiderio, quamvis de ea vix umquam cogitent; ſe ad incitas eſſe redactos, quamvis optime ſint contenti: idque eum in finem, ut tanto facilius à Rege veniam, ab amicis auxilium impetrent.

Exſulantium privilegium eſt, quod nemo ab eis exigit, ut magnifice epulas inſtruant, aut precioſis veſtibus utantur: econtra iiſdem licet jactare, quam ſplendide domi vixerint, & quam multas omnis generis, & pulcerrimis quidem veſtibus plenas ciſtas domi habeant.

Exſulantium privilegium eſt, quod debita olim contracta exſolvere non tenentur: modo reſpondeant poſcentibus, ſe quamprimum ad ſua domum redierint, ſatisfacturos.

Hoc quoque inter exſulantium eſt privilegia, quod etiam Nobiliſſimis ſine ullo ſcrupulo incomitatis in publicum prodire, immo unum tantum puerum vel famulum alere licet. O quam multi libenter hoc uterentur privilegio! qui ſi tantam non alerent familiam, minus curarum in pectore, in arca plus numorum ſint habituri.

Magnū onus rei familiaris cura. Nec illud ſpernendum, immo vel maximum exſulantium eſt privilegium, quod & familiæ alendæ cura, & uxorum converſatione ſunt liberi. Equidem multos novi exſules, non exſules, quibus privilegium hoc eſſet quam optatiſſimum. Quin auſim dicere, multos ultrò operam daturos ut relegentur, tantum ne uxorum importunitatem ferre, & familiæ neceſſitatibus proſpicere cogantur.

Illud quoque addere licet, quod exſulantes ab omni vectigalium, tributorum, & aliorum quorumcumq; onerum exactione ſunt immunes. Ubi enim exſules ſe, ac peregrinos eſſe dicent, quique in diem vivant, periculum non eſt, quin facile hoc uno verbo publicanos ac conductores à ſeſe abigant.

Factiones multos perdiderunt. Privilegium denique exſulantium eſt, quod nullam quantumvis robuſtam factionem ſequi, aut amicis privatas injurias ulciſci cupientibus adeſſe tenentur. Quod privilegium multis foret optandum, quos non tam propria culpa, quam aliis obſequendi ſtudium perdit.

Habes hic, mi Petre, aliquot exſulantium privilegia, quibus tibi jam in Africa ſine cujusquam contradictione frui licet: quamvis non dubitem, malle te ſine his Arcludonæ apud tuos, quam cum his in Africa inter peregrinos vivere. Non equidem id à te poſtulo, ut nullum ex hoc tuo caſu dolorem capias; tantum moneo, ne animum abjicias, aut de reditu deſperes. Rectiſſime vero omnium feceris, ſi ſpem tuam in Deo, qui ſuam gratiam, deinde in Rege, qui veniam tibi impertiet, habeas poſitam. In monaſterio *del Fres del Val*, ubi jam ſum, tota hac ſeptimana audiente Cæſare concionatus ſum: interim unà cum Coneſtabili in cauſſa tua non leviter elaboravi. Tu mihi credas velim, nec à me ullum veri amici, nec ab illo boni patrui munus eſſe omiſſum. Librum ad te mitto, magnis laboribus à me conſcriptum: quamvis certus ſim, malle te libram auri quam ludendo abſumas, quam librum M. Aurelii, quem legendo teras.

Ad D. SUMIERE, NEAPOLIS REGENTEM.

In qua ad quæſtiones quaſdam reſpondetur.

Quæſtiones curioſa quid afferant. NON mentiar profecto, ſi dixero, quanto majorem ego ad gratificandum tibi adhibeo diligentiam, tanto te magis mihi importunum eſſe ac moleſtum. Vel tuas nuper ad me miſſas quæſtiones vide: quid illis inuſitatius? quid magis, ut ita dicam, peregrinum? Equidem facile credo, non tam quod ſcire iſta deſideres, quam

quàm quod ingenij mei periculũ facere velis, à te iſta proponi. Interim illud ſcito, tuam illam epiſtolam riſum, quæſtiones vero bilem mihi moviſſe: quum illa joci cauſſa ſcripta, hæ vero ex curioſitate profectæ videantur. Tantumne ab re tua tibi eſt ocij, ut iſta non modo in mentem tibi veniant, ſed ad me quoque perſcribantur, de quibus vel nemo alius ſcripſit, vel nullus unquam dubitavit? Te quidem novi in iis quæ ipſe dicis tam modeſtum, in iis vero quæ ab aliis dicuntur cenſorem tam moroſum, ut ſi ex te ego quærerē quę tu ex me, ſtatim dicturus ſis, vel otio me abundare, vel ſapientia egere. Illud ſane apparet, nec orandi: nec ſcribendi, nec concionandi onus, uti mihi, tibi incumbere. Quod ſi eſſet, ſcio te ſomnia tua (ita verius appellem quam quæſita) cuivis potius alii quàm mihi explicanda fuiſſe propoſiturũ. Epiſtolam enim tuam quum bis ac ter perlegiſſem, nec tamen quæ in ea ſcripta ſunt intelligerem, multo minus ad ea reſpondere me poſſe confiderem, dubitavi mecum, an hæc forte in ſomnio tibi oblata, aut à ſaga aliqua in mentem immiſſa ſint, non ignarus ſcilicet te ſortilegis & divinatoribus antehac non parum faviſſe. Sed quidquid hujus rei ſit, equidem aliquot dierum laborem capere tui cauſſa non dubitavi, ut ad ea quæ tu per jocum quæſiſſes, ſerio reſponderem: in eo veterum Oratorum ac Sophiſtarum imitatus exemplum, quorum induſtria etiam in minimis rebus eloquentiæ penicillo deſcribendis atque exornandis aliquando elaboravit. Id vero quàm paucis potero verbis faciam; rogans interim, ut quæſtiones tuas cum meis reſponſis compares. Sic enim intelliges, opinor, pleraque omnia non ex aliorum ſcriptis huc à me translata, ſed domi quaſi mihi nata, & ex mei ingenii penu deprompta eſſe.

Ne vero exordium ipſa oratione ſit prolixius, ad rem ipſam accedo: quamvis facere non poſſim quin hoc prius moneam, Par ſcilicet omnino eſſe, ut quæ ſerio ego ſcribo magni facias ac bene trutines: quum quæ tu per jocum rogas à me nequaquam contemnantur, ſed reſponſione, eaq; ſatis laborioſa, digna judicētur.

Quæris, quibus ex rebus judicium fieri poſſit, utrum amicitia & ſocietas alicujus profutura nobis vel obfutura ſit, ut prenſare eos inde vel averſari diſcamus. Reſpondeo, ex quatuor ex Veſtibus, quibus utitur: ex Operibus quæ facit: ex Verbis quæ loquitur: ex Amicis quibus cum converſatur: qui enim veſtitu ſuperbiunt, factis laſciviunt, Verbis fallunt, & malorũ hominum delectantur converſatione, eorum nec amicitia nec fides vel hili facienda eſt.

Quæris, quænam in hac vita rēs nullo precio æſtimari, nec cum ulla alia re cōparari poſſint ac debeant. Reſpondeo quatuor. Libertas qua gaudemus: Ars quam didicimus: Valetudo qua fruimur: Virtus quam exercemus. Hæ namque homini maximæ ſunt opes. Libertas quippe cor delectat & extollit: Ars exacuit ingenium: bona Valetudo vitam conſervat: Virtus animum ornat & illuſtrat. Quæ ſane nec auro vænalia ſunt, nec ullo precio æſtimari poſſunt.

Quibus facile decipiamur.

Quæris, quibus rebus homo facilime decipiatur, ſeque perdat. Reſpondeo, quatuor. Cupiditate habendi: Curioſitate multa ſciendi: Spe diu vivendi: Arrogantia multum pollendi. Quæ procul à ſe habere debet, qui caſum vitare cupit. Nimiæ enim opes ſuperbiam generant: nimia ſcientia ſtultitiam fere parit: diuturnioris vitæ ſpes ſecordiam. Arrogantia vero contemtum aliorum adfert. Quæ quatuor etiam ad feliciſſimum hominis in hac vita ſtatum evertendum ſatis ſunt.

Quæris, quæ Judici neceſſaria ſint, ut Juſtitiæ opinionem ſibi conciliet, & tyranni nomen effugiat. Reſpondeo, quatuor eſſe. In audiendo Patientiam: in reſpondendo Modeſtiam: in judicando Æquitatem: in exſequendo Miſericordiam & Clementiam. Si enim Judex cauſſas impatienter audiat, partibus ſuperbe aut temere reſpondeat, non ex juſtitiæ dictamine ſed partium ſtudio ſententiam ferat, tum ſententiam crudeliter exſequatur, is nequaquam meretur ut Juſtitiæ præſit, ſed ut Juſtitiæ tradatur.

Quæ gignant prudentiam.

Quæris, quibus rebus homo prudens in agendo, & cautus in loquendo efficiatur. Reſpondeo, quatuor. Multorum librorum lectione: multarum regionum Perluſtratione: multorum laborum & periculorum Tolerantia & arduarum rerum Tractatione. Si quis enim eum qui bonarum artium ſit expers, qui domi ſemper deſederit, qui nullis laboribus ſit defatigatus, nulla magnarum rerum tractatione exercitus, prudentem aut ſapientem dicere velit, ei ipſi ego ſtultitiæ dicam impingere auſim.

Quæris, quænam res ſint quas homo quum maxime habere ſe exiſtimat, non tamen habet. Reſpondeo, quatuor: multos Amicos: multam Sapientiam: multam Doctrinam: multam Potentiam. Neq; enim quiſquã tam multos habet

amicos,

Digitized by Google

amicos, quin plures habeat inimicos & malevolos: nemo tanta eſt ſapientia prædítus, quin ſtultitiæ aliquid admiſtum habeat: nemo tanta præcellit doctrina quin plura neſciat quàm ſciat: nemoque tam potens eſt, quin ab alio potentiori vinci poſſit. Omnes certe quotquot ſumus, pauciores habemus amicos quam exiſtimamus: minus ſapim⁹ quàm nobis videmur: minus ſcimus quàm nobis perſuademus: minus poſſumus, quàm cupimus: minus denique ſumus quàm præſumimus, aut eſſe deſideramus.

Quæ facillime & irremediabiliter peccentur. Quæris, quænam homo & facilime committat, & difficilime remedium inveniat. Reſpondeo, quatuor eſſe. Si quis in principio alicujus negocij errorem committat: ſi bonum amici negligat conſilium: ſi alieno ſe negocio immiſceat & ſi plus conſumat quam facultates ferunt. Qui enim in iis quæ aggreditur temerarius eſt; qui aliorum aſpernatur conſilia, qui ea curat quæ ad ſe non pertinent; & qui plus impendit quam fortunæ ipſius patiuntur, is à paucis amatur, multis vero odio habetur.

Quæris, quænam homini ipſa morte perpeſſu ſint graviora? Reſpondeo quatuor. Paupertatem in ſenectute: Morbum in captivitate: Ignominiam poſt vitam honorifice actam, & Exſilium perpetuum à patria bene culta. Qui enim ſenex eſt & ſimul pauper; æger & captivus; contemtus jam, qui antea ab omnibus fuerat cultus; & cui perpetuum indictum eſt exſilium, ei ego honeſtam magis mortē quàm infelicem vitam optandam cenſeo.

Quæ Deus & homines averſemur. Quæris, quaſnam res nec Deus nec homines ferre poſſint. Reſpondeo, quatuor. Pauperem ſuperbum, Divitem Avarum, Senem laſcivum, & Adoleſcentem inverecundum. Quid enim infelicius, quid turpius quam pauper humilitate, dives charitate, ſenex honeſtate, adoleſcens pudore deſtitutus?

Quæris, quinam facile omnium ſibi amicos, quibus tuto fidant, & quibuſcū ſeſe oblectent, comparare ſibi poſſint. Reſpondeo, quatuor: ſcilicet homines Eloquentes, Liberales, Potentes, bene Moratos. Hæ enim dotes in quibus ſunt, facile amicos ſibi invenient.

Quæris, quænam res hominibus maximum afferant dolorem ac mœrorem. Reſpondeo, quatuor eſſe. Mortem liberorum: Jacturam facultatum: Inimicorum florentem fortunam: & Amicorum errata. Grave enim & triſte eſt ſepelire liberos ex ſe natos, amittere facultates multis ſudoribus partas, videre inimicos exaltatos, Amicos ab aliis ludibrio haberi.

Quæ maxime moleſta. Quæris, quæ res hominibus maxime moleſtæ ſint ac toleratu difficiles. Reſpondeo, quatuor. Servire ingrato: deſiderare & non accipere: donare nullas habenti gratias: ſperare & numquam voto potiri. Cujus enim merita non agnoſcuntur, cui negatur quod petit, cui nō ſolvitur quod promeruit, & cui non obtingit quod ſperat, ejus animus ſi ferre dolorem poteſt, lingua certe tacere non poteſt.

Quæris, quæ res prius deficiant quā expleantur. Reſpondeo, quatuor. Aures in audiendo: Manus in accipiendo: Lingua in loquendo: Cor in concupiſcendo. Licet enim cetera omnia mēbra torpeſcant & obrigeant, numquam tamen Lingua ceſſabit res vanas & ſuperfluas dicere, numquam Aures rebus novis audiendis explebuntur, numquam Manus ad accipiendum ſegnes erunt, neque umquam cor vanis carebit deſideriis.

Quæris, quæ res in occulto haberi non queant. Reſpondeo, quatuor eſſe, divitias, Amorem, Dolorem, Odium. Divitias enim magnificentia, Amorem ſuſpiria, Dolorem gemitus, Odium vultus & oculi produnt. Quæ etſi diſſimulantur aliquando, non tamen diu celantur.

Quæ facile amittantur nec recuperentur. Quæris, quæ res facilime amittantur, recuperari vero vix, ac ne vix quidem poſſint. Reſpōdeo, quatuor. Virginitatem, Tēpus, Gemmam, & Verba. Certum enim eſt, virginitatis florem ubi ſemel decerptus fuerit, numquam renaſci; Tempus, ubi ſemel tranſierit, numquam reverti, Gemmam ſemel abiectam ad herum non redire; & verba ſemel emiſſa revocari non poſſe.

Quæris, quæ in homine maxima laude digna ſint, Reſpondeo, quatuor Bonum eſſe Chriſtianum: eſſe Veracem: eſſe Patientem: & Secreta fideliter continere. Qui enim opera facit Chriſtiano digna, qui Verax eſt in verbis, Patiens in injuriis, Fidelis in ſecretis, eum ego quavis laude majorem cenſeam.

Quæris, quinam facile comparent ſibi amicos, ac facile rurſus amittant. Reſpondeo, quatuor eſſe hominum genera. Divites, Juvenes, Potentes, Aulicos. Dives enim ad paupertatem redactus, cum fortuna amicos quoque tergum ſibi vertere videbit. Juvenis ubi jam ſenuerit, priores amicos aſpernabitur: Potens amiſſis viribus,

viribus,ad ſolitudinem redactam ſe cerneт, qui antea longa amicorum caterva ſtipatus incedebat. Aulici vero, quam primum Principis gratia exciderint,etiam excidunt amicis.

Quæris, quænam animantia homini plurimum moleſtiæ, non multum vero damni aut impedimenti afferant. Reſpondeo,quatuor Pulices,Pediculos, Muſcas ſeu Culices, & Sorices. Nemo enim tam delicatus atque humanæ ſortis expers eſt, quin aliquando à pulice pungatur, à pediculis mordeatur,à muſcis infeſtetur, à ſorice è ſomno excitetur.

Quomodo bene ſervire quis poſſit. Quæris, quomodo comparare ſe debeat, qui bene vult ſervire. Reſpondeo,quatuor res ei eſſe neceſſarias, Diligentiam, Patientiam, Veracitatem, Fidelitatem. Qui namque heri ſui promereri vult gratiam, neceſſe eſt ut patiens ſit in accipiendis, diligens in exſequendis mandatis, in verbis verax,in cõmiſſis ſibi negotiis fidelis.

Quæris,quaſnam res ex omnibus feminarum ſexus maxime appetat. Reſpondeo quatuor. Veſtes pulcras & pretioſas: Fidem mariti conjugalem: Venuſtatem oris: & Vitæ libertatem. Neque enim femina umquam ſibi ſatis placet niſi pulcre veſtita: nihil minus ferre poteſt, quã mariti animum alibi habitare, ac ſe debito defraudari: maximæ laudi ſibi ducit, venuſtatem ſuam prædicari: nihil denique ægrius fert quàm domi concludi, & publico prohiberi.

Quæ obſervanda donanti. Quæris, quænam obſervanda ſint beneficium aliquod collocare aut donare quippiam volenti. Reſpondeo quatuor: Quid, Cui, Quare, Quando. Cui: ne ſtulto aut immerito, Cur: ut juſtas & honeſtas ob cauſas. Quid: ne nimium,vel nimis parum. Quando: ut tempore opportuno. Qui enim non attentis quatuor his conditionibus aliquid donaverit, inveniet quidem facile qui donum accipiat, ſed non qui gratiam habeat.

Quæris quibus rebus Princeps ſtatum ſuum maxime tueri & conſervare, adeoque ornare poſſit. Reſpondeo quatuor: Patientia in ferendis adverſis: Liberalitate in dando: Gratitudine in agnoſcendis aliorum meritis: & Clementia in ignoſcendo. Cetera enim omnia vitia in Principe quodammodo tolerantur, qui in rebus adverſis animi ſui oſtendit magnitudinem: qui aliorum beneficia agnoſcit & remuneratur: qui liberalis eſt in erogando: & clemens in ignoſcendo.

Quæ Nobili. Quæris,quænam Equiti ſeu Nobili, tamquã exiſtimationi notam inurentia, maxime fugienda ſint. Reſpondeo qua tuor: Timiditatem ſeu Ignaviam, Avaritiam, Mendacium, & Injuſtitiam. Qui namque in bello ignavus, in domo parcus ac tenax, in verbis vanus, ac nõ tã juris obſervans quã emolumenti eſt cupidus, in ſtitorum magis ordini quã Nobilium accenſeri debet.

Quæ virgini. Quæris, quænam Virgini bonam famam cõſervare & amari ſimul cupienti obſervanda ſint. Reſpondeo, quatuor. Ut facie ſit venuſta: ut moribus honeſta ſit; ut lenas & lenones ne norit quidem: & ut à publico quantum fieri poteſt, abſtineat.

Quæ Monacho. Quæris, quænam conditiones monacho in monaſterio perſeverare cupienti ſint neceſſariæ. Reſpondeo, quatuor. Ut impleat quod vovit; faciat quod mandatum, edat quod appoſitum fuerit: neque offendatur eo quod ab aliis viderit aut audierit. Hæc qui diligenter obſervarit, crede mihi, intra monaſterii ſui ſepta facile ac lubenter ſe continebit.

Quæ Monachæ neceſſaria docet. Quæris, quænam Moniali, ad diſcutiendam ſolitariæ vitæ triſtitiam, ſervanda ſint. Reſpondeo, quatuor. Ut ultro ac volens, religioſæ vitæ nomen det: ut quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt habeat: ut labore delectetur: & ab omni abſtineat murmuratione. Monialis enim vi in monaſterium detruſa, rerum omnium patiens inopiam, fugitans laboris, moroſa & querula & ipſa parum gaudii animo ſuo ſentiet, & Præpoſitis ſibi multum negotii ac moleſtiæ exhibebit.

Equidem reſpondendo jam feſſus ſum. Jamque verbum non addo: niſi hoc unum, *Vale.*

Ad
LEONORAM GUEVARAM, MARITO ORbatam
EPISTOLA CONSOLATORIA.

Litteras tuas, cognata chariſſima, accepi, quibus petis, ut quomodo vidua ſeſe gerere debeat, tibi præſcribam. Equidem quod conſiliũ à me petis, non moleſte fero: ut qui non ignorem, ex omni vitæ ſtatu, viduarum maxime eſſe periculoſum: nec majorem fere honeſtæ feminæ dolorẽ poſſe accidere, quam marito orbari. In ceteris enim rebus, unius tantũ jactura ſit: fe-

mina quæ virum amittit, omnia ſimul cum ipſo amittit, ut quem vitæ ſuæ habuit ſuſtentaculū, remedium ærumnarum, laborum allevamentum, rei familiaris columnam, tutiſſimum denique in omnibus neceſſitatibus aſylum, ac cōmunem familiæ Patrem. Infelix profecto eſt vidua, ſive liberos habeat, ſive liberis careat. Si namque liberos non habet, à cognatis & affinibus vexabitur. Si liberis nō caret, duplici ſtringetur moleſtia. Si Parvi ſunt liberi; magnæ erunt curæ in iis educandis; ſi jam adulti, cum ætate etiam curæ & labores matrum creſcent. Raro enim fit, ut viduarum liberi matrum ſe voluntati & imperio ſubmittant. Quin plerique tam filiæ quam filii faciunt non quod debent, ſed quod volunt, ita miſeris viduis id unum fere negocii datur, ut mariti mortem lugeant, & liberorum inobedientiam deplorent.

Viduarū ſtatus qualis.

Mihi quidem tam ſacras quam profanas hiſtorias excutienti nullum exemplum occurrit, quod viduis aptius ad imitandum proponi poſſit, quam Judithæ: de qua moneo, ut caſtitatem, modeſtiam, pietatem, ceteraſque illo ſexu & ſtatu dignas virtutes condiſcant. Judithæ poſt mariti obitum viduā permanſit, neque ullum alium virum experta eſt. Eadem in jejunio & precatione aſſidua fuit: tum ab hominum conſortio ita abſtinuit, ut etiam in propria domo cellulæ cum ancillis ſeſe incluſerit; habens ſuper lumbos ſuos cilicium, quamvis multæ divitiæ, & familia copioſa, ac poſſeſſiones armentis boum & gregibus oviū plenæ à marito ipſi relictæ eſſent. Legimus, Romanā quandā viduam totos triginta annos domo incluſam ſe continuiſſe, ne ullius viri alloquendi ſibi eſſet facultas. Rara avis, ita me Deus amet, hoc noſtro ſæculo, nigroq; ſimillima cygno. Nunc enim marito vixdum mortuo, videmus pleraſq; viduas aut in publico oberrantes, aut è feneſtris aſſiduo deſpicientes. Atqui ovis à grege aberrans, lupo; & columba hinc inde circumvolitans accipitri plerūque præda fiunt. Quamdiu Thamar paterna ſe domo continuit, pudorem illæſum ſervavit: quē quam primum in puplicū prodiit, amiſit. Recte enim S. dicit Hieronymus, caſtitatē tribus rebus conſervari, Temperantia ſcilicet in cibo ac potu, ſimplicitate in veſtitu & abſtinentia à publico & hominū converſatione. Duo tantum ego loca viduabus frequentanda cenſeo, proprium domicilium, & templum. Domi quidem liberorum amor & rei familiaris cura; at Dei amor mortiſque impendentis metus in ſacris ædibus ac precatione aſſiduam eam detinebunt.

Caſtitas quibus rebus conſervetur.

Verum enimvero, ut petitioni tuæ ſatisfaciam, paucis indicabo, quomodo vidua in ſtatu ſuo gerere ſe debeat, ut tam erga Deum quam homines officio perfungatur. Prima quæ in ea requiritur virtus, eſt erga defunctum maritum Pietas, quā aſſiduis pro ejus ſalute tam lachrymis quam precibus fundendis declarabit. Solent apud Indos defunctorum uxores in eundē ſe rogum conjicere, & cum marito concremari. Non facient hoc Chriſtianorum conjuges, ſed potius lachrymis, precibus & eleemoſynis ignē illum in quo maritorum animæ expiantur, exſtinguere, aut certe mitigare aliquo modo ſtudebunt. Sed Deum immortalem, quanto noſtrates viduæ barbaris illis ſunt deteriores! Illæ enim ad cremandum viri cadaver ligna, at hæ ad ſuffocandam & exſtinguendam mariti defuncti memoriam, & mœrorem ſuum abluendum, integras ſitulas vino plenas apportant. Turturem ajunt, amiſſo compare ab omnium deinde ſocietate abſtinere. Idem honeſta facit vidua, mortuo marito non alium deſideratura, ſed ob amiſſi memoriam in luctu ac precatione ſemper atque aſſiduo futura. Nec vero pro marito tantum, ſed pro toto quoque populo Deum deprecabitur, ut Juditham feciſſe legimus. Sed profecto ridiculus ego pæne ſim, qui hos mores noſtri temporis viduabus inculcare & ad imitandum proponere velim: à quibus illæ immane quantum abierunt! Pleræque enim palam quidem oculis plorant, clam vero ipſo corde rident: eædemq; aſſiduo precari videntur, ſed non pro defuncto, ſed futuro marito. Secundas deteſtantur nuptias, ac perpetuā vovent viduitatem; verum anima adhuc inter labra moribundi verſante, jam novum ſibi circumſpiciunt maritum. Inprimis illæ quæ nimis ſeſe affligtare, adeoque in conditorium uſque defunctos proſequi velle videntur, plerumque eorum quam citiſſime obliviſcuntur, ut quæ ſimul ac ſemel omnem effundunt dolorem: cui deferveſcenti, unica ſtatim de novo marito ſubit cogitatio. Eoque nullam ego mulieris lacrymis fidē habendā moneo, ut quæ citiſſime exareſcat.

Virtutes viduæ neceſſaria.

1. Pietas in defunctum maritū.

Quæ rara hodie.

Secunda, quæ in vidua & ea maxime quæ provectæ jam ſit ætatis, requiritur virtus, eſt Prudentia. Primo in educādis liberis. Audiāt viduæ, quid D. Apoſtolus ab eis poſtulet. *Si qua*, inquit,

2. Prudentia, in formandis

vidua

vidua filios aut nepotes habet, diſcat primum domũ ſuam regere. Et S. Hieronymus Magnum aitDei donum eſſe, liberos bene educare, & coheredes Chriſti efficere. Ipſa certe Natura demonſtrat, quomodo in liberorũ educatione gerere ſe debeant viduæ. Aves pullos ſuos non paſcunt modo, ſed & ad volatũ inſtruunt. Eodẽ modo vidua quoq; liberis & de alimentis quo corpora eorũ paſcãtur, & de bona doctrina & exẽplis, quibus animi imbuãtur, proſpicit, & ad cœleſtiũ rerum ac puræ vitæ amorẽ eos incitabit. Sed multæ ſtultæ reperiuntur viduæ, tam tenere liberos ſuos amantes, ut nulla eas diſciplina conſtringant, ſed in omni vitiorum genere adoleſcere patiantur: quorum finis eſt perditio. At ſapiens vidua in educandis liberis pectus matris, & virgam patris adhibebit. Illud, in bonis inſtillandis præceptis ac monitis: hanc, in corrigendis eorum

Et corrigendis liberorũ moribus. malis moribus & erratis. Arbores quædam ſunt, quæ non niſi tranſpoſitæ, ſæpius rigatæ, purgatæ ac cultæ ſuccreſcunt ac fructus ferunt. Credite mihi, matres, niſi falcem illam diſciplinæ liberis veſtris adhibueritis, putredine ac ſitu corrumpentur, ſterileſq; evadent. Melius profecto eſt ut mater filium caſtiget, quam exſecretur. Memorabile cumprimis exemplũ apud D. Auguſtinum exſtat, quod in Cappadociæ quodam oppido contigit. Ibi vidua erat, ſeptem filiorum & trium filiarum mater: quos quum illa immorigeris eorum exaſperata moribus, diris devoviſſet, diabolus repente eos invaſit, ſic ut manibus ac pedibus tremebundi, ac horribilem præ ſe ſpeciem ferentes, per totum oppidum circum curſitarint, cum magno ſpectantium terrore. O quanto rectius feciſſet mater iſta ſi vel ferreis virgis liberos cæcidiſſet, quam diris eos proſequuta eſſet! Sic enim nec ſibi luctum, nec liberis tantum cruciatum conciliaſſet.

3 Frugalitas. Tertia viduis neceſſaria virtus eſt, Frugalitas, ut rem familiarem ſcilicet diligenter adminiſtrent, operamq; dent, ne expenſæ reditibus ſint majores. Qua in re aliorum quidem opera, ſed non ſemper conſilio utentur. Reperiuntur enim paraſiti, qui ſub prætextu neſcio cujus pietatis apud viduas ſeſe inſinuant, vulpium more, quæ ſupinæ jacentes mortuas ſe ſimulant, interim vero aves ſine ullo metu aſſidentes, celeriter arripiunt ac vorant. Tales olim fuerunt ſcribæ ac Phariſæi, quorum circa viduarũ domos curſitationes & inſidias Chriſtus reprehendit, inqui-

Matt. 23 ens: *Væ vobis ſcribæ ac Phariſæi, qui comeditis domos viduarum orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.*

4. Humilitas. Quarto, humilis eſſe debet vidua, tam externo corporis, quam interno animi cultu & affectu. Interna humilitas eam docebit, ut quamvis ſtatum ſuum conjugali meliorem eſſe ſciat, non tamen propterea ſuperbiat animumve extollat. Bonus eſt conjugum ſtatus: melior viduarum; optimus virginum. Non tamen propterea nimis ſibi placebunt virgines, ne quæ jam pulcre ſibi ſtare videntur, mox cadant. Sed nec vidua conjugatis ſeipſam præponet. Primo, quod multæ conjugatæ reperiuntur, quæ caſtitatem ſuam non minus ſollicite atque integre ſervant. Deinde non facile ſe jactabit aut magnifice circumſpiciet, quæ quidquid in vita hac habuit ſolatii amiſiſſe ſe meminerit. Hunc vero humilitatis affectum non animo continebit vidua, ſed in moribus, oratione, veſtitu, totaque vita præ ſe feret. Quin quanto in luculentiori ampliorique fortuna ac dignitate eſt poſita, tanto humiliorem ſe oſtendet. Humilitas quippe etiam infimos exaltat: Superbia econtra vel celſiſſimos deturbat. Dives erat Juditha, & tamen eadem cum ancillulis ſuis fortuna ac ſorte contenta. Conjugatis vitio dandum non eſt in comendo & ornando corpore ſtudium, ut ſcilicet maritis placeant, eorumque oculos & animos ab aliorum aſpectu & deſideriis avertant. At viduam, quæ poſt mortem mariti faciem ſibi ſtatim ceruſſa inficiat, & expoliendo ornandoque corpori omnem curã impendat, quis ferre poſſit? quis non ipſam corpori ſuo lenocinium facere exiſtimet? Me quidem judice, illa pro honeſta vidua habenda eſt, quæ totam ſe, quantum rei familiaris cura patitur, ſacrorum librorum lectioni dedit: nec tam hominum quam Dei oculis placere ſtudet. Veſtes quibus vivo marito uſa eſt vidua, eo mortuo deponet, ne ipſa diaboli fiat rete, & ad ſupplantandos alios offendiculũ. Hinc recte monet Sapiens *Averte faciem tuã à muliere comta, & ne circumſpicias ſpeciem alienã. Propter ſpeciẽ mulieris multi perierũt: & ex hoc cõcupiſcentia quaſi ignis exardeſcit.* In quo tamẽ diſcrimen obſervari debet inter viduã, quæ in ſtatu iſto perſeverare, & eam quæ rurſus alteri nubere conſtituit. Huic enim nemo vitio verterit, ſi exacto anno lugubrem deponat amictũ, ac paullo lætiorem, ejuſdem tamen coloris, induat: quo tanto facilius ſibi inveniat maritũ, ac liberis patrẽ. At quæ à ſecundis averſa nuptiis,

Præſertim in veſtitu.

Eccleſ. 9. v. 8.

Imprimis ſi nubere rurſus nolit.

Digitized by Google

ex mera vanitate ſuperbis laſcivit veſtibus, graviſſime Deum offendit, ut quæ multorum ſollicitet oculos, & libidini fomitem ſubminiſtret. Sciant viduæ, veſtes molles ac ſuperbas nequaquam Chriſto Domino ſponſo ipſarum placere: quum Deus veſtes ejuſmodi mulierum immundas ac cruentas (ut Iſaias vates loquitur) igne cremari jubeat. Et de mulieribus generatim Hieremias Propheta loquens, ait, In alis ipſarum ſanguinem miſerarum ac perditarum animarum eſſe inventum. Ex quo diſcent in univerſum omnes feminæ, multas maritis ſuis damnationem accerſere: dum miſeri illi ut uxorum ſuperbiam & cupiditates expleant, non alieno modo ære ſe obſtringunt multiſque laboribus & moleſtiis defatigant, ſed etiam tandem deſperationis laqueis implicant.

5. Caſtitas. Quinta viduis vel una maxime digna virtus eſt Caſtitas: ut ſcilicet oculis, ore, moribus, converſatione, ac tam animo quam corpore puræ ac pudicæ ſint. Neque enim oculos tamquam auceps circumferet vidua, ſed tamquam monachus aut eremita humi defiget. Turdos, ficedulas, perdices, ac piſces, recenteſne an putres ſint, ex oculorum inſpectione quidem dignoſcunt. Recte S. Auguſtinus, Impudicum oculum impudici ait cordis eſſe nuncium. O homines ipſis brutis ſtolidiores! Avibus oculi eo conducunt, ut retia & laqueos ſibi tenſos obſervent ac vitent, at nobis, ut libidinum laqueis implicemur. Vere Sapiens Impudicitiam in oculis mulieris habitare dixit. Unde apud nonnullas gentes moris eſt, ut feminæ totam fere faciem obnubant, tum ut alios ne videant, tum ut ab aliis ne videantur. Accipitrum generoſiſſimorū oculis velum obduci ſolet, ne viliores aviculas inſectentur. Sic viduam quoque oculos velatos habere oportet, ne terreſtrium rerum aſpectu à

Ore & verbis. cœleſtium contemplatione abducatur. Ore etiā caſta eſſe debet vidua, ut ſcilicet nulla turpia aut obſcœna verba proferat, neque effuſe aut inepte rideat. Cachinnus enim ineptus animi levis eſt indicium. Equidem miror ego, ullam eſſe viduam quæ ridere aut gaudium præ ſe ferre poſſit, quum juſtiſſimas quacumque aſpicit aut animum convertit, plorandi ac mœrendi habeat cauſſas: Rectè namque ſemivivam dicimus, quæ in marito jā dimidia ſui parte eſt mortua, & cui ex omni ſuo mundo nihil præter veſtitū luctus & mœroris relictū eſt quo delectetur. Riſu, immo lachrymis digna res eſt, pleraſq; viduas adeo leves eſſe, ut uno eodemque funere maritum ejuſque memoriam efferant, atque in idē conditorium reponant. Non ita Marcia illa Catonis fecit, quæ rogata, quando mariti lugendi finem facere velit, Non prius reſpondit, quam & ipſa vivere deſiiſſet. O viduam noſtrarum longe diſſimilem! in cujus animo mariti licet mortui memoria ſemper vixit, quoad & ipſa vixit.

Moribus & converſatione. Moribus quoque & in converſatione caſta ſit vidua oportet: inprimis ut omnes illas ſodalitates fugiat quæ vel leviſſima ſuſpicione famam ipſius & exiſtimationem lædere poſſunt. Recte S. Hieronymus, Muliebrem pudorem nō minus tenerum ac fragilem eſſe dicit, quam floſculum aliquem, qui vel vento afflatus, emarceſcit. Idem viduas hortatur, ne miniſtrorum aut aulicorū turbę ſe immiſceant, ſed ut viduarum ac virginum gaudeant conſortio. Et profecto tam tenera ac delicata res feminei ſexus honos eſt, ut unius mulierculæ moribus non ipſius modo, ſed totius quoque familiæ exiſtimatio, ſalus liberorum, & defuncti mariti memoria periclitetur: eoque inhoneſta vidua non minus quā Veſtalis impudica viva defodienda ſit. Toto denique corpore & animo caſta eſſe debet vidua. Nam ſi in conjugio caſtitatem ſervavit femina, quanto magis jam in viduarū ſtatu, utpote meliori, eandem ſervabit. Olim quidem Romani præcipuam caſtitatis laudē viduabus tribuebant: quas ab omni impudicitiæ macula puras eſſe judicabant. *Venient tibi duo ſimul, ſterilitas & viduitas,* inquit Propheta. Ajunt rerū naturalium ſcriptores, in palmis utriuſq; ſexus differentiā deprehendi, Quod ſi maſculus decidatur, femellam intra triduum quoque marceſcere ac ſterilem fieri. Quo monentur viduæ, mortuo marito, omne libidinis ſemen in ipſis debere exareſcere. Id vero non fiet, niſi ea vitent conſortia, quibus ad libidinem provocari atque incitari poſſunt. Quæ enim ultro talia conſectantur, ipſæ profecto fomitem libidini ſubminiſtrant, atque ignem ſubjiciunt. Omnes impuras quoque cogitationes viduæ animo debent ejicere. Videmus ſerpentes & anguillas quà caput poſſunt inſerere, facile deinde totum corpus inſinuare. Idem faciet libido, niſi caput ei præcideris, id eſt, primam cogitationem animo ſtatim profligaris. Minus quidem mirum eſt, viduas juvenculas maritorū cito oblivisci, ac novum ſibi ab aliis ſolatium quærere: At quis ferat, jam ætate provectam, adeoq; decrepitā novum

vum ſibi maritum ac liberis vitricum inducere, & quidem ſæpe eum, cui prima lanugo genas nondum veſtiat, quique nuces non dum reliquerit? Inde vero fit, ut pòſt non multos menſes maritus juvenculus abſumtis vetulæ bonis, aut militiæ nomen det, aut ſolum vertat; aut interdiu manibus ac pedibus vetuſtum utrem contundat, noctu vero juvenculam concubinam amplectatur. Et quis non juſtas vetulam ejuſmodi pœnas luere dicat? Libidinoſa enim anus diaboli eſt pila & ludibrium.

6. Temperantia

Ultima viduis neceſſaria virtus eſt Temperantia in cibo ac potu. Auguſtinus inquit, tria eſſe viduarum genera. Primo eſſe quaſdam juſtas ac perfectas, & ad æternam gloriam divinitus electas: quæ quod reliquum eſt vitæ in jejunio, oratione ac Dei cultu tranſigunt, Secundum genus eſſe earum, quæ omnes fere ſuas curas in liberorū educatione & adminiſtratione rei familiaris conſumunt: quæ quidē ab illarū felicitate aliquāto longius abſint. Tertio eſſe quaſdā, quæ totæ ventri ac ceteris voluptatibus ſint deditæ: quatū merces eſt turpitudo & mors æterna. S. vero Auguſtinus quodā loco inquit, citius poſſe ignē & aquā in eodem vaſe, quā caſtitatē in cibi potuſque intēperantia ſervari. Et D. Apoſt. viduā quæ in deliciis & voluptatibus vitā agat, mortuā appellat. Quod ſi Juditha vini cupida fuiſſet, ſeque cum Holoferne hilariuſcule invitaſſet, procul dubio caſtitatem ſuā præſentisſimo periculo fuiſſet expoſitura. Quoniā vero Holofernes vino ebrius, mulieris manu eſt interfectus: quid, putas, viduæ vinolentæ accidet, quæ multo debilioris eſt naturæ? Romanis olim uxores quæ vinum bibiſſe deprehenſæ eſſent, impune licebat occidere. Quod ſi apud paganos veræ expertes fidei tantum ſobrietatis in feminis fuit ſtudium: quanto majus à Chriſtianis requiritur. Cōtrariū tamen fieri, proh dolor! quotidie videmus. Quanto enim major vis aquæ in molatrinæ rotam cadit, tanto velocius ea circumagitur: ſic noſtræ feminæ quanto plus vini gulæ ſuæ infundunt, tanto magis inſtar garrulæ alicujus picæ linguæ habenas ſolvunt, & converſantibus ſe faciliores præbent.

Vini uſus periculoſus feminis.

Exempla viduabus imitanda.

Sed ne viduabus noſtris bilem ulterius moveam, uleuſque tangam, ad extremum omnibus Sareptanæ illius viduæ exemplum tam ad contemplandum quam imitandum propono: quæ licet paupercula eſſet, pietate tamē & modeſtia ſua meruit, ut Eliam prophetam aleret, & ut nec farina in arca, nec oleum in lecytho deficeret. Addo his ſupra poſitum Judithæ exemplum, quæ jejunio & temperantia ſua, interfecto Holoferne, patriam excidio liberavit. Tandem vero ſponſum quoque amabiliſſimum illum Jeſum Chriſtum, viduabus propono: ut in eum unum omnes ſuas curas & cogitationes defigant, ardentibus ejus adventum lucernis exſpectent, & ad æterna gaudia ab ipſo aſſumantur.

Ad SESSÆ DUCEM

EPISTOLA:

Qua ad quæſtiones nonnullas tam jocoſas quam ſerias reſpondetur

Litteras V. Celſitudinis ante dies non multos Andreas Lupus mihi reddidit: quarum primo aſpectu judicavi ſane non epiſtolam eſſe ad monachum ſcriptam, ſed rerum novarum libellum, quales Imperatori Conſtantinopoli mitti huc ſolent. Sed miſſis his, quidquid faciam, reſpondendum tamen mihi eſſe intelligo: quum epiſtola hæc ſcripta ſit à *Seſſæ* Duce, illius Magni Conſalvi Ferrantis de Cordua cognato, cujus olim Fr. Antonius de Guevara deditiſſimus fuit cliens.

Quæris, cur mares feminis robuſtiores plerumque ſint & proceriores. Reſpondeo, id proficiſci à calore, qui major eſt in viris quam feminis. Deinde eo, quod maſculorum natura perfectior ſit quàm ſexus muliebris.

Quæris, cur hominis vox poſt diuturnas vigilias rauceſcat. Reſpondeo, raucedinem hanc naſci ex ſuperfluis humoribus, qui humores ex alimentorum cruditate & indigeſtione oriuntur, præſertim in ſuperiori parte corporis. Hinc etiam capitis exſiſtit gravedo. Et quia gula ac totum palatum crudis humoribus obſidetur, neceſſe eſt, ut vox raucum quid ſonet.

Quæris, cur inter quatuor elementa ignis & aer non computreſcant, quemadmodum terra & aqua. Reſpondeo, quidquid putreſcit, neceſſe eſſe ut prius frigeſcat. Quum ergo Ignis frigeſieri non poſſit, corrumpi quoque non poteſt. Sic aer quoque etſi refrige-

ſcat nonnumquam, calorem tamen ſemper ſervat. Aqua vero & terra ut cito calorem, rurſuſque frigus cito recipiunt, ſic facile quoque corrumpuntur.

Frigoris cauſſa poſt urinã redditam,

Quæris, cur poſt redditam urinam homo neſcio quod frigus ſentiat. Reſpondeo eo, quod veſica calido lotio exonerata, frigidis rurſus humoribus incipiat oppleri. Quia enim Natura vacuum non patitur, in urinæ effuſæ locum aer ſuccedit: eoque fit, ut lotio reddito, homo ſæpe contremiſcat.

Quæris, cur feminæ cito caneſcant. Reſpondeo, id fieri ob frigidorum humorum abundantiam, ex ocio, ac mucoſa materia nondum percocti ſanguinis procreatam.

Quæris, cur feminæ genas glabras, nullamque barbam habeant. Reſpondeo, idem frigus cauſſam eſſe, quo pori obturantur ne pilos producere queant.

Quæris, quæ ſit abſurdi illius appetitus cauſſa, quod prægnantes feminæ carbones & alia à quibus alias natura abhorret, comedere expetant. Reſpondeo eam eſſe, quod Natura quidquid eſt ſanguinis in matrice, ad concepti fetus formationem, colligit: qui quum impurus ſit, ventriculum quoque eadem impuritate inficit, ſicut is ad impuros quoque & Naturę alias contrarios cibos expetendos ſtimuletur.

Quæris, cur tam feminis quam eunuchis, exilis vox ſit. Reſpondeo, cauſſã eſſe arteriæ anguſtiam. Videmus enim anguſtam fiſtulam magis tenuem & velut tinnientem ſonum reddere quàm amplam.

Quæris, qui fiat, quod ſæpe ex ruſticanis ac craſſæ Minervæ hominibus nati ingenio ſint acutiſſimo; econtra doctorum ac ſapientum virorum liberi hebeti atque obtuſo. Reſpondeo, id eo fieri, quod homines ruſtici atque idiotæ dum procreandis liberis dant operam, animum habent totum illi actui intentum; eoque ſemen illorum multo eſt perfectius, & ſpiritu tam animali quam vitali & naturali præditum. Sapientes econtra & docti homines etiam in illo ipſo actu animum habent aliarum rerum curis diſtractum: ex quo fit, ut ſemen emittant multo debilius; ac ſpiritu fere, animali inprimis, deſtitutum.

Quæris, cur lapis aut ferrum in aquam conjectum mergatur, lignum vero ſupernatet. Reſpondeo, eam ob cauſam, quia lignum rarum eſt & poroſum, lapis vero aut ferrum denſum ac ſolidum eſt corpus. Sic ergo fit, ut aër poris illis contentus; corpus mergi non ſinat. Inde etiam eſt, quod aquis ſuffocati, primo merguntur, poſtea vero rurſus emergant. Cadaver enim, pulmonibus aliiſque inteſtinis jam vacuis, aeremque rurſus concipientibus, rurſus extollitur. Quamobrem piratæ olim interfectorum à ſe cadaveribus pulmones exſecare ſolebant, ut ne emergerent, cædiſque indicium facerent. Sic ovum quoque recens mergitur ſtatim: putridum vero ac ſemivacuum ſupernatat. In humoris quippe putrefacti locum ventus ſive aer ſuccedit, qui obſtat quo minus emergatur.

Quæris, qui fiat, quod homo parvo momento modo incaleſcat, modo frigeſcat. Ad hanc quæſtionem, ut verum fatear, cunctantius aliquanto reſpondeo, ut qui litteris humanitatis, non vanitatis operam dederim. Quia tamen ejus rei naturales reddi poſſunt cauſſæ, age & hunc nodum, ut potero, ſolvam. Cauſſa vero tam ſubitæ mutationis eſt diverſus animorum affectus. Quando enim amantes mœrore afficiuntur ex deſperatione rei vehementer à ſe expetitæ conſequendæ, calore ad interiora corporis diſcedente exteriora refrigeſcunt: ſic ut homo non facie tantum, ſed etiam toto corpore inſignem pallorem oſtendat. Econtra vero in bonam ſpem quod concupierunt potiundi erectis, calor per exteriora, & inprimis faciem ſeſe diffundit. Hinc Pictores Cupidinem modo triſti, modo læta & ridenti facie pingunt: & quidẽ Pueri habitu: quo innuunt, vehementem eſſe amantium affectum, ſed inconſtantem ac parum diuturnum. Amor quidem honeſtus inter amicos, conjuges, parentes & liberos conſtans eſt ac perpetuus: at quem libido, divitiæ, aut quid aliud ejuſmodi conciliavit, momento refrigeſcit, adeoque in odium ſæpe mutatur.

Cur amantes palleant.

Quæris, qui fiat, quod hominem amantem oculi præcipue prodant. Eo, inquam, quia oculi velut ſedes ac domicilium ſunt animi. Certum namque eſt, hominis effectus ex nulla parte corporis magis quàm ex oculis agnoſci. Quia ergo Amor, vehemens animi affectus, id quod amat unice quærit, facere aliter non poteſt, quin id ibi loci quærat ubi domicilium habet.

Inſomnia cauſſa qua.

Quæris, cur homines ſolliciti & afflicti noctes fere totas inſomnes ducant. Ideo, quia cura vel deſideriũ animi tantum eſt, ut cetera omnia, etiam quibus alias carere homo non poteſt, expellat. Altera cauſſa magis propinqua eſt, quod vehe-

vehementiores affectus, quales ſunt, ira, metus, dolor, itemque intentæ cogitationes calore ſuo humores illos ſoporiferos exſiccant: atque inde fit, ut ſenes & quibus ſiccum eſt cerebrum, pauci ſint ſomni.

Quæris, unde fiat, quod nonnulli amantes in primo congreſſu obmuteſcant, adeoque etiam ne verbum quidem eorum quæ dicere conſtituerant, proferre poſſint. Cauſam hujus rei eſſe ajo, vehementem animi motum ac perturbationem ex repentino ejus quod unice amat aſpectu natam. Animo vero perturbato, neque lingua officio ſuo fungi poteſt, ut quæ nihil aliud ſit quam animi interpres. Idem etiam aliis vehementiori affectu, ut ira aut metu correptis, evenire videmus.

Quæris, cur cupiditates noſtras & deſideria, Amorem inprimis, quantum fieri poteſt, celemus. Reſpondeo, Deſideriorum ſeu cupiditatum noſtrarum quaſdam eſſe naturales ac neceſſarias, quibus niſi ſatis faceremus, vitæ noſtræ periculum eſſemus allaturi. Aliæ vero naturales quidem ſunt, non tamen neceſſariæ, ſed ſuperfluæ, immo turpes atque inhoneſtæ: qualis inprimis eſt Venereus amor, cujus otium fomes eſt atque alimentum. Quia ergo vix quiſquam eſt, quin turpitudinis effugere notam, ac rationi convenienter vivere cupiat, plerique affectum hunc, quantum poſſunt, premunt & occultant. Non tamen deſunt homines inconſulti ac temerarii, qui citra omnem pudorem cupiditates ſuas produnt, de eventu aut hominum exiſtimatione parum ſoliciti.

Quæris, cur Amantes nullum in re amata vitium aut nævum deprehendant, etiamſi tota illa ſit vitioſa. Reſpondeo. Amantes ſimiles eſſe ebrioſis aut ambitioſis. Quemadmodũ enim illi ita vini cupidi ſunt, ut ipſorum palato nihil niſi vinum etiam qualecumq; ſapiat; & horum animos vel inanis ac leviſſima gloria ſupra modum titillat: ſic amantes dummodo amore ſuo perfruantur, cetera nec vident, nec penſi habent. Altera cauſſa eſt, quod vehementior affectus minorem impedit. Quoniam ergo amor in his rationi prædominatur, fit ut animus totus in dignoſcenda ac dijudicanda re aberret. Unde Poëtæ Cupidinem, id eſt Amorem, cœcũ finxerũt.

Hæc ego ad quæſtiones tuas breviter reſpondere volui: quæ quoniam de Amore pleraque ſunt, rogo ne ex hac epiſtola de moribus meis judiciũ fiat. Etſi profecto minus mirum tibi ac aliis videri debet, me qui olim & ipſe in Mundo vixerim, rerum mundanarum non eſſe imperitum. Sed gratias ago Deo ac Salvatori meo, qui ex Mundo abſtractum me in hoc monaſterium deduxit, ut ibi ſancto ipſius cultui ac ſervitio totus incumbam.

Ad
OSORIUM CANONICUM
EPISTOLA:

In qua cauſſas explicat, cur homines hoc tempore ſine ullo metu aut pudore peccatis indulgeant.

SCribis, te mirari, qui fiat, ut homines citra omnem metum ac pudorem in peccatis ſe volutent. Ejus ego rei cauſſas aliquot invenio: quarum nonnullas breviter indicabo.

1. Cauſſa Peccatorum impunitas.

Prima ac præcipua cauſſa eſt, peccatorum impunitas. Si enim ſtatim poſt commiſſum peccatum homo aut brachium, aut crus aut collum frangeret, aut alio modo divinitus puniretur: Deum immortalem quis horror, quæ deteſtatio peccati futura eſſet! At tanta eſt Dei miſericordia, ut non velit mortem peccatoris, ſed ut vivat & convertatur: eoque ſpatium pœnitendi ipſi indulget. In Moſaica lege illud non exiguum peccati metũ Iſraelitis incutiebat, quod delictũ fere præſentanea pœna ſequebatur. Numerorũ cap. XV. legimus, virum quendam lapidatum, nullam aliam ob cauſſam, quàm quod die Sabbathi ligna collegiſſet. Et Levitici capite XXIV. Ægyptii cujuſdã filius extra caſtra eductus, & ab univerſo populo lapidibus ſcribitur obrutus, eo quod Domini nomen blaſphemaſſet. In Deuteronomio Deus præcipit, ut adulter & adultera lapidibus unà obruantur. Quod ſi hodie omnes vel Sabbathi profanatores, vel blaſphemi, vel adulteri lapidibus eſſent obruendi: nec lapides illis puniendis, nec cœmiteria ſepeliendis ubicumque locorum ſufficerent. Quia vero pœnæ ſententia nec fertur ſtatim, nec executioni mandatur, fit ut hodie tanta blaſphemorũ, adulterorũ, ſcortorum, atq; ut univerſim dicam, impiorum ſit multitudo. Quanta eſt, ô Deus, tua miſericordia, quàm infinita eſt tua bonitas, quã immẽſa patiẽtia. Tu vitia noſtra diſſimula,

Mirabilis Dei benignitas.

ſcat nonnumquam, calorem tamen ſemper ſervat. Aqua vero & terra ut cito calorem, rurſusque frigus cito recipiunt, ſic facile quoque corrumpuntur.

Frigoris cauſſa poſt urinã redditam.

Quæris, cur poſt redditam urinam homo neſcio quod frigus ſentiat. Reſpondeo eo, quod veſica calido lotio exonerata, frigidis rurſus humoribus incipiat oppleri. Quia enim Natura vacuum non patitur, in urinæ effuſæ locum aer ſuccedit: eoque fit, ut lotio reddito, homo ſæpe contremiſcat.

Quæris, cur feminæ cito caneſcant. Reſpondeo, id fieri ob frigidorum humorum abundantiam, ex ocio, ac mucoſa materia nondum percocti ſanguinis procreatam.

Quæris, cur feminæ genas glabras, nullamque barbam habeant. Reſpondeo, idem frigus cauſſam eſſe, quo pori obturantur ne pilos producere queant.

Quæris, quæ ſit abſurdi illius appetitus cauſſa, quod prægnantes feminæ carbones & alia à quibus aliàs natura abhorret, comedere expetant. Reſpondeo eam eſſe, quod Natura quidquid eſt ſanguinis in matrice, ad concepti fetus formationem, colligit: qui quum impurus ſit, ventriculum quoque eadem impuritate inficit, ſic ut is ad impuros quoque & Naturę alias contrarios cibos expetendos ſtimuletur.

Quæris, cur tam feminis quam eunuchis, exilis vox ſit. Reſpondeo, cauſſã eſſe arteriæ anguſtiam. Videmus enim anguſtam fiſtulam magis tenuem & velut tinnientem ſonum reddere quàm amplam.

Quæris, qui fiat, quod ſæpe ex ruſticanis ac craſſæ Minervæ hominibus nati ingenio ſint acutiſſimo; econtra doctorum ac ſapientum virorum liberi hebeti atque obtuſo. Reſpondeo, id eo fieri, quod homines ruſtici atque idiotæ dum procreandis liberis dant operam, animum habent totum illi actui intentum; eoque ſemen illorum multo eſt perfectius, & ſpiritu tam animali quam vitali & naturali præditum. Sapientes econtra & docti homines etiam in illo ipſo actu animum habent aliarum rerum curis diſtractum: ex quo fit, ut ſemen emittant multo debilius; ac ſpiritu fere, animali inprimis, deſtitutum.

Quæris, cur lapis aut ferrum in aquam conjectum mergatur, lignum vero ſupernatet. Reſpondeo, eam ob cauſam, quia lignum rarum eſt & poroſum, lapis vero aut ferrum denſum ac ſolidum eſt corpus. Sic ergo fit, ut aër poris illis contentus; corpus mergi non ſinat. Inde etiam eſt, quod aquis ſuffocati, primo merguntur, poſtea vero rurſus emergant. Cadaver enim, pulmonibus aliiſque inteſtinis jam vacuis, aeremque rurſus concipientibus, rurſus extollitur. Quamobrem piratæ olim interfectorum à ſe cadaveribus pulmones exſecare ſolebant, ut ne emergerent, cædiſque indicium facerent. Sic ovum quoque recens mergitur ſtatim: putridum vero ac ſemi vacuum ſupernatat. In humoris quippe putrefacti locum ventus ſive aer ſuccedit, qui obſtat quo minus emergatur.

Quæris, qui fiat, quod homo parvo momento modo incaleſcat, modo frigeſcat. Ad hanc quæſtionem, ut verum fatear, cunctantius aliquanto reſpondeo, ut qui litteris humanitatis, non vanitatis operam dederim. Quia tamen ejus rei naturales reddi poſſunt cauſſæ, age & hunc nodum, ut potero, ſolvam. Cauſſa vero tam ſubitæ mutationis eſt diverſus animorum affectus. Quando enim amantes mœrore afficiuntur ex deſperatione rei vehementer a ſe expetitæ conſequendæ, calore ad interiora corporis diſcedente exteriora refrigeſcunt: ſic ut homo non facie tantum, ſed etiam toto corpore inſignem pallorem oſtendat. Econtra vero in bonam ſpem quod concupierunt potiundi erectis, calor per exteriora, & inprimis faciem ſeſe diffundit. Hinc Pictores Cupidinem modo triſti, modo læta & ridenti facie pingunt: & quidẽ Pueri habitu: quo innuunt, vehementem eſſe amantium affectum, ſed inconſtantem ac parum diuturnum. Amor quidem honeſtus inter amicos, conjuges, parentes & liberos conſtans eſt ac perpetuus: at quem libido, divitiæ, aut quid aliud ejuſmodi conciliavit, momento refrigeſcit, adeoque in odium ſæpe mutatur.

Cur amantes palleant.

Quæris, qui fiat, quod hominem amantem oculi præcipue prodant. Eo, inquam, quia oculi velut ſedes ac domicilium ſunt animi. Certum namque eſt, hominis affectus ex nulla parte corporis magis quàm ex oculis agnoſci. Quia ergo Amor, vehemens animi affectus, id quod amat unice quærit, facere aliter non poteſt, quin id ibi loci quærat ubi domicilium habet.

Inſomnia cauſſa qua.

Quæris, cur homines ſolliciti & afflicti noctes fere totas inſomnes ducant. Ideo, quia cura vel deſideriũ animi tantum eſt, ut cetera omnia, etiam quibus alias carere homo non poteſt, expellat. Altera cauſſa magis propinqua eſt, quod vehe-

vehementiores affectus, quales ſunt, ira, metus, dolor, itemque intentæ cogitationes calore ſuo humores illos ſoporiferos exſiccant: atque inde fit, ut ſenes & quibus ſiccum eſt cerebrum, pauci ſint ſomni.

Quæris, unde fiat, quod nonnulli amantes in primo congreſſu obmuteſcant, adeoque etiam ne verbum quidem eorum quæ dicere conſtituerant, proferre poſſint. Cauſam hujus rei eſſe ajo, vehementem animi motum ac perturbationem ex repentino ejus quod unice amat aſpectu natam. Animo vero perturbato, neque lingua officio ſuo fungi poteſt, ut quæ nihil aliud ſit quam animi interpres. Idem etiam aliis vehementiori affectu, ut ira aut metu correptis, evenire videmus.

Quæris, cur cupiditates noſtras & deſideria, Amorem inprimis, quantum fieri poteſt, celemus. Reſpondeo, Deſideriorum ſeu cupiditatum noſtrarum quaſdam eſſe naturales ac neceſſarias, quibus niſi ſatis faceremus, vitæ noſtræ periculum eſſemus allaturi. Aliæ vero naturales quidem ſunt, non tamen neceſſariæ, ſed ſuperfluæ, immo turpes atque inhoneſtæ: qualis inprimis eſt Venereus amor, cujus otium fomes eſt atque alimentum. Quia ergo vix quiſquam eſt, quin turpitudinis effugere notam, ac rationi convenienter vivere cupiat, plerique affectum hunc, quantum poſſunt, premunt & occultant. Non tamen deſunt homines inconſulti ac temerarii, qui citra omnem pudorem cupiditates ſuas produnt, de eventu aut hominum exiſtimatione parum ſoliciti.

Quæris, cur Amantes nullum in re amata vitium aut nævum deprehendant, etiamſi tota illa ſit vitioſa. Reſpondeo. Amantes ſimiles eſſe ebrioſis aut ambitioſis. Quemadmodũ enim illi ita vini cupidi ſunt, ut ipſorum palato nihil niſi vinum etiam qualecumq; ſapiat; & horum animos vel inanis ac leviſſima gloria ſupra modum titillat: ſic amantes dummodo amore ſuo perfruantur, cetera nec vident, nec penſi habent. Altera cauſſa eſt, quod vehementior affectus minorem impedit. Quoniam ergo amor in his rationi prædominatur, fit ut animus totus in dignoſcenda ac dijudicanda re aberret. Unde Poëtæ Cupidinem, id eſt Amorem, cœcũ finxerũt.

Hæc ego ad quæſtiones tuas breviter reſpondere volui: quæ quoniam de Amore pleraque ſunt, rogo ne ex hac epiſtola de moribus meis judiciũ fiat. Etſi profecto minus mirum tibi ac alijs videri debet, me qui olim & ipſe in Mundo vixerim, rerum mundanarum non eſſe imperitum. Sed gratias ago Deo ac Salvatori meo, qui ex Mundo abſtractum me in hoc monaſterium deduxit, ut ibi ſancto ipſius cultui ac ſervitio totus incumbam.

Ad OSORIUM CANONICUM

EPISTOLA:

In qua cauſſas explicat, cur homines hoc tempore ſine ullo metu aut pudore peccatis indulgeant.

Scribis, te mirari, qui fiat, ut homines citra omnem metum ac pudorem in peccatis ſe volutent. Ejus ego rei cauſſas aliquot invenio: quarum nonnullas breviter indicabo.

Prima ac præcipua cauſſa eſt, peccatorum impunitas. Si enim ſtatim poſt commiſſum peccatum homo aut brachium, aut crus aut collum frangeret, aut alio modo divinitus puniretur: Deum immortalem quis horror, quæ deteſtatio peccati futura eſſet! At tanta eſt Dei miſericordia, ut non velit mortem peccatoris, ſed ut vivat & convertatur: eoque ſpacium pœnitendi ipſi indulget. In Moſaica lege illud non exiguum peccati metũ Iſraelitis incutiebat, quod delictũ fere præſentanea pœna ſequebatur. Numerorũ cap. XV. legimus, virum quendam lapidatum, nullam aliam ob cauſſam, quàm quod die Sabbathi ligna collegiſſet. Et Levitici capite XXIV. Ægyptii cujuſdã filius extra caſtra eductus, & ab univerſo populo lapidibus ſcribitur obrutus, eo quod Domini nomen blaſphemaſſet. In Deuteronomio Deus præcipit, ut adulter & adultera lapidibus unà obruantur. Quod ſi hodie omnes vel Sabbathi profanatores, vel blaſphemi, vel adulteri lapidibus eſſent obruendi: nec lapides illis puniendis, nec cœmiteria ſepeliendis ubicumque locorum ſufficerent. Quia vero pœnæ ſententia nec fertur ſtatim, nec exſequutioni mandatur, fit ut hodie tanta blaſphemorũ, adulterorũ, ſcortorum, atq; ut univerſim dicam, impiorum ſit multitudo. Quanta eſt, ô Deus, tua miſericordia, quàm infinita eſt tua bonitas, quã immẽſa patiẽtia. Tu vitia noſtra diſſimula,

1. Cauſſa Peccatorum impunitas.

Mirabilis Dei benignitas.

mulas, tu peccata noſtra toleras, tu ad pœnitentiam nos multis modis provocas, & longo animo exſpectas, nec in ipſo peccato deprehenſos ſtatim obruis atque interficis. At, pro dolor! tantum abeſt, ut tua iſta langanimitate ad pœnitentiam incitemur, ut etiam indies magis magisque peccandi anſam inde arripiamus.

2. Oblivio mortis.

Secundam cauſſam S. Auguſtinus explicat, inquiens, Hanc præcipue ob cauſſam pios ab impiis vexari atque infeſtari, quod hi omnem tam mortis memoriam quam extremi judicii metũ animo omnino ejecerint ac profligarint. Quæ ſi oculis noſtris aſſiduo obverſentur, dubium non eſt, quin peccata cane peius & angue oſuri ſimus ac deteſtaturi. At qui duo illa tempore gratiæ cõſiderare nolumus, neceſſe eſt, ut eorũ gravitatẽ tempore iræ & indignationis, in extremo ſcilicet die vitę noſtræ, & ultimo judicio experiamur. Quocirca aſſiduis Deũ votis deprecabimur, ne contingat nobis, quod ſecuris hominibus & peccatorũ ſomno ſepultis Chriſtus ipſe minatur, fore ſcilicet, ut adventu Domini tamquã à fure noctu opprimantur, tum ſcilicet quando nihil minus quam de vitæ emendatione, morte, aut noviſſimo die cogitabunt. Juſtũ enim eſt, ut qui Deum vivens deſeruit, moriens viciſſim ab eo deſeratur. Quare mirum non eſt, pleroſque homines vel ad cogitationem mortis cohorreſcere. Quos Auguſtinus acerbe increpat, inquiens: *Male tu quidem mori metuis, at non metuis male vivere.* Quod ſi male mori nolis, age male vivere deſine. Neq; enim umquã male mortuus eſt qui bene vixit. Qualem te mors invenerit, talem tu mortem experieris: & qualem te Judicium illud deprehenderit, tale tu illud ipſum experieris. Quod ſi juſtum te mors invenerit, juſtum ſane te rurſus dimittet. *Preciosa* enim *eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.* Sin malum te mors deprehenderit, ſic habeto, malam eam mortem tibi futuram eſſe. Vere enim Propheta ait: *Mors peccatorum peſſima.* Quamprimum enim peccator impœnitens ex hac vita deceſſerit, anima ejus ſtatim in infernum demergitur, ubi vivit moriens, & vivens quotidie ac ſingulis momentis moritur, atque æternos ſuſtinet cruciatus.

3. Diaboli fraus.

Tertia cauſſa, quod homines plerique in diem quaſi vivunt ac voluptatibus ac vitiis indulgent, eſt diaboli fraus atque aſtutia, qui his velut laqueis homines irretitos tenet, ut in æternã eos præcipitet damnationem. Idem interim in Angelum lucis ſeſe transformat, & quidem variis modis. Aliquando enim viſibile aſſumit corpus: qua forma B. Martino apparuit, & ſi nõ hunc, tamen quamplurimos alios decepit. Quandoque inviſibiliter voce quadam ficta ſe prodit: uti S. Franciſco apparuit, à vitæ auſteritate deterrere eum conatus. Aliquando ſenſum hominis pervertit, eamque formam in re aliqua repræſentat, qua hominem facile decipi poſſe novit. Nonnumquam etiam ſub pietatis & religionis prætextu malitiam ſuam in homine exercet. Hinc Seraphicus Doctor diabolum idem facere ait, quod verſuti mercatores ſolent, qui merces ſuas non totas oculis licitantium exponunt, ſed partem tantum panni explicant, eamque ſpecioſam ac bene contextam, interim vitium quod in medio volumine, aut fine eſt, abſcondunt. Sic diabolus quoque initium tantum peccati, quod palato noſtro gratum eſſe ſcit, deguſtandum nobis offert: medium vero, acerbiſſimos ſcilicet conſcientiæ morſus, nequaquam nobis oſtendit; multo minus finem, id eſt, æternos gehennæ cruciatus. Exemplo ſint avari: quibus primo pecuniæ amorem commendat atque inſinuat eo nomine, ut poſſint eleemoſynam dare, exſtruere xenodochia, alere orphanos, & ſimilia pietatis exercere officia. Aſt ubi jam illi ad rem attenti eſſe cœperint, ſic avaritia eos excæcat, ut quanto plus habent, tãto plus expetant, ac tandem quomodocumque, per fas aut nefas, rem facere poſſint, nihil penſi habeant, interim nulla de re quam de eleemoſynis dandis minus ſoliciti: adeo ut etiam illos ipſos quos juvare debuerant, ſpoliare boniſque exuere non dubitent.

Diabolus facit ut aſtutus mercator.

Solent verſuti luſores eos quibuscum ludunt ita tractare, ut in principio luſus ultro numorum aliquot jacturam faciant & adverſario victoriam cedant, cum tantum in finem, ut ille hoc velut bolo ineſcatus, hamum mordicus apprehendat, & uti fieri ſolet, luſu incaleſcat, nec prius deſiſtat quàm omnia, adeoque ipſas veſtes quibus indutus eſt, perdiderit. Idem facit diabolus: qui terrena hæc nequaquam homini invidens, annititur, ut aliquis magnas corradat divitias, magnas dignitates, omnia denique quæcumque velit conſequatur: poſtea vero eidem animam unà cum corpore & omnibus bonis aufert. O beatum illum, qui ubi mortis hora advenerit, cum Raguele dicere poſſit: Domine, eis qui in gaudiis ludunt & laſciviunt, num-

Itemque ut aſtutus luſor.

numquam me ſociavi, nec cum eis qui in vanitatibus ambulant partem habui. At prô dolor! pauci vaferrimum hunc luſorem agnoſcunt, multo minus ab eo ſibi cavent, qui non corpori modo & fortunis, verum etiã animæ noſtræ exitium machinatur: quum tamen Chriſtus ipſe paſſim, ut ab animatum iſto homicida nobis caveamus, admoneat.

Et hæ quidem cauſſæ ſunt; ob quas plerique mortalium peccata peccatis cumulare non ceſſant. Teſtatur S. Scriptura, ob unũ Davidis peccatũ 70. millia hominũ peſte divinitus immiſſa fuiſſe abſumta: & ob Sennacheribi blaſphemiam contra Deum temere effuſam, ingentem in Aſſyriorum caſtris ſtragem, adeoque pluſquam centies millium virorum cædem factam eſſe. At ô Deum immortalem, quanta tua hodie eſt clementia, quanta longanimitas ac miſericordia! Vides quotidie non Reges modo ac Principes, ſed ſubditos ſtupris & adulteriis ſeſe oblectantes; audis quotidie tot tamque horrendas blaſphemias; tot fraudes, furta, homicidia quotidie cernis: quid dicam de uſuris aliiſque malis artibus, quibus tenuiorum opes exhauriuntur? quid de crapula & ebrietate, cui plerique omnes indulgent? quid de odio & invidia, quæ inter ſummos atque infimos ad ſummum pervenere? Hæc tu omnia quotidie audis & vides, nec punis tamen, ſed admirabili patientia converſionem ac pœnitentiam noſtram exſpectas.

Dei juſtitia.

Equidem ſcio pleroſque hodie ſæculi noſtri malitiam deplorare: at quotuſquiſque eſt, qui ſe ipſum accuſet ac reum faciat, vitamque emendet? Mihi certe iſta reputanti minus mirum videtur, tantis malis ac miſeriis Mundum affligi, quin miror potius, non multo pejus nobiſcũ agi. Unde tot bella, rapinæ, cædes, & mutuæ inter ipſos Chriſtianos lanienæ? Unde peſtilentia, & tot morborum genera? Unde annonæ caritas & quotidiani victus apud pleroſque anguſtia? Recte S. Auguſtinus, Divinæ iræ virgam ac pœnas inter homines non ceſſare dicit, eo quod peccare ipſi non ceſſent. Timentium enim ſe voluntatem Dominus explet; ſed averſantes caſtigat. Rupertus Holcot magni nominis Doctor Scholaſticus appoſitum ad rem affert exemplũ. Ait enim, Urbis cujuſdam ab hoſtibus obſeſſæ cives à vicino Principe auxilium per legatos petiiſſe; inter alia nunciantes, Civitatem ſuam præaltis accraſſis mœnibus, latis foſſis, ac commodis propugnaculis munitam eſſe. Tum Principem ex legatis quæſiiſſe, An civitas ipſorum ſuperne atque inferne ita munita eſſet, ut Ira Dei penetrare in eam nõ poſſet? Sibi quidẽ animum non eſſe, eorum quibus illa incumberet, defenſionem ſuſcipere. Aliud apud eundem non minus notabile exſtat exemplum. In Nortfoleia, (qui Angliæ fuit Comitatus, Ducatus hodie) ſegetes aliquando, quæ uberrimæ meſſis ſpem præbuerant, à bruchis & locuſtis omnino fuiſſe abſumtam. In aliis vero locuſtarum illarum verba hæc, in una quidem, *Ira*, in altera, *Dei*, perſpicuis notis deſcripta fuiſſe. Ex quo diſcimus, Iram Dei licet tarde, tandem tamen exardeſcere; neque ullis humanis viribus averti aut evitari poſſe. Hinc Hieremias Propheta: *Seminaverunt triticum, & ſpinas meſſuerunt: hereditatem acceperunt, & non eis proderit. Confundemini à fructibus veſtris, propter iram furoris Domini.*

Præpoſtera hominum cura.

Ira Dei quã gravis.

cap. 12.

Quum ergo tantas noxas peccatum adferat, ac divina Ira inde magis magiſque paſſim exardeſcat: agite, in Timore Domini ambulemus, & à diaboli & ſatellitum ipſius nobis caveamus inſidiis. Quod ſi iram Dei peccatis noſtris exaſperatam ſentimus: quamprimum pœnitentia, lachrymis, eleemoſynis, aliiſque bonis operibus placare eam ſtudeamus. Deploremus anteactæ noſtræ vitæ errata, ac eum regio vate dicamus: *lachrymæ meæ cibus mihi ac potus ſunt dies noctesque.* Æquum enim eſt, ut qui deliciis hactenus indulſimus, jam amaris cibos noſtros ac potum lachrymis miſceamus; & qui dies noctesque peccavimus, jam dies noctesque pœnitentiam agamus. O benigniſſime ac miſericors Deus, libera animam meam! Tibi quidem peccavi ego, te graviter ego offendi, tamquam iram iuſtiſſimam in me concitavi. Sed ô Domine, propitius eſto miſero mihi peccatori. Ne intres in iudicium cum ſervo tuo, quia non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis vivens. Perſequutus eſt inimicus animam meam, & vitam meam proſtravit. Te ergo, te, inquam ô Deus, qui dixiſti, *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat,* te ego deprecor, te per viſcera miſericordiæ tuę obteſtor, ne in peccatorum cœno diutius me hærere patiaris, ſed gratiam tuam mihi largiaris, qua ad te converſus, hic beate moriar, & ibi in æternum tecum vivam.

Adhortatio ad pœnitẽtiam.

Digitized by Google

tate. Quanto rectius iidem facerent, ſi conſiderarent, nulli Planetarum aut cuicumque ſiderũ majorem à Deo vim ac virtutem tributam eſſe atque inditam quam ipſe voluerit: ſupremum vero imperium in res omnes Deum ſibi ſoli retinuiſſe.

De Genethliacis.

Solent quoque hoc hominum genus ex genethliacis thematis quæ cuique eventura ſint prædicere, non citra divinæ majeſtatis contumeliã. Ex quibus equidem lubenter quærerem, an credant, quibuſdam ex ira Deum regna eripuiſſe, & aliis ex mera gratia dediſſe. Item, an credant Dei iram atque etiam pœnam piorum precibus leniri atque averti poſſe. Quod ſi concedant, fateantur quoque neceſſe eſt, tam bona quam mala ex Dei voluntate ac diſpoſitione hominibus evenire. Legi in libro quodam, à Gulielmo Cancellario Pariſienſi edito, ad hunc ipſum aliquãdo veniſſe Aſtrologum neſcio quem, & inſpecto nativitatis themate, magnam ei dignitatem portendi aſſeveraſſe. Quærenti, an vel invito Deo dignitatem hanc poſſet aſſequi, idem reſpondit, nequaquam id fieri poſſe. Tum ſubiicienti, an eventum hunc Deus impedire poſſet: ruſuſque affirmanti, Gulielmum reſpondiſſe: Ergo quum utrumque in Dei manu ſit potiũ recte fecero, ſi totum hoc ipſius permittam voluntati.

Aſtra quorum, & quomodo ſigna ſint.

At dicat quis, Luminaria hæc cœli in eum finem à Deo facta eſſe, ut ſint in ſigna, tempora, dies & annos. Id quidem verum eſt quoad naturales cauſſas atque effectus. At longe alia eſt humanarum actionum & caſuum ratio, quarũ principia exlibero dependent arbitrio, & recta ratione, non vero planetarum influentia reguntur. Inclinative quidem humanas actiones ab aſtris diſponi non nego, eorum præſertim, qui voluntati ſuæ & cupiditatibus non reſiſtunt, nec rationi dicto ſunt audientes. Sapientem vero aſtris dominari, vetus eſt verbum. Ac licet ſigna quædam malum interdum nobis portendant, illud tamen averti poteſt. Qui gladium vagina diſtrictum intentat, minari quidem ſemper videtur, etſi ioco id faciat. Camino ardẽte præſens incendij eſt periculum, quod tamen aqua infuſa facile reſtinguitur. Sic etiam humana prudentia imminens calamitas averti poteſt. O quam multos Principes ac cetera ſapientes viri hac futurarum rerum prædictione decepti ſunt! Exemplo ſunt Pompeius, Craſſus, Julius Cæſar, alii, quibus Chaldæi atque Aſtrologi prædixerunt, honeſtam in patria mortem oppetituros, qui tamen ab hoſtibus cæſi, truculenta morte perierunt, & procul à patria ſepulti, aut etiam à beſtiis devorati ſunt. Conſtat ſane, eos plerumque acerbiſſima perpeſſos, quibus feliciſſima omnia Aſtrologi prædixere. Et tamen tam fatuum eſt hominum genus, ut mendacio potius quam veritati fidem habeant. Siccine vaniſſimæ ſuperſtitioni propterea fidẽ haberi, quod verũ aliquãdo prædixerit? Hinc illi quia mendaciis ſuis tantũ tribui vident, quotidie magis magiſque ſine ulla fronte mentiuntur: adeo ut proprium eorum ſit mentiri. Nos vero divinis obtemperantes oraculis, homines ejuſmodi procul à nobis habeamus. Sic enim Deuteron. cap. XIII Deus præcepit. *Si ſurrexerit in medio tui propheta aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum & evenerit quod loquutus eſt &c. non audies verba prophetæ illius aut ſomniatoris: quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde & in tota anima veſtra.*

Mentiri Aſtrologorum.

Ex iis quæ hactenus à me adducta ſunt, facile intelligi poteſt, quemnam uſum, & quæ item pericula Mathematicæ artes, & inprimis Aſtrologia afferant. quarum ſtudio ſi delecteris, facile etiam inde diſces, quid ſequendum tibi, quid fugiendum ſit. Me quidem ſi audias, divinatrices has artes non minus quam ſcopulum naufragiis infamem in medio mari vitabis: nec quo aſtra te inclinent, ſed quo Deus ire te jubeat, inquires. Ne tu veritatem ab eis exquire, quibus illa minus quam tibi ipſi nota eſt. Etſi enim partes aliquot Aſtronomiæ laudabiles atque utiles ſint, tota tamen ſcientia potius curioſitatis quam doctrina pietatis eſt. Rationem addo ex S. Hieronymo: *Quia Phyſici perſcrutatores oculos in cœlum levantes, & ultra profundum terrarum in abyſſo demerguntur, in vanitate ſenſus, in obſcuritate mentis ingredientes, diebus & noctibus perſcrutantur multa ut ſciant, pauca ut ſapiant.*

Vanitas Aſtrologiæ.

ANTONII GUEVARÆ

DE EBRIETATE.

DISSERTATIO.

Ebrietas mater vitiorũ.

Tot tantorumque malorum cauſſa eſt Ebrietas, ut is enumerandis vix cujuſquam lingua, nec deſcribẽdis calamus ſufficiat. Ut enim Temperantia mater eſt ac nutrix omnium virtutum; ſic Ebrietas fomes eſt omnium vitiorũ. Quare ſalubriter nos divus monet Apoſtolus *Ne inebriemur vino, in quo eſt luxuria.* Et ipſe Salvator Cavere nos jubet, ne corda noſtra graventur crapula & ebrietate, ne dies ille ſupremus Domini nos tamquam laqueus incautos opprimat. Quod ſi Medicus iiſdem quibus Chriſtus Salvator verbis nobis cibi alicujus uſum interdiceret, addita hac comminatione, ſi cibo illo utamur, ſtatim nos vitam amiſſuros; equidem nullus dubito, quin Medici conſilio lubenter omnes obtemperaturi ſint, ac tam noxium cibum declinaturi. Quum ergo Dominus ac Salvator noſter, ille non corporis tantum, ſed animarum quoque medicus, tam diligenter nos moneat, ut à peſtifero illo crapulæ & Ebrietatis vitio abſtineamus, quis tam amens eſt, quin conſilio ejus obtemperandum exiſtimet? At pro dolor! tantum abeſt ut fideliter monentem audiant homines, ut etiam cupidiſſime venenũ hoc præſentiſſimum ingurgitent, adeoque velut illi Ulyſſis ſocii; à guſtata ſemel loto diſcedere non poſſint. Morbo corpus debilitatur, Ebrietate vero & corpus & anima interimuntur. Ebrietas enim omnia corporis membra debilitat. Labant pedes ac titubant, tremunt manus, balbutit lingua, ſtillant oculi & contrahuntur; anima obruitur, ac ſepelitur quaſi, ut vires ejus ac facultates vix ſentiantur; homo denique ita transformatur, ut maſculus an femina ſit vix habeat de ſe exploratum.

S. Auguſtino teſte.

S. Auguſtinus Ebrietatem ait matrem eſſe ac radicem omnium malorum: quæ animum excæcet, debilitet intellectum, neque ullo regatur conſilio. Eandem appellat dulce venenum peccatum amabile; quo incendatur ſtomachus, corrumpantur inteſtina, viſu orbentur oculi, contrahantur membra, acceleretur mors ante tempus, exhauriatur animus, & homo in belluam mutetur. Idem monet nos, ut Ebrietatem fugiamus non ſecus ac mortem ipſam, ut quæ cœleſti regno nos excludat. Adfert deinde exempla eorum quos Ebrietas graviſſime afflixit: ut Lothi, quem immoderatus vini uſus ad inceſtum pellexit: ut Samſonis, quem vino madidum amica hoſtibus prodidit. Iſaias vero Propheta Væ ſuper illis exclamat, qui mane ſurgũt ut ſectentur ſiceram, quique aſſidua potatione non dies modo ſed & noctes traducunt. In veteri quidem lege Sacerdotibus templum ut ſacrificarent ingreſſuris, vini uſus interdictus erat. At quot hodie, non dico Laicos, ſed Eccleſiaſtici quoque ordinis homines, invenias, qui prius cauponam quam templum ingrediantur, prius corpori quam animæ de cibo proſpiciant, (prius diabolo quam Deo ſacrificent. An ideo inquit idem ille S. Auguſtinus) vinum creatum putatis, ut divinum nomen blaſphemetur, offẽdatur proximus, & tam nobile Dei donum turpiter abſumatur.

Uſitatur tamen hodie.

Idem alio loco inquit, quamvis tæterrimum & coram Deo maxime abominabile vitium ſit Ebrietas; id tamen paſſim per totum Mundum ita invaluiſſe, ut jam non amplius pro peccato habeatur. Quin eo rem rediiſſe, ut in exhauriendis poculis minus ſtrenui aliis ſint ludibrio: adeoque inter Chriſtianos etiam, provocatione facta, eum videri fortiſſimum, qui alterum potando vicerit. Sed multo magis eos peccare, qui proximi animam nimio potu obruant, quam qui corpus ejus cultro vulnerent.

Cibo dando anima imprimis.

Quemadmodum imber præceps ac copioſus herbis magis obeſt quam prodeſt, ac quo minus creſcant impedit; ſic vinum immoderate ingurgitatum bonorum operum ſegetum corrumpit ac plane interficit. Quocirca ex Ethnici quoque Catonis apud Ciceronem in libello de Senectute conſilio tantum cibi ac potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Quod ſi plus quam Naturæ requirit neceſſitas, aqualiculo ingeratur, venter palus quædam ranis, vermibus ac ſerpentibus ſcatens efficietur, id eſt, in anima nullum non vitii genus ſubnaſcetur. O infelices ergo quorum prandia ad noctem uſque, & cœnæ ad ipſam lucem producuntur! unde fit, ut exiſtimantes ſe pedibus inſiſtere, capiti inſiſtant; exiſtimantes ſe album videre, nigrum videant; exiſtimantes ſe divites ac plane Reges eſſe, Irò ſint pauperiores. Potationem vero eo uſq; producunt, donec per vomitũ reddant quod ingeſſerant. Diotas ac immania pocula, quæ è Lapitharum convivio reſervata

videri

videri poſſint, conquirunt, quibus tamquam armis inſtructi, in arenam deſcendunt; factaque provocatione, mutuis hauſtibus eo uſque in ſe invicem ſæviunt, donec alter victus, impos rationis, tamquam beſtia proſtratus iaceat: quem ſocii manibus pedibusque protractum, in lecto, vel quocumque alio in angulo componunt, deinde ipſi quoque in certamen progrediuntur, Interea victor ille Bacchicus ex ſummo & imo gutture omnia conſpurcat & fetore omne à ſe abigit. Mane, ubi crapulam paullulum edormierit, ſurgentis facies pallore mortui refert ſpeciem; caput maximis pulſatur doloribus, ructat ſtomachus, nec manus modo ſed & totum corpus, immo ipſa anima velut in ſummis auguſtiis conſtituta tremit. Nonne in hos merito convenit illud quod Sapiens Proverb. 23. exclamat? *Cui Væ; cujus patri Væ? cui rixa, cui fovea, cui ſine cauſſa vulnera, cui ſuffuſio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis?*

At inquiunt, mos jam invaluit ut qui non idem quod ceteri faciunt, Mundo inutilis habeatur. Quid quod nonnulli iis qui ad poculorum invitationes non reſpondent, apertum quaſi bellum denuncient? Adeoque parum civiliter convivator agere exiſtimatur, qui hoſpites cõvivio exceptos, ad ſummum uſque vino non implet. Sed audi quiſquis es. An tu ei cupias amicus eſſe, qui inimicum te Deo facere conatur? Atqui hoc ſcito, quotieſcumque vel ipſe nimio te vino ingurgitas, vel alios ingurgitas, Dei inimicitiam te tibi conciliare. O inſane! Quem utiliorem tibi amicum exiſtimas? Hominemne? Qui nihil, aut parum tibi nocere poteſt. An Deum, qui corpus & animam tuam in ſua poteſtate habet, & vel perdere vel ſalvare te poteſt? Ergo ebrioſi amicitiam ac ſodalitatem præferes? Cui ſi ebrio eſſe placet: annon multo ſatius erat, ſua illum voluntate ebrium fieri quam à te cogi? Numquid ſatius erat, unum potius quam duos ſimul eidem exitio involvere: O infelix hominum genus! Quàm multos hodie reperire eſt, qui homines ebrioſos magnis invitant hauſtibus, & vel totos congios eis propinant, miſeris interim ante fores ſitientibus ne guttam quidem porrigũt: parum memores, ſe quid quid hoc modo in utres illos vini ingerunt, Chriſto Domino ſubtrahere. Sic enim ipſe de pauperibus loquitur Matth. 25. Quidquid feciſtis uni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis.

Rogo vos fratres, conſiderate mecum jumenta, an aquatum ducta, plus potent quam natura fert aut neceſſitas requirit: quæ ſatiata modeſte ab aquatione domum regrediuntur. Quoniam ergo bruta animantia plus non bibunt, quam ut ſitim reſtinguant; ebrioſi vero non uno, ſed pluribus hauſtibus jam ſaturi contra naturam ſe invitant atque onerant: recte dixerimus hos brutis animantibus multo eſſe deteriores. Quantum mali adferat Ebrietas, Pharaonis teſtatur exemplum: qui piſtorum principem non aliam ob cauſſam, quam quod ebrio parum ratio conſtaret, ſtrangulari juſſit: Exodi 32. ſcriptum eſt: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Quis ille luſus? Idololatria, circa aureum vitulum ſaltantium, ac Deum graviſſime offendentium. Herodes vino incenſus, leviſſimæ puellæ ut gratificaretur, S. Joanne Baptiſta decollari juſſo, maximo ſe flagitio obligavit, Recte Salomon monet: *Ne intuearis vinum quando flaveſcit, cum ſplenduerit in vitro color ejus, ingreditur blande, & in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet Oculi tui videbunt extraneas; & cor tuum loquetur perverſa. Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator, amiſſo clavo.* Et S. Paullus Apoſtolus inquit: *Nolite inebriari vino, in quo eſt impudicitia.* Et Salomon: *Luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas* Idem: *Noli regibus, noli regibus dare vinum quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas. Ne forte bibant, & obliviſcantur, & mutent cauſſam filiorum pauperis.* Item Eccleſiaſtici. 19 *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* O quam pauxillum vini ſatis eſt ſapienti! Idem immoderate ſumtum animos ad furorem exſtimulat, multis amaritudinibus replet: minuit vires, & vulnerat animam.

Animum advertite ò ebrioſi, ad ea quæ dicturus ſum. Niſi quamprimum reſipiſcentes, turpiſſimum hoc vitium deſerueritis, æternum vobis exitium paratum ſcitote. Neque enim mentitur Spiritus ſanctus inquiens, Neminem. ebrioſum cœleſtis regni compotem futurum. Eſt inſtar infernalis abyſſi ac voraginis Ebrietas, in quam qui deciderit, ægre inde eluctari, Sobrietatis pulcritudinem agnoſcere atque amplecti poterit, niſi gravi adactus ac caſtigatus pœnitẽtia. In ſumma, per Ebrietatem non Charitas modo violatur, ſed & anima occiditur.

Dãnatio ebrioſis parata.

Quæ quum ita ſint, merito omnes Chriſtiani

Ebrietatem

Ebrietatem tamquam corporum atque animarum peſtem ac venenum præſentiſſimum, modis omnibus deteſtari ac fugere debent; niſi cœleſtis regni ſocietate privari velint.

PRISCORUM PHILOSOPHORUM DE EBRIETATE JUDICIA SEU SENTENTIÆ.

ANtequam quid veteres Philoſophi de Ebrietate ſenſerint, oſtendam, non abs re fuerit, Ebrii etymologiam paucis perſtringere. Dicitur ergo Ebrius, à privativa particula E, quæ idem eſt quod *ſine*, & *Bria*, id eſt, menſura: ut Ebrius ſit idem quod ſine Menſura vivens. Ebrioſi enim homines vinum ingurgitant, ſitientes, non ſitientes, voluntarie, inviti, ſuo, alieno tempore, ubicumque ejus copia eſt vel bibendi occaſio, ſine ulla menſura, cura aut modo. Hoc vero vitium non modo SS. litteræ, verum etiam veterum Philoſophorum ethnicorum decreta deteſtantur, & fugiendũ monent. Pittacus Philoſophus, quum in Melite inſula patria ſua, ob vini copiam & immoderatum uſum multa flagitia deſignari animadvertiſſet, Edicto ſanxit, ut qui per Ebrietatem deliquiſſet, duplici pœna mulctaretur. Aiebat enim Vinum bonum eſſe, & malum. Bonum, ſua natura, malum immoderato uſu.

Lycurgus Magiſtratibus in Ebrietate deprehenſis, capitis pœnam conſtituit. Ex quo facile intelligi poteſt, quam gravis pœna in reliquum vulgus fuerit ſtatuta.

Anacharſis rogatus, qua ratione quis ab Ebrietate cavere ſibi poſſet, reſpondit, Si ebriorum ſtatũ ac mores diligenter quis conſideret, ſordes imprimis, quibus undique illi inquinantur, quæ ſine quadam abominatione vix nominari poſſunt. Pulcrum ſane reſponſum, & ſapiens conſilium: quo ſi uterentur homines, non dubito, quin vitium hoc cane peius & angue oſuri ſint. At pro dolor! etiam inter Chriſtianos reperiuntur, qui ſobriis illudunt, tricongiarios econtra laudant & extollunt, tanquam fortes & invictos viros, quorum etiam conſuetudine unice delectantur, ceteros tamquam parum viros, ad colum & lanam ablegant. Sed non invictos athletas, quos ſæpe videre eſt mediis in plateis jacentes, & in cœno ſeſe, inſtar ſuum volutantes! O fortes viros, quos vitrum vino plenum non modo in terram dejicit ſed & de ſtatu rationis deturbat! O præpoſtera hominum judicia! Laudatur tamquam victor qui ab Ebrietate victus eſt; qui Ebrietatem vicit, tamquam victus vituperatur. Temperans homo, qui alios regere poteſt, contemnitur atque exſibilatur; econtra lurco ebrius, qui nec à ſe nec ab aliis regi poteſt, triumpho tamen dignus judicatur.

Remediũ contra Ebrietatem.

Quod ſi quis Ebrietatem peccatum non ita magnum eſſe exiſtimet, D. Apoſtolum Paullum audiat, ſic in Epiſtola ad Galatas loquentem: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmulationes, ira, rixa, diſſenſiones, ſecta, invidia, homicidia, Ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prædixi: quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.* Ecce Ebrietatem eodem catalogo quo adulteria, veneficia, idololatria, adſcriptam, & eidem pœnæ obnoxiam. At non in illa tantum, verum etiam in hac vita graviſſimas Ebrioſi pœnas luunt: quorum corpora dici vix poteſt quàm multi & quam immundi obſideant morbi: præterea ſereatus, tuſſis, fœtor oris & totius corporis, cephalalgia, tremor, & quid non?

Ad Gal. 5.

In Turcis & infidelibus minus mira eſt Ebrietas, ut qui nullam in Deo ſpem habeat, ſed inveteratam majorum conſuetudinem ſequuntur. At non admiratione modo, ſed & miſeratione dignum eſt, etiam Chriſtianos reperiri, qui licet è tenebris ad lucem, è morte ad vitam ſingulari Dei beneficio protracti ſint, atque Ebrietatem Deo unice diſplicere ex ſacris litteris non ignorent; ipſi tamen cœlo medium, ut ita dicam, oſtendere digitum, & continuo Ebrietatis ſtudio divinam iram provocare audẽt. Sed rogo vos propter Deum, & per extremum illud judicium adjuto vos ô Chriſtiani, ut turpe hoc vitium, quantum fieri poteſt, fugiatis ac deteſtemini. Hoc qui fecerit, æternam conſequetur gloriam; qui vero admonitionẽ hanc ſurdis auribus præterierit, nihil certius quam æternum corporis atque animæ exitium exſpectabit. Hæc & ſimilia apud D. Auguſtinum multo fuſius atque elegantius diſſeruntur.

Chriſtianis indigna Ebrietas.

Quid, quod ex omnibus vitiis nullum periculoſius eſt Ebrietate. Adulter enim, ſuperbus, avarus,

avarus, fur, etiam in mediis peccatis uſum rationis retinent, & niſi morte præveniantur, pœnitentiam agere poſſunt. Ebrius vero omnem rationis uſum, immo corporis quoque ſenſum perdit; ac ſi in ſtatu ejus modi, ut ſæpe fit, moriatur, una cum omnibus ſuis peccatis in æternum præcipitatur exitium. Venter enim nimio cibo ac potu ſaburratus rationis imperium non accipit, nec animæ viribus uti poteſt. Apud Romanos tam probroſa erat Ebrietas, ut deprehenſos Ebrios aut veſtibus contegerent, aut perſonato vultu inducerent, ne agnoſcerentur.

Quod ſi vitium hoc etiam apud Ethnicos & infideles in ſummo fuit probro atque odio; quanto magis nos Chriſtianos ab eo abhorrere oportet; ac pro eo Sobrietatis ſtudium unice amplecti, quæ nobis in hac vita Dei gratiam, in altera illa æternam gloriam paritura eſt.

D. Chryſoſtomus. Ad extremum quid D. Chryſoſtomus de Ebrietate ſentiat, paucis indicabo. Ait ergo, hominem crapulæ deditum, tam voluntarie quam involuntarie ad peccatum abripi. Ut enim navis nimio onere, mergatur; ſic tam corpus quam animam nimio cibo ac potu opprimi ac ſuffocari. Nam ut navim ejuſmodi nec maris tranquillitas, nec naucleri peritia, nec nautarum diligentia ab interitu & ſubverſione vindicare poteſt: ita nec gaſtrimargos illos & vini utres nec ullæ admonitiones, nec minæ, nec futurorum metus, nec præſens dolor, nec verecundia continet, quo minus invaleſcente vino corporis & animæ faciant naufragium, & in infernalem abyſſum abripiantur.

Ad DUCEM FERIÆ

EPISTOLA.

In qua cauſſæ explicantur, cur Deus charos ſibi affligi patiatur,

I*Lluſtriſſime Princeps, Chriſtiane miles:* Poſteaquam de morte & chariſſimæ conjugis tuæ Leonoræ, & dilectiſſimi filii, ſimulque de palatii tui incendio renuntiatum mihi eſt, facile equidem cogitare poteram, in quanto tu dolore eſſes, tam charis pignoribus orbatus, thalami nempe conſorte ſuaviſſima, & filio obſequentiſſimo: eoque caſu tuo & ipſe non parum dolebam. Illud vero jam multo mihi accidit moleſtius, quod dolori te nimis indulgere intelligo, quam vel tantæ fortitudinis Principem, vel Chriſtianum etiam deceat. *Adverſa æquo animo ferenda.* Nec enim talem virum in rebus adverſis queritari, ſed ridere; non mœrorem ſed lætitiam vultu præferre; non animum deſpondere, ſed ſummam oſtendere fiduciam oportet: ut qui ſciat, tribulationes & Chriſtiano homini, & forti viro in hoc mundo eſſe neceſſarias: ut quibus, B. Bernardo teſte, animi virtus probetur, & homo ad æternam gloriam perducatur; Chriſti Dei auxilio, qui inquit, *Ego ſum in tribulatione apud eum, & liberabo & glorificabo eum.*

Nec vero utiles tantum, ſed neceſſarias quoque Mundi hujus tribulationes eſſe dixit: quum, eodem B. Bernardo teſte, hujus Mundi miſerias in gloriam, brevem mœrorem in æternũ gaudium Deus converſurus ſit.

S. Rex & Propheta David vitæ huius tribulationes Aquæ comparat, & Igni. Ut enim ſub turbidis etiam aquis piſces latent delicatiſſimi ſaporis; ſic ſub ærumnis Deo gratiſſimæ virtutes generantur. Scimus maximos omnium & ſapidiſſimos piſces non in dulcibus, ſed ſalſis aquis, mari ſcilicet generari. Eodem modo præſtantiſſimi viri non in proſperitate, ſed adverſitatibus huius Mundi reperiuntur. In ſalſo hoc mari verſati ſunt S. David, pius Tobias, Job patiens; inde ad æternam gloriam à Deo extracti. Sic Populus Iſraeliticus quanto magis & acerbius à Pharaone premebatur, tanto magis creſcebat.

Animã munit: Secundo quemadmodum aqua oppidis atque urbibus pro munimento eſt; ſic tribulationes, juſtis. Corpore enim morbis aut aliis miſeriis obſeſſo, animæ arx timore Domini multo fit munitior. Hinc D. Apoſtolus Paulus, in infirmitate robuſtum ſe eſſe dicit. Et S. David ſibi mortis terrore circumdato liberationem ab hoſtibus certò promittit.

Elevat. Tertio, ſicut fluctus quanto majores ſunt, tanto altius navem elevant; ſic afflictiones hominum animos à terreſtribus ad cœleſtia erigunt. Et quanto graviores ſunt calamitates, tanto altius homo à terreſtrium rerum ſalo ſeparatus, ad cœlum divinarum contemplationum effertur. De his loquitur Sapiens quum dicit: *Turris fortiſſima nomen Domini: ad ipſam currit juſtus, & exaltabitur.*

Quarto,

Digitized by Google

Purgat: Quarto, ut aqua omnes ſordes eluuntur, ſic tribulationibus anima, quæ Sponſa eſt Chriſti, expurgatur: neque vero ſordes tantum eluunt hujus Mundi adverſitates, ſed nitidam etiam & candentem è byſſo veſtem animæ parant. Hi ſunt quos D. Johannes in Apocalypſi vidit in ſanguine agni ablutos, candidis indutos veſtibus, & Dei faciem jugiter in æternum contemplantes.

Proſperitatem tẽperat. Quinto, ſicut aqua vinum diluit, ac vim ejus ita temperat, ne capiti nocere poſſit; ſic tribulationes vitæ hujus gaudia & voluptates ſic temperant, ut integrum orationis uſum homines conſervent, ac ne proſperitate ebrii, Deum obliviſcantur. De iis qui proſperitatis vinum aqua tribulationum non miſcent ac diluunt, illud Oſeæ Prophetæ intelligendum eſt, dicentis: *Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor.* De mero hoc mundanarum voluptatum Salomon bibit, cuius jam ætate provecti cor à mulieribus ſeductum, & ad idololatriam abſtractum, S. Scriptura teſtatur. Siracides certe veriſſime dixit, Mulieres & vinum etiam ſapientibus apoſtaſiam perſuadere.

Eccl. 11. Sexto, Aqua tribulationum ignem cupiditatum exſtinguit. Hinc Siracides malam horam omnis voluptatis oblivionem inducere affirmat.

Piſcis aſſus in Evangelio quid. Legimus Lucæ 24. Chriſtum Salvatorem de piſce aſſato comediſſe, & reliquum diſcipulis dediſſe. Piſcis hic aſſatus, ut B. Gregorius locum hunc interpretatur, Chriſtum Dominum deſignat, qui velut piſcis, in aqua corporis humani hinc inde à Mundi hujus fluctibus jactatus, per mortem naturæ noſtræ capi & tribulationum igne aſſari, & in Cruce lacerari voluit. Hujus piſcis, id eſt, paſſionis & mortis ſuæ, Chriſtus Apoſtolos quoque participes fecit. Hinc Apoſtolus inquit: *Gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.* Quod dictum ut melius intelligatur, ſciendum eſt, Chriſtum duobus modis paſſum eſſe. Primo in corpore ſuo proprio, famem, ſitim, laſſitudinem, cruciatus, atque ipſam mortem ſuſtinendo. Deinde in membris ſuis, quæ ſunt omnes Fideles: uti ex Actis Apoſtolorum apparet, ubi Chriſtus Saulum ita alloquitur: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Hoc modo etiam D. Apoſtolus Paulus propter Chriſti nomen multas perſequutiones & ærumnas ſuſtinuit. Neque vero Apoſtolis tantum, ſed omnibus etiam Fidelibus Chriſtus de piſce hoc proponit, id eſt, vult ut unuſquiſque crucem ab ipſo impoſitam, patienter atque humiliter ferat. Quia ergo noverat ad perferendas ejuſmodi ærumnas nullum eſſe commodius quam Patientiæ Subſidium; paullo ante diſceſſum ſuum diſcipulos ſic affatus eſt: *Pacem meam do vobis, Pacem meam relinquo vobis. Non turbetur cor veſtrum*: impatientia ſcilicet in tribulationibus, quæ vobis impendent.

De hac Patientia, quam Chriſtus Dominus Fidelibus ſuis tantopere commendavit, & qua omnes hujus Mundi calamitates ac miſeriæ facile vinci poſſunt, inſignis figura exſtat libro 4. Regum cap. 2. ubi legimus, Eliam igneo curru ad cœlos evectum, pallium ſuum Eliſæo reliquiſſe, quo ille Jordanis aquas medias diviſerit, atque ita ſicco pede flumen tranſierit. Pallium hoc (ſi Odoni credimus) humilimam Chriſti Salvatoris deſignat Patientiam, qua divinam ſuam naturam abſcondit, & inter Hebræos ita converſatus eſt, ut ab omnibus parvi æſtimaretur. Hinc regius Propheta David in perſona Chriſti ſic loquitur: *Ego autem ſum vermis, non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis Omnes videntes me deriſerunt me.* Quod ſi pallio hoc Patientiæ Chriſtus divinam ſuam Majeſtatem non obtexiſſet, nunquam profecto diabolus eum tentare umquam ſuiſſet auſus. Qui aquis tribulationum in hoc Mundo ſeſe credit, nec pallio hoc indutus eſt, procul dubio impatientiæ vorticibus abripietur & ſuffocabitur. Quamobrem Salvator hoc Patientiæ ſuæ pallium, tamquam alter Elias, nobis reliquit, ut ejus beneficio aquas miſeriarum hujus Mundi dividere & Jordanem tribulationum & anguſtiarum incolumes tranſire poſſimus. Huc reſpexit D. Petrus Apoſtolus, in Epiſtola ſua Fideles ſic admonens: *Chriſto paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

Ad perferendas vero vitæ huius ærumnas operæ pretium fuerit, non ſolum eorum quæ Chriſtus pro nobis paſſus eſt acerbitatem, ſed etiam incredibilem Apoſtolorum & aliorum Electorum Patientiam, ob oculos ſemper habere. Si ea quæ ſancti Dei homines paſſi ſunt diligenter conſideremus, nos ea quæ patimur vilia exiſtimaturos. *Exẽpla ſanctorũ* Sic Juditha in maximis anguſtiis populo Abrahæ multis tribulationi-

bus

bus probati exemplum in memoriam revocavit. Iſaac, Jacobus, Moyſes omneſque alii Deo chari variis calamitatibus Dei permiſſu vexati ſunt, & probi ac fideles reperti. Ecōtra qui afflictionibus in timore Domini ſubmittere ſe recuſarunt, & impatientia & murmuratione contra Deum inſurrexerunt, à ſerpentibus occiſi, in exitium ſeipſos præcipitarunt.

Quæ quum ita ſint, nequaquam ob ea quæ patimur, animum deſpondere, ſed peccatis noſtris omnia imputare nos oportet, ac cogitare omnes hæc ærumnas quantæcumque ſint, peccatis noſtris multo eſſe minores. Iſtæ enim afflictiones inſtar virgæ ſunt, qua filii puniuntur ut reſipiſcant; non inſtar enſis, quo rei occiduntur, ut intereant. ¶ Pallio hoc Patientiæ amictus fuit regius Propheta David, quum fugiens Abſalonem rebellum filium, in hæc verba erupit *Si invenero gratiam in oculis Domini, reducet me. Si autem dixeris mihi, Non places, præſto ſum, Faciat quod bonum eſt coram ſe.* Idem pallium pius ille Tobias animæ ſuæ iniecit, dum non cæcitatem modo patienti corde tulit, ſed & ad extremum uſque in timore Domini perſeveravit. Similiter Eleazar forti animo mortem adiit, his verbis Deum compellans: *Domine qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſte tu ſcis, quod cum à morte poſſim liberari duros corporis ſuſtineo dolores; ſecundum animam vero propter timorem tuum libēter hæc patior.* Horū tu exemplis incitatus, Dux Illuſtriſſime, omnes vitæ hujus ærumnas Patientiæ ſcuto obiecto vincere debes, certus hoc modo æternam te adepturum eſſe gloriam.

David.

Eleazar.

CUR BONI ADEO IN HAC VITA TRIBULATIONIBUS afficiantur.

IOannes Chryſoſtomus, qui ſingularem vitæ ſanctitatem admirabili quadam & doctrinæ abundantia & dicendi facultate cumularat, cum dixiſſet, multis abſurdum quodammodo videri, quod Deus pios viros, quoſque ipſe apertiſſimis ſignis ſibi cariſſimos eſſe declarat, plerumque tamen omni genere acerbitatum agitari vexarique patiatur, undecim cauſſas adfert, cur ita fieri expediat, quas ſingulas non modo exponere, ſed etiam breviter illuſtrare ac confirmare decrevi. Prima igitur eſt, ne qui res magnas ac præclaras gerunt, propterea inflentur ac ſuperbiant, ſed ſummittant animos memores imbecillitatis ſuæ. Confirmatur hoc teſtimonio Davidis & Pauli, quorum ille bono ſibi fuiſſe ait, quod à Deo depreſſus, caſtigatuſque ſit, ſeque ex eo magis illius juſtitiam perſpicere: hic autē cum uſque ad tertium cœlum raptus eſſet, eaque vidiſſet quæ vix homini in hac vita videre fas eſt, ne propterea ſibi placeret, neve inſoleſceret, additum ſibi eſſe ait angelum Satanæ, à quo quaſi colaphis cæderetur. Hæc igitur prima cauſſa eſt. Altera, ne ceteri mortales in errorem trahantur, & de præſtantibus viris; non ut de hominibus, ſed ut de Diis quibuſdam, exiſtiment: à cujus erroris periculo liberantur, cū illos magnos & egregios viros multa perpeti vident, quæ illos non Deos ſed homines eſſe declarant: Nam ſi qui multa bella geſſerant, multas urbes expugnaverant, multa hominum millia occiderant, antiquitus in Deorum numerum ſtulta vulgi opinione referebantur: quod putatis eventurum fuiſſe iis, qui verbo, qui nutu, qui contactu, qui umbra ſua fugabāt morbos, claudis inceſſum, ſurdis auditum, cæcis uſum oculorum reſtituebant, mortuos in vitam revocabant, niſi vulgus hominum eos ipſos per quos tam multa admirabilia opera edebātur, eſurire, ſitire, algere, ægrotare, cædi, mutilari, ejuſdemque generis alia innumerabilia quotidie ſubire ac perferre vidiſſet? Sic quoque quamvis vociferarentur nihil eorum ſua virtute fieri, Chriſtū eſſe qui per doctrinæ ſuæ præcones ea perficeret, vix tamen impedire poterant ne ſibi divini honores haberentur. Ad Paulum quidem & ad Barnabam Lyſtrenſes aliquando etiam tauros corronatos adduxerant, quos eis tamquam diis immolare cupiebant, niſi id ipſi ſumma vi prohibuiſſent. Tertia cauſa eſt ut poteſtas Dei tanto magis eluceſcat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus & ergaſtulis clauſos, vinculis & compedibus impeditos, catenis onuſtos, ea faciat, quorum magnitudinem ceteri omnes obſtupeſcant. Itaque Paulus ipſe cum feſſus malis, quodam tempore petiiſſet à Deo, ut à ſe tantas illas & tam multas acerbitates amoveret, reſponſum hoc tulit: ſatis tibi ſit, quod mihi carus acceptuſque es. Quo enim tu infirmior es & pluribus difficultatibus conflictaris, eo magis perſpicitur poteſtas mea. Quarta eſt, quod ſi bonis viris omnia proſpere ſuccederent, ſi divitiis abundarent, ſi colerentur

Digitized by Google

ac ſuſpicerentur à ceteris, ſi nunquam ægrotarent, nunquam dolorem, nullum incommodum ſentirent, fortaſſis exiſtimaret vulgus eos pietatem colere, non ſua ſpte ſpôte, ſed illa quaſi mercede allectos & invitatos. Nunc cum eos non egeſtas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum ſævitia non mortis metus à Dei cultu, & à vera pietate poſſit abducere, manifeſto conſtat, honeſtatem ac virtutem, & Deum in primis ipſum ab eis propter ſe, non propter ullam mercedem amari. Non gratis te colit Job, dicebat o De perpetuus ille humani generis hoſtis. Tu enim eum cumulaſti opibus, auxiſti liberis, perpetua denique vitæ proſperitate proſecutus es, At Deus, Tu vero inquit, domos ejus inflamma, meſſes combure, pecora interfice, liberos eneca, totum ipſius corpus arbitratu tuo lacera ac lania: nullus reſtet novis ulceribus locus: jaceat in ſterquilinio cui prius ſomnum capere licebat in purpura: ne ſit quidē quo ſe abſtergeat, ſed teſta manantem ex ulceribus ſaniem abradat: ut aliquo conſtet, eum mei gratuitum, non mercenarium eſſe cultorē. Eadem æquitate animi homo ſanctiſſimus tulit adverſa, qua & proſpera exceperat. Quinta, ut homines tanto certius atque exploratius habeant; non omnia morte terminari ſed ſupereſſe aliam vitam, in qua & præmium tribuatur juſtis, & ab improbis ac conſceleratis pœna exigatur. Nam ſi ne homines quidem uſque eo injuſti reperiuntur, ut eos quos cauſa ſua multa perpeſſos vident, ſine præmio abire patiantur, quanto minus id de Deo aut cogitare aut ſuſpicari poſſumus; Cū igitur multos plerumque videamus homines optimos & innocentiſſimos, quantum quidem hominis natura fert in hac vita nunquam interquieſcere ac reſpirare à moleſtiis, ſed perpetua quadam calamitatum ſerie uſque ad extremum ſpiritum premi, cogitemus neceſſe eſt, aut, quod natura ipſa abhorret ac refugit, Deum injuſtum eſſe, aut poſt hanc vitam ſua eſſe hominum generi præmia, pro ſuis cuique actionibus, divinitus conſtituta. Si ſpes noſtra, ait Paulus, iiſdem quibus hæc vi terminis ac finibus circumſcripta teneretur, nihil nobis infelicius foret. Sexta, ut nos quoq;, ſi quando tale aliquid nobis eveniat, patienter feramus, neque deſpōdeamus animum, aut ſtatim propterea Deo inviſos eſſe nos arbitremur: cum iis quoque qui Deo chariſſimi & acceptiſſimi erant, aut eadem, aut graviora contigiſſe videamus. Septima, ne ullus tergiverſationi locus ſit, ſi quis nos ad illorum præſtantium virorum imitationem cohortetur, quaſi eos nō ejusdem cujus & nos ſumus, ſed divinioris cujuſdam naturæ fuiſſe cauſemur. Octava, ut ſciamus quibus rebus felicitatem metiri ac dirigere, quosque ex omni hominum numero felices ac beatos, quos contra infelices ac miſeros ducere debeamus. Non enim qui multa poſſidet, beatus eſt: ſed multo ille beatior, qui non tantū divitias non concupiſcit, ſed iis quas habet, ultro ſe ſpoliat, ut copiis ſuis aliorum inopiam ſublevet. Non qui innocens exulat miſer eſt: ſed tanto felicior, ſi id æquo animo ferens, operam det, ne ab illa æterna ac cæleſti patria exulare cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore eſt, felix, ſed ille qui in corpore quamlibet infirmo perpetuam animi retinet firmitatem. Non cui multa dura, & perpeſſu aſpera evenerunt, miſer: ſed is potius qui proſperis ſucceſſibus ebrius, neque altius oculos mentis attollens, in caducis ac fallacibus hujus vitæ bonis acquieſcit. Nona, ut magis illuſtretur eorum patientia ac fortitudo, qui ſe à calamitatibus vinci non ſinunt: neque enim à nobis cognoſcerentur, niſi à Deo in hujuſmodi certaminibus exercerētur. Aurum, ut dixit Seneca, probat ignis, miſeria fortes viros. Decima, quoniam humanæ naturæ imbecillitas ne optimos quidē viros omnis peccati expertes eſſe patitur: neq; quiſquam aut eſt aut fuit præter pauciſſimos, quibus id ſingulari Dei beneficio tributū eſt, quin aliquādo offenderet ac prolaberetur: ut hic potius quàm alibi peccata expientur, ut ſi qua macula ex illis prolapſionibus ſuſcepta eſt, temporariis illis acerbitatibus, quaſi nitro quodam aut lomento eluatur ac deleatur. Nam cum juſtitiæ divinæ conſentaneum ſit, neminem in cœlum pervenire, qui ulla ex parte pollutus contaminatuſque ſit; expedit iis ipſis qui Deo chari ſunt, ita in hac vita purgari, ut cum è corporis vinculis exceſſerint, nulla alia purgatione egentes, ſine ulla mora in cœlum evolare expediti ac liberi poſſint. Undecima, ut quo plura acerba patiuntur, quo plures difficultates ſuperant, quo dimicant acrius, eo majoribus præmiis ornentur, eo plures coronas accipiant, eo majorem in omni æternitate gloriam conſequantur.

ANTONII GUEVARÆ

DE SOMNO ET VIGILIA eorumque utilitatibus ac damnis,

DISSERTATIO.

Libri Judicum capite IV, legimus, populum Iſraeliticum ob multiplicia ſua peccata à Jabin Chanaitarum Rege debellatum, & viginti annorum ſervitute fuiſſe oppreſſum: poſtquã vero pœnitentiam egiſſent, & ad Dominum clamaſſent; certa ſpe liberationis propoſita, divinitus, Delbora prophetiſſa internuncia, eſſe monitos, ut eum decem armatorum millibus Siſaræ, qui Regis Jabin exercitum ducebat, occurrerent, ac prælium committerent: cujus is fuit exitus, ut perterrente Domino hoſtilem exercitum, univerſa multitudine ad internecionem cæſa, Siſara fugiens ad tabernaculum Aber Cinei pervenerit: cujus uxor Jahel obviam Siſaræ procedens eum invitavit, ut omni metu depoſito, ad ſe diverteret. Quod ille fecit; & ingreſſus tabernaculum, hauſtũ aquæ petiit, quo ſitim reſtingueret. Illa vero aperuit utrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Quo interea ſopito, Jahel clavum ſumens & malleum ingreſſa occulte & cum ſilentio, poſuit ſupra tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum uſque ad terram: qui ſoporem mortis ſocians, defecit, & mortuus eſt.

Ex hiſtoria hac videmus, ſomnum Siſaræ mortis fuiſſe cauſſam, & quidem muliebri illatæ manu. Sic ergo qui tot fortium virorum manus effugerat, imbecillis mulieris cecidit aſtutia. Nec ſolus Siſara interſectus, ſed totus etiam exercitus cæſus & caſtra ipſius fuere direpta. Et quod omnium peſſimum eſt, Siſara hic quidem temporali morte ſopitus fuit, ſed in inferno deinde reſuſcitatus: quum æquiſſimum ſit, ut cujus oculi per peccatum clauſi fuerant, per meritam pœnam rurſus aperirentur: ut qui populum Dei crudeliter atque injuſte fuit perſequutus.

Nec Siſaræ tantum Somnus male ceſſit, ſed & Holofernes ſopitus in lecto jacens, mane capite truncatus inventus eſt. Samſoni ſom-primo comam, deinde oculos, ac tandem ipſam vitam abſtulit. Eutychus ſomno oppreſſus, dum D. Paullum audit concionantem, de tertio decidens ſolario fuit exanimatus.

Sed hoc loco omiſſo corporali ſomno de ſpirituali pauca dicam, quomodo multi homines in peccatis ſuis obdormiſcant indicaturus. Ad cujus rei meliorem intelligentiam, ſciendum eſt, ſomnum ſive Dormitionem in S. Scriptura triplici ſignificatu accipi. Primo pro morte corporis, ſecundo, pro deſidia ac turpi negligentia: tertio, pro æterna illa quiete. Prima ſignificatione D. Apoſtolus quodam loco mortuos, Dormientes vocat. De ſecundo ſomni genere idem intelligendus eſt, quando nos admonet, Tempus eſſe ut de ſomno ſurgamus, id eſt, ut depoſita acedia alacres divinum cultum obeamus. De tertio genere ſcriptura loquitur, Canticorum 8. inquiens: *Ego dormio, ſed cor meum vigilat.* Juſtus enim quanto longius à carnis abſcedit cupiditatibus, tanto acriores internos animi ſentit motus; & quanto magis interius vigilat, tanto magis externam abſcondit inquietudinem.

Egregiam hujus rei figuram habemus in S. Patriarcha Jacobo, qui quum in itinere ſomnũ vellet capere, lapidem capiti ſoppoſuit, ſicque obdormivit: in ſomno vero ſcalam vidit, in terra ſtantem, cujus cacumina ad cœlum pertingebant, cui in ſomno Dominus inſiſtebat, Angeli vero per eandem aſcendebant & deſcendebant. Quem locum exponens D. Gregorius, inquit, In via obdormiſcere, nihil aliud eſſe, quam in hac vita de terreſtrium rerum cupiditatibus aliquid remittere, & oculos viſibilium rerum deſideriis claudere; quos ſeductor primis noſtris parentibus in paradiſo aperuit, dicens: *Ex quacumque die de fructu vetito comederitis, oculi veſtri aperientur.* Et ſtatim ſequitur, Mulierem fructum à ſe decerptum, viro porrexiſſe, oculoſque eorum apertos fuiſſe. Ex quo intelligi poteſt, per peccatum apertos fuiſſe cupiditatis ac voluptatis oculos, quos ante innocentia clauſos tenebat. Angeli per ſcalam Jacobi aſcẽdentes ac deſcendentes cœleſtium civium contemplationes ſignificant, & quanto amore illi Deo creatori ſuo ſeſe applicent, ac ſimul quam promte iidem nobis in neceſſitatibus noſtris ſuccurrant. Angelos in ſomno per ſcalã aſcẽdẽtes ac deſcẽdẽtes videt, qui lapidẽ capiti ſupponit; ſic ſcilicet, ut ab externis deſiſtens operibus

internis occupetur. Lapidem capiti ſupponere nihil aliud eſt, quam Spiritu ad Deum appropinquare. quare ſoli illi quiete ac tranquille dormire poſſunt, qui ab omnibus terrenis ſordibus purgati, ſpes ſuas omnes & cogitationes in ſolo Deo habent defixas, At qui lapidem hunc capiti non ſuppoſuerit, numquam profecto Angelos videbit. Sunt nonnulli qui à mundanis quidem abſtinent operibus, non tamen in virtutibus exercentur. At hi turpi ſopore ac torpore oppreſſi, res internas ac ſpirituales nō vident; ut qui caput non in lapide, ſed in terra habeant reclinatum.

Quia vero conſiliū mihi eſt, ſumta hinc occaſione homines è peccatorum excitare ſomno; paucis perſtringam, qui cum Siſara ſomno jaceant oppreſſi. Nonnulli cum Samſone in ſinu Dalilæ dormiunt; alii cum Isboſeth in meridie; alii cum Jona propheta, in ima parte navis; alij cum Eutycho, inter concionem S. Pauli. Vidimus ſupra quid corporalis ſomnus Siſaræ attulerit; jam ſpiritualem quoque ejus ſomnum unà cum effectibus videamus. Siſara typus eſt hominis peccatoris, Jahel, vanitatis. Tum vero Jahel Siſaram pallio operit, quando homo ſeipſum ſub mundanarum rerum vanitate abſcondit: quales ſunt opes, dignitates, potentia, gloria, & his ſimilia, mundanæ vanitati ſubiecta: ſecundum illud Sapientis *vanitas: vanitatū & omnia vanitas*, Siſara, id eſt, peccator, à Jahele hauſtū aquæ petit; at illa pro aqua lac ei porrigit. Id eſt, pro ſapientia Spirituali, carnalem, Lac enim à carne, aqua vero à cœlo eſt. Carnalis vero ſapientia eſt, quæ circa honores, opes ac voluptates hujus Mundi comparandas verſatur. De hac Sapientia Dominus loquitur, inquiens, *Filios hujus Mundi prudentiores eſſe filiis lucis, in generatione ſua*. Quæ verba ut melius intelligamus explicandum paucis eſt, quinam filij Mundi & qui filij lucis ſint. Filij hujus mundi non facile pernoſci poſſunt. quinam tamen ij ſint, ex conjecturis & ſuſpicionibus, quibusdam colligi poteſt. Primum ſignum eſt, quod filij plerumq, iiſdem quibus patres ipſorum, ſtudiis ducuntur. Pictoris filius picturam amat; fabri, artem fabrilem. Eodem modo ſi quis Mundum huc ejuſque vanitates amet. ut ſunt fenerationes, mendacia, fraudes, libidines, & ſimilia, is certo indicio oſtendit, ſe in filiorum Mundi eſſe numero.

Alterum ſignum eſt, quod quemadmodum filij patrum aut majorum geſtant inſignia, ſic mundani homines, Mundi inſignibus delectantur; ut ſunt gula, ſuperbia, & alia ejuſmodi: quibus indulgentes, pro Mundi filiis omnino habēdi ſunt.

Eadem ratione filij Lucis duobus præcipue ſignis dignoſcuntur. Primo, ſi omnes calamitates ac tribulationes è Domini manu patienter accipiat, nec quidquam in corſuum deſcendere patiatur, quo Deus offendi poſſit. Alterum ſignum eſt, ut quemadmodum volucrum pulli eſcam, quam parentes ſequūtur ac venantur, ſic ipſi cœleſtium rerum contemplatione aſſidue incumbant, & in mandatis Dei faciendis unice delectentur. In quo enim hæc reperias, hunc vere Lucis ac Dei filium dixeris.

Quod ergo Salvator noſter dicit, Filios Mundi hujus prudentiores eſſe filiis lucis in generatione ſua, idem eſt ac ſi diceret, Tenebrarum filios, terreſtrium rerum curis deditos, majori uti diligentia in acquirendis ſibi tam neceſſariis quam ſuperfluis, quam filios Lucis, id eſt, divina cognitione illuſtratos, in congregandis theſauris ſpiritualibus ac cœleſtibus. Quid enim? hi tepide ac ſegniter agunt; illi mundanis rebus ita invigilant, quaſi ad hanc unam curam nati eſſent. Sed & filii mundi hujus plurimas artes ac modos acquirēdarum divitiarum excogitāt; quum filii Lucis ne præmonſtratis quidem & præceptis etiam à Deo utantur. Paucis dicam Prudentiores ſunt ac diligentiores amatores Mundi in malo, quam amatores Dei in bono. Illi namque in temporalium & mox momento periturarum rerum acquiſitione plurimas curas, moleſtias ac labores ſuſtinere nō dubitant, nec prius fere deſiſtunt quam Deum obliti, in æternum ſe ipſos præcipitent exitium. Quemadmodum noctuæ ac feles de nocte acuratius vident quam de die, non ut legant aut diſcant, ſed ut mures ac glires capiant: ſic filij Mundi multo ſubtiliores ſunt atque inſtructiores, non in divinæ Legis ſcientia ac conſcientiæ examine, ſed terreſtrium rerum acquiſitione. Hæc eſt illa ſapientia carnis, quam D. Apoſtolus. Morrē vocat. Hæc eſt illa ipſa ſapientia, quæ Siſaram in Jahelis manus tradidit, loco ſpiritualis ac divinæ Sapientiæ, quæ in vera Dei cognitione conſiſtit, ſed à mundi amatoribus per ſomnum & negligentiam omittitur, ac pro nihilo putatur. Clavus in Siſaræ cerebrum adactus peccatū eſt; malleus quo clavus percutitur atque infigitur, circumſtantiæ ſunt peccati. Cujus mallei

Filij Mundi quomodo prudentiores ſint filiis Lucis.

quanto

quanto fortior ictus eſt, tanto clavus ille profũdius in animam hominis infigitur. O quam multos invenire eſt Chriſtianos milites, qui equis prœlium ingreſſi, vix pedibus evadunt. Quot vel ante conflictum terga vertunt, apud Jahelẽ diverticulum quærentes, ut dulci voluptatum lacte ibi reficiantur? Tales ſunt in quibus formoſæ aſpectus feminæ aut divitiarum ſplendor cupiditates incendit: quibus velut trabali clavo non modo terræ affiguntur, ſed etiam cum Siſara ex temporali in æternum dantur ſoporem.

Samſonis ſomnus.

Sunt qui cum Samſone in Dalilæ, id eſt, voluptatum gremio obdormiſcunt, quibus tonſor, (diabolus) capillos (virtutes) nihil ſentientibus detondit. Sed ô miſer! Ecce Philiſtæi ſuper te. Ecce ô adulter, tot Diabolis te circumdatum quot plumæ ſunt in lecto ſuper quo cubas. At nec ullus bonorum cœleſtium nec periculorum ſenſus in te eſt. Dormis cum Samſone: mox excitandus, ut cum eodem parietes depingas, id eſt, omnia quæ diabolos vult facias & imiteris. Qui namque à diabolo in peccatorum deprehenduntur ſomno, ex uno peccato in aliud, ex ſuperbia in avaritiam, ex avaritia in gulam, ex gula in libidinem incidunt. Hoc eſt quod David dicit: *In circuitu ambulabunt impij.*

Isboſethi.

Dormiunt alii cum Isboſeth, cujus ianitrice itidem obdormiente, ingreſſi ſunt juvenes audaces, & dormienti illi caput abſciderunt. Hi ſunt qui in deliciis volutantur, ijs præſertim quæ in magnatum aulis ſunt uſitatæ. Janitor eſt; Timor; Janua, quinque ſenſus, per quos anima ad externa egreditur. Quæ janua etiam, cum ad pia opera in Mundo exſequenda eximus, ſollicite nihilominus cuſtodienda eſt. Et quemadmodum magnates caduceator præcedit, qui turbam ſummoveat, ne immiſti forte opprimantur: ſic hominem quacumque euntem præcedere debet Timor, Timor inquam, mortis, purgatorij, extremi judicij, & gehennæ æternæ. Hic eſt, qui ut Sapiens inquit, Peccata expellit. O ſi ianitore hoc ſeu cuſtode uſa fuiſſet Dina filia Jacob! Non ſibi probrum, aliis exitiũ ſua curioſitate accerſiviſſet. Hac cuſtodia ſi Eſau uſus fuiſſet, nec tam frequenter ad venationem exiiſſet, benedictione paterna non fuiſſet defraudatus. Cum Eſau ad venationem exeunt, qui Mundi vanitates ſequuntur. O quanto ſapientiores, qui cum Jacobo domi manent; & nulla in re niſi bona conſcientia voluptatem quærunt! Quam S. David filiæ Regis comparat, interius precioſiſſimo amictu ornatæ. Quare rogo & moneo omnes, ut ianuæ cordis ſui cuſtodem hunc apponant, qui omnes inſidias ſommoveat. Ei vero charitatem adjungant, ſine qua Timor inſtar cuſtodum illorum eſt, qui oſtiis appinguntur, ac licet baculo minari videantur, neminem tamen feriunt aut arcent. Non poteſt mors ſpiritualis ad hominis intrare animam, niſi ipſe ultro capitales ſuos hoſtes admittat. Nec myſterio caret, quod Isboſethi januam ancilla cuſtodiſſe dicitur. Nimis fragilis hic ſexus eſt ad tam multas arcendas inſidias. Viro opus eſt, id eſt, firmo animi propoſito, quod neque ignorantia decipiatur, neque vitiorum ſomno opprimatur. Inde Isboſeth *Vir confuſionis* nominatur; quam neglecta domus ſuæ cuſtodia ſibi ipſe accerſivit. Sapienter Salomon monet, ut Cor diligenter cuſtodiamus, ut in quo vita noſtra conſiſtat. Quod qui fecerit, in manus impij non incidet, ſed ſuaviter ac ſecure quieſcet.

Jona.

Cum Jona alii in parte navis inferiori dormiunt, nec quantumvis atroci tempeſtate excitantur, illi ſcilicet, qui in vitiorum ſentina jacentes calamitates ac miſerias hujus vitæ minime conſiderãt. Quas quis enarrare poſſit? Quot quamque triſtia quotidie occurrunt ſpectacula! Non tamen eis moventur, non excitantur è ſomno peccatores, ſed licet in medio mari inter ſæviſſimas procellas verſentur, ſupini tamen ac ſecuri velut in portu ſtertunt. Ut vero Jonas in mare abiectus & á ceto devoratus fuit; ſic ſtertentes iſti peccatores tandem velut vivi ab inferno abſorbentur ut olim Core, Dathan, Abiron, à terra; ſepulti inde in inferno.

Eutychi.

Cum Eutycho nonnulli dormientes, Paullo prædicante, è ſolario decidunt; illi nimirum, qui licet multipliciter admoniti, atque etiam Sacramentis, ex conſuetudine tantum, uſi, nihilominus de tertio velut ſolario decidunt. Primum ſolarium Caro eſt; ſecundum Senſualitas; tertiũ Ratio. Carni neceſſaria, victus & amictus, ſufficere debent. Senſualitas nulla re expletur, dicente Eccleſiaſte: *Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.* Ratio ad bona ac divina fertur. Tum vero homo ex hoc decidit ſolario, quando bono poſthabito, malo aſſentitur, ac nõ rationem, ſed cupiditatem audit & ſequitur, ſicque in exitium præceps ruit.

Digitized by Google

Quam utile ac neceſſarium ſit homini Chriſtiano vigilare.

Abraha vigilantia.

NE ergo, ne cum Siſara obdormiſcas, ô Chriſtiane ſed cum Abraha potius vigila. Quid vero huic vigilantia profuit? Primo opulentam ab hoſte prædam reportavit. Secundo Loth. & univerſam ejus familiam captivitate liberavit. Tertio, Melchiſedechi benedictionem eſt conſequutus. Nec Abrahæ modo exemplũ, ſed & Chriſti S. ac D. N. præceptum excitare te debet: Beati quos Dominus in ſecunda & tertia vigilia vigilantes invenerit. Prima vigilia puerilis eſt ætas: ſecunda iuvenilis: tertia, ſenilis. Dormiviſti in prima vigilia? Vigila in ſecunda. In hac quoque fuiſti negligens? Attentus eſto ſaltim in tertia. Semper enim miſericors ille Judex converſionem noſtram exſpectat.

Sed ut melius iſta intelligantur, paucis indicabimus, quas ob cauſſas homines vigilare ſoleant. Quoſdam temporalium rerum Cura, alios metus, alios Dolor, alios denique Tumultus ac Strepitus vigilare cogit.

Vigilant homines victus quærendi ſtudio

Ex primo genere ſunt opifices, & alii victum diurnis ac nocturnis laboribus quærentes: de quibus Eccleſiaſticus: *Omnis faber & architectus, qui noctem tamquam diem tranſigit*, &c *& vigilia ſua perficit opus* Et ad hanc vigiliam omnes tam ſæculares quam Eccleſiaſtici tenentur: *Cap. 38.* illi ut ſibi ac ſuis victum quærant; hi ut ſpiritualem ſuum penſum Orationum & aliorum officiorum abſolvant. Hinc ſalutaris Eccleſiæ ad vigilantiam exhortatio, ſic præcipientis: *Nemo vanum putet mane ante lucem ſurgere, quum Deus vigilantibus tantum coronam promiſerit.* Coronam certe, & Pontificis tiara, & omnibus omnium Regum coronis multo precioſiorem. Ad quam conſequendam quis vigilare grave putet? Dies hujus vitæ tenebræ ſunt & nox ad dies futuræ vitæ. Nos vero noctuæ ſumus, qui quanto clarior lux eſt, tanto magis cæcutimus. Surgamus à ſomno; ſurgamus: quia nox præteriit, & lux ſalutis noſtræ illuxit. Sapiens ſapienter de ſapiente: *Sapiens, inquit in corde ſuo proponit mane ad DEVM vigilare qui creavit eum, & ante altiſſimum orationem fundere.* Non Mundo ergo, ſed Deo vigilemus. Ille vana promittit, nec ſemper dat: hic certa atque æterna.

Ob metum aut periculũ imminens.

Alios ſomnum ab oculis prohibet inſtantis periculi & infortunii metus: ut nautis ac naucleris præſertim, qui ad clavum ſedent Mare mundus hic merito dici poteſt, utpote tumidus Superbia & avaritia, æſtuans libidinibus, & nihil niſi vitiorum ſentinam ſpirans. Nec minori periculo in hoc mundo vivitur, quam in mari navigatur. Quis ergo non vigilet, ne navim fluctus ad ſcopulos allidant, aut in brevia impingant? Navim, inquam, animam. cujus malus, patientia eſt; funes, mandata divina; velum in bono conſtantia, clavus, Charitas Dei & proximi; Fides, ancora. Merces quæ hac navi vehuntur, ſunt bona noſtra opera; gubernator; S. eſt Spiritus; celeumata, ſanctæ ejus inſpirationes; patronus, D. & Salvator noſter Jeſus Chriſtus; nautæ doctrina & Exempla Sanctorum, quibus animæ fidelium ad cœleſtis gloriæ portum diriguntur; Venti adverſi ſunt, Diaboli, Mundi, Carnis tentationes, Sentina, vitia ſunt, quæ niſi continuo exantletur, navis tandem deprimatur neceſſe eſt: Scopuli, malorum eſt ſocietas, ad quã alliſi multi naufragium faciunt. Ut paucis abſolvam tria nobis in hoc mari formidanda ſunt, Mundus, Caro, Diabolus: contra quorum inſidias S. ſcriptura validiſſima nobis arma præſcribit, Piratæ in hoc mari ſunt Mors & Extremum Judicium: quorum manus nihil poteſt effugere. Quin etiam tum quum minime cogitamus, navim noſtram invadunt. Ne tamen prædam à nobis auferant cavebimus, ſi Salvatoris præcepto obſequuti, lumbis præcincti, & faces manibus tenentes, excubias agamus, ſimiles eis qui dominum à nuptiis venientem magna ſolicitudine exſpectant.

Pulcra Allegoria.

E ſomno quomodo Deus nos excitet.

Porro è ſomno nos Deus excitat, primo doctrina & prædicatione Verbi divini. Secundo Sanctorum exemplo. Tertio infinitis in nos beneficiis. Quarto variis calamitatibus. Quinto promiſſionibus. Sexto minis æternæ damnationis. Memoria denique acerbiſſimæ paſſionis, quam Salvator pro peccatis noſtris ſuſtinuit. Sed ò quam pauci ſunt, qui pulſanti Domino januam cordis aperiunt! Quam multi vix receptum, ſtatim rurſus expellunt, voluptatibus Mundi hujus hoſpitium cordis ſui largientes.

Ob corporis dolores.

Alios corporis dolores dormire non ſinunt. Quanto magis animæ vulnera, capite ſuperbia, corde avaritia, lumbis libidine, gulæ helluatione, ore invidia ſauciatis? Vulnera hæc S David vehementer ſenſit, conquerens paſſim, ſe cibum ac potum ſuum lachrymis miſcuiſſe. Et quum inſtantis ſententiæ ac mortis metus reos quieſcere non ſinat, quomodo nos dormire poſſi-

poſſimus, in quos ſententia mortis jam pronũciata eſt! Quin ergo vigilatis parvi & magni, divites & pauperes, domini ac ſervi, Principes ac ſubditi. *Vigilate juſti, & nolite peccare.* O ſalutares vigilias, quibus æterna gloria comparatur!

Sed vos inprimis, ô Prælati & animarum curatores, Vigilate. Vigilate, iterum dico. neque enim ut vos oblectetis, ſed ut in cura animarum laboretis ac ſudetis veſtri officij ratio requirit. At quomodo aliorum curam habebit apud quem propriæ animæ cura locum non habet? Similes Prælati illis paſtoribus eſſe debent, quos S. Lucas ait, Chriſto nato circa greges ſuos excubias egiſſe: eoque ſalutare illud evangelium primis fuiſſe anunciatum. A paſcendo Paſtores dicti ſunt; quod eorum ſit oves ſeu fideles verbo ac doctrina, tum ſanctæ vitæ exemplo, demum etiam inopes atque egenos facultatibus ſuis paſcere. Et hanc ob cauſſam Chriſtus D. N. Apoſtolorum principem S. Petrum triplici juſſione ut oves ſuas paſceret, juſſiſſe videtur. Nec abſentes, ſed præſentes id facere debent. Qui greges ſuos ſeu eccleſias relinquunt, ſimiles ſunt ſtruthiocamelo, qui ovorũ ſuorum arenæ impoſitorum obliviſcitur, ac nullam omnino curam habet; eo forte quod nulla in eos metalla ſint, quæ deglutire eum & concoquere etiam aiunt. Sic multi oves ſuas pro derelictis quaſi habent, ideo quod parvos ab eis exſpectent reditus, parũ interim ſoliciti, quod Deo olim exactiſſimas omnium rationes ſint reddituri. Multi quot aureorum millia quotannis percipiant ſolicite cõputant; at quotuſquisque eſt, qui de curæ ſuæ commiſſorum numero ſemel cogitet? Notabilis eſt hiſtoria quam Joannes de Lauſanna deſcribit. Cuidam, inquit, coram multis Prælatis concionaturo diabolus apparuit ſcedulamque exhibuit, in qua hæc verba deſcripta erant. Principes tenebrarum Sacerdotibus Altiſſimi S. Magnas vobis gratias debemus, quod veſtra negligentia ac noſtra ſollertia totus fere Mundus, cujus cura vobis commiſſa fuerat, atque omnes propemodum Prælati in manus noſtras inciderunt. Hanc ſcedulam quum diabolus Cõcionatori exhibuiſſet, juſſit, ne quidquam aliud pro concione proponeret, Tergiverſanti vero, & neminem ei fidem ſibi habiturum cauſanti, luridum impreſſit in facie vibicem: addens non prius ſignum id diſpariturum, quam mandatum cujus ipſe invitus & à Deo coactus ſit miniſter, fuerit exſequutus. Id quum poſtero die feciſſet Concionator, ac verbis ſuis ſigno illo præcipue fidem feciſſet, multos Prælatorum tanta invaſit conſternatio, ut in poſterum diligentiſſime munus ſuum obire, ac mundi vanitatibus nequaquam ita ut ante adhærere decreverint.

Prælatis inprimis vigilãdũ

Notabilis hiſtoria.

Nec caret myſterio, quod in Evangelio dicitur. *Et paſtores erant in eadem regione Vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctu ſuper gregem ſuum.* Differunt inter ſe Paſtor & Paſcens; uti & Doctor & Docens. Poteſt quis eſſe Paſtor, qui tamẽ non Paſcat. Paſci hodie multi magis quam paſcere gaudent, ſimiles mormolyceis, ad aves terrendas paſſim collocatis. In quibus ubi illæ nihil vitæ, nullos motus eſſe viderint mox audacter advolant, inſident, ac hortum impune depaſcuntur. Sic nonnulli Prælati & Epiſcopi ad regendam eccleſiam collocati, initio quidem terrori, ſed mox ubi omni bonorum operum & exemplaris vitæ motu deſtituti apparuerint, ludibrio ſunt, & hortum eccleſiæ & ipſi devaſtant, & aliis devaſtandum exponunt Noctu illi ſuper gregis ſui cuſtodia excubias egerunt. Utinam vero Prælati vel interdiu ſaltum ovium agerent cuſtodiam. Sed plerique ovium quidem lanam expetunt, paſcere eas inſuper habent: immo lupis prædæ relinquunt.

Luc. 2.

Mali prælati quãtum noceant.

Notandum quoque eſt, quod paſtores illi dicuntur *vigilias egiſſe ſuper gregem ſuum.* Bonus paſtor omnes ſuas curas in ſalutem fidei ſuæ commiſſorum, unice intentas habere debet. Exodi, 27 legimus, binos Cherubin à Moyſe in Dei tabernaculo fuiſſe collocatos, inter quos & eos quos Salomon poſtea fecerat, hæc fuit differentia, quod illi Propitiatorium, hi extimum templi oſtium reſpiciebant. Per Cherubin Prælati intelliguntur. Cherubin enim plenam ac perfectam ſignificat ſcientiam, quæ in Prælatis eſſe debet, ſi non aliarum, certe earum rerum quæ utriuſque Teſtamenti libris comprehenduntur. Utinam vero non eſſent, quibus neque Verus neque Novum Teſtamentum eſt cognitum! atque ij præcipue qui nõ à Moyſe, ſed à Salomone facti, id eſt, non à Chriſto aut Eccleſia legitime vocati, ſed à regibus aut Principibus promoti, atque etiam ſæpe intruſi ſunt. Hi non propitiatorium, ſed oſtium tabernaculi reſpiciunt, id eſt, pro grege ſuo non vigilant, non orant, non vitæ ac morum ſanctitate ceteris prælucent.

Digitized by Google

prælucent, non cetera, quæ muneris ſui ſunt, obeunt, non oves, ſed cenſum numerant, decimas cogunt, lac, lanam ovium capiunt; parum interim ſoliciti ut ipſæ oves ad Chriſti ovile perducantur.

Adhortatio ad ſpirituales vigilias. Nos vero è peccatorum veterno tandem evigilemus, ne æternus ille ſomnus nos inopinato obruat. Numquid mirum eſſet ac portenti ſimile, ſi quis eſſet qui jam ad mortem damnatus & mox ad ſupplicium educendus, in carcere ſecurus ſterteret? Quid nos? Triſti hujus corporis carcere incluſi, & in peccatorum fœtore jacentes, etſi non ignoremus latam jam in nos eſſe mortis ſententiam, adſtare ſemper præ foribus carnificem, Mortem videlicet, tum longe gravius judicium, quum ex hoc mundo exceſſerimus, nobis ſubeundum eſſe; ſtertimus tamen & ſecuri peccatis indormimus. Unde hoc Eccleſiaſtes dicet. *Quia*, inquit, *non profertur cito contra malos ſententia, abſque timore ullo filij hominum perpetrant mala.* At quanto ſapientius fecerimus, ſi pro vita, conſcientia, atque animæ noſtræ ſalute aſſiduas agamus excubias, ſi è ſomno peccatorũ ſurgentes, opera lucis faciamus, pro ſuperbia humilitatem, pro avaritia, liberalitatem, pro libidine caſtitatem, pro odio atque invidia Charitatem ſectantes ac colentes. Evigilate igitur omnes, vigilate parvi & magni, vigilate pauperes ac divites, vigilate domini & ſervi, vigilate Principes ac ſubditi, vigilate Paſtores & oves. vigilate juſti & peccatores: *Vigilate juſti, & nolite peccare*. Nullæ profecto ſalubriores vigiliæ ſunt, quam à peccatis deſiſtere & bonis operibus invigilare: ut quo uno per Dei gratiam, æternæ gloriæ præmiũ comparatur.

Sed ipſum Chriſtum ac Salvatorem noſtrũ fideliter monentem, ac præmia vigilantibus promittentem audire placet. *Sint*, inquit, *lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; & vos ſimiles hominibus exſpectantibus dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis, ut quum venerit & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Beati ſervi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et ſi venerit in ſecunda vigilia, & in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi.* Quod nobis miſericors Deus concedere & ad æternam perducere requiem dignetur, ubi æterna lux eſt, perpetua felicitas, & gaudiũ ſempiternum.

Ad

MEDINÆ COELI DUCEM

EPISTOLA.

In qua belli ac pacis cauſſa explicantur.

ILluſtriſſime, idemque curioſe Princeps: Literas tuas accepi, quibus ex me ſcire cupis, quænam vera belli ac pacis cauſſæ ſint. Verbo dicam: Belli cauſſam eſſe peccatorum tam impudentiam quam impunitatem; quæ quia à Principibus non puniuntur, à Deo puniuntur, Quomodo vero gravius puniri poſſent quam pacis, rerum optimæ ſubtractione, & nocentis atque innocentis ſanguinis effuſione. Levitici capite XX. hoc præceptum a Deo Iſraelitis datũ legimus. *Si quis dederit de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur, Populus terræ lapidabit eum: & ego ponam faciem meam contra illum, ſuccidamq; eum de medio populi ſui, eo quod dederit de ſemine ſuo moloch, & contaminaverit ſanctuarium meum, ac polluerit nomen ſanctum meum. Quod ſi negligens populus terræ & quaſi parvipendens imperium meum dimiſerit hominem qui dederit de ſe-* *Levit. 20.* *mine ſuo Moloch, nec voluerit eum occidere: ponam faciem meam ſuper hominem illum, & ſuper cognationem ejus ſuccidamque & ipſum & omnes qui conſenſerunt ei ut fornicaretur cum Moloch de medio populi ſui.*

Hæc verba clare docent, non duntaxat impios & tranſgreſſores, verum etiam ſuperiores cum reis conviventes & conniventes à Domino Deo graviter eſſe puniendos. Maledictiones enim & pœnæ quas Deus legum violatoribus & conniventibus minitatur, ſunt fames, bellum, ſanguinis effuſio & peſtilentia. D. Auguſtinus ait: Si per quæ Deus graviter offenditur impunita dimiſerimus procul dubio divinam patientiam laceſſimus, ut nobis iraſcatur. Annon ira divina ſuper omnem Iſrael deſcendit, uno Achã *Unius ob* divini mandati terminos tranſiliente? Ipſe ſolus *noxam* peccavit, ſed univerſus populus cum ipſo luit. B. *Achan* Gregorius inquit: Noſti virginum violatores *luit po-* adulteros, fures, & noxios homines: ac mox *pulus Iu-* puniantur, ut illorum pœna deus placetur, & *doc 7.* promeritæ virgæ à dorſo tuo retrahantur. Deuteronom. 13. ſcriptum eſt: *Si audieris in una* *Deut. 13.* *urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit ti-*

bi ad habitandum, dicentes aliquos, Eamus & ſerviamus Dijs alienis, quos ignoratis: quare ſollicite & diligenter, rei veritate perſpecta, ſi inveneris certum eſſe quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, ſtatim percuties habitatores urbis illius in ore gladij & delebis eam, ac omnia quæ in ea ſunt uſque ad pecora: quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus & cum ipſa civitate ſuccendes, ita ut univerſa conſumas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus, non ædificabitur amplius. & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua: ut avertatur Dominus ab ira furoris ſui, & miſereatur tui, multiplicetque te, ſicut juravit patribus tuis, quando audieris vocem Domini tui cuſtodiens omnia præcepta ejus.

Qui vindicant peccati, exaltantur à Deo.

Vere diligenter attendendum eſt, quod ante adventũ Chriſti tã ſeveræ leges contra ſceleratos & impios ſint conditæ, quanto proinde nos Chriſtiani tenemur atrocius ſcelera perſequi Et ex antedictis verbis ſcripturæ ſacræ & exẽplis colligere licet, quod regio in vanũ armis & munitione bellica protegitur, ſi non ante peccata & delicta ex ea evelluntur. Quemadmodum enim per conniventiam & ſocordiam in criminum punitione, ira divina irritatur, ſic etiam debita correctione mitigatur, Moyſe commiſſã idololatriam 23000. Iſraelitarum deletione vindicante, furor Domini ceſſavit. *Exod. 32.* Quod Phinees filius Eleazari ob patratum adulterium tanto zelo punierit Zambri, apud Dominum populo gratiam, ſibi ſummum ſacerdotium obtinuit. *Num. 25.* Quod Mathathias Judeũ in omniũ cõſpectu in urbe Modin idolis immolantem, ira ſuccenſus, & legis amore inflammatus, ſuper aram peremerit, ſuper populum Iſraeliticum Dux ſactus, & multis victoriis ac trophæis donatus eſt. *1. Machab. 1. 2*

Quam eſſet optandum, Reges & Principes noſtros bellum aciemve inſtruentes ira agere, nimirum ut ante omnia correctionis gladio in divinorum mandatorum prævaricatores animadverterent, & multiplicia ſua mandata publicata re ipſa exequerentur. Sic enim abſque ullis ſumptibus, & magno ſuo emolumento ſubditos ſuos ab omnibus arcerent tutarenturve ſceleribus, ſic poſſent altiſſimum placare Regem, & miſericordem habere Dominum. Profecto Principes in criminum depreſſione negligentes, merito non pacis defenſores ſed ruptores & hoſtes pacis haberi poſſunt. nam per oſcitantem ſuam correctionem, iram Dei ſuper ſibi commiſſos ſubditos provocant.

Militum hujus temporis mali mores.

Videmus milites noſtros, antequam in hoſtẽ tendant, rariſſime ſe confeſſione & pœnitentia Deo reconciliare, ſed ut procaces, athei & impij, Initium faciunt ab aleis, comeſſationibus, potationibus, blaſphemiis, juramentis, ſtupris, furtis, incendiis, aliiſque horrendis flagitiis, & victoriam in multitudine, potentia, & viribus non autem in manu Dei poſitam arbitrantur. Et ita cœli terræque Monarcham ad iram cõmoventes victoriam adipiſcentur?

Qui pacẽ amat, cũ vitiis bellum gerat.

Quare ſi Principes in pace velint vivere, ante omnia ſubditorum ſuorum peccatis bellum movendum eſt. Hinc ait Seneca, cum omnibus nobis pacem fovendam, cum ſolis criminibus perpetuum bellum eſſe gerendum. Hinc Dominus cũ Eccleſiaſtica & ſeculari poteſtate loquẽs Deuteronomii 13. ſic infit: *Propheta aut fictor ille ſomniorum interficietur: quia locutus eſt ut vos averteres à Domino Deo veſtro.* *Deut. 13.* Item alio loco jubet tam virum quam fœminam qui Domino peccarunt educi & lapidibus obrui. Idcirco Reges & Principes teneri ſubditorum ſuorum delicta ſevere caſtigare, teſtatur ſapiens, dicens: *Sap. 6.* *Audite reges & intelligite, diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.* Ex paucis his verbis Principibus diſcendum, provincias quibus præſunt non ſuas, ſed Dei eſſe; omnes Reges & Principes regni Dei miniſtros. Dei ergo honor ipſis quærendus & protegendus, ac ipſi illata ignominia, dedecus, & injuria omni rigore ulciſcenda.

Materiæ ejuſdem proſecutio: & cauſſa cur Reges & Principes teneantur omnia ſcelera è ſuis ditionibus exſtirpare.

Prov. 25.

Aufer impietatem de vultu Regis & firmabitur juſtitia thronus ejus, ait ſapiens, ac ſi diceat, ſi delicta & impietates à Rege tollantur, ſolium ejus juſtitiâ firmabitur. Etenim cum altiſſimo nil magis adverſetur, nil magis eum

offendat

offendat quam peccata, Regum & Principum eſt, præcipue ea punire & quantum poſſibile abigere & eradicare.

Regibus & Principibus novi teſtamenti eadem eſt data juriſdictio & juſtitia, quæ fuit veteris legis Regibus. Cum itaque antiquæ legis Reges idololatriam & blaſphemias puniri juſſi fuerint: & noſtros Chriſtianos ad hoc etiam obligari certum eſt.

Legimus de Rege Aſa eum juſta & Domino
1. Reg. 15. beneplacita feciſſe. Peregrina altaria removit, lucos evertit, ex omnibus civitatibus Judææ aras & idolorum ſimulachra ſordesque ejecit, ideoque in pace regnavit, Maacham matrem regali poteſtate privavit, eo quod in luco turpiſſimum Priapi ſimulachrum erexiſſet. Rex lucum ſubvertit, ſtatuam confregit, & combuſſit projecitque in torrentem Cedron. Priapus, ut hujus hiſtoriæ ſit intelligentia, fuit adoleſcens Helleſpontiacus, quem ob pudendorum magnitudinem Pagani deorum albo inſcripſere. Nam hæc Ethnicorum erat opinio, ut ſi quis inſoliti quid haberet, id divinum æſtimarent. Priapus hic deus habebatur hortorum, ad cujus honorem tam viri quam fœminæ nudi incedebant, & omnis generis Venere ſe polluebant. Sacrificuli Priapi aram aſcendebant, ut ab omnibus ad ſatietatem
Sacerdotũ Priapi profligata impudẽtia. poſſent conſpici, & inde ſumma impudentia, nullo rubore turpitudinem ſuam revelabant. Idcirco Dominus Exodi 20, inquit: *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Hinc etiam perizomata & feminalia linea nata ſunt. Sic Exodi 28. Deus præcipit ut ſacerdotes etiam linea ad honorem & decorem ſervitij divini geſtarent feminalia, *Ut operiant*, inquit, *carnem turpitudinis ſuæ.* Aſam imitatus
4. Reg. 10. Rex Jehu falſos ſacerdotes Baal occidit.

Deuteronomij 17. ita ſcriptum eſt. *Rex poſtquam ſederit in ſolio regni ſui deſcribet ſibi Deuteronomium legis in volumine, accipiens exemplar à ſacerdotibus Leviticæ tribus & habebit ſecum legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum Deum ſuum & cuſtodire verba*
Mali coercẽdi. *ceremonias ejus.* Cyprianus inquit, Regi reſiſtendum eſt prædonibus, puniendi adulteri, ſacrilegi & perjuri non ferẽdi, omnia ſcelera radicitus extirpanda. Papa Pelagius ait: Lex divina humanaque jubet, ut Eccleſiæ Catholicæ deſertores & pacis everſores a ſeculari poteſtate cogãtur, deleantur & puniantur. Neque ſæcularis magiſtratus gratius Deo poteſt offerre ſacrificium, quam ſi hoc curet, ut omnes qui corporalis & ſpiritualis ſuæ mortis cauſa ſunt, juſtitiæ rigore compellantur. Mox enim ut Reges & Principes, criminum è ſuis provinciis expulſioni inſudant, pacem temporalem naneiſcuntur: Et quamvis cum aliis bello decertent, de victoria triumphoque certi ſunt.

Materiæ ejuſdem Continuatio, & de utilitate veræ pacis diſſertatio.

BEatus Cyprianus commoda ex pace provenientia deſcribens, ait: Vis ſcire quid in hoc mundo utiliſſimum ſit & optimum? Pax. Pacis encomiũ.
B. Auguſtinus ad fratres in eremo ſic loquitur: *fratres charisſimi, ó ſi ſciretis quanta ſit virtus pacis, quantum vobis in ſolitudine demorantibus neceſſaria ſit. Tanta eſt enim virtus pacis, quod in ejus dignitate Apoſtolus omnes ſuas epiſtolas ſcribebat dicens, Pax vobis & gratia à Domino DEO noſtro. Hanc autem ſalutandi formam nobis primitus donavit Chriſtus dicens, Pax vobis.* S. Auguſt. ſer. 1. ad fratres in Ere.
Hanc pro teſtamento Chriſtus Apoſtolis reliquit tãquam ſummum bonum, ſine quo nullus vivere debet. Sic etiam pater cœleſtis elementa, & planetas ceteraque inviſibilia ordinavit, ut vincula pacis ſimul complecterentur, ſic etiam glorioſos angelorũ exercitus ordinavit, ut poſt malorum deſcenſum nulla eſſet inter eos diſcordia ſed pax plena atque perfecta. Hæc eſt illa glorioſa pax quæ fructus malorum cogitationũ ejectat (i. e. quæ malas impurasque cogitationes aufert) *fluctuantem mentem illæſam reſervat, conſcientiam purgat. Qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Chriſtianus dici nõ debet. Qui in hac non ſpirat, vitam & pedem in lubrico ponit, navim in tempeſtate collocat, in præcipitio ſe illaqueat, in arena ſemen ſeminat. Hæc eſt illa perfecta pax, quæ mentem à vitiis purgat, vermem conſcientiæ rodit. O Pax mater Eremitarum, cœnobitarum pater, monachorum ſoror. Tu Patriarcharum vinculum, tu Prophetarum vehiculum, tu Apoſtolorum refugium, tu martyrum ſolatium. tu confeſſorum vallum, tu virginum tripudium, tu viduarum ſpeculum, tu conjugatorum ſpectaculũ, tu malorum præſidium. tu tyrannorum odiũ, tu latronum ſuſpendium. O pax Dei ædificium, te non poſſunt deſtruere Principum fulmina, inſultus dæmonum te in nullo lædere poſſunt. Tu pauperem divitem facis, & divitem mendicantem perducis, tu contentatio cunctis tu ditior, univerſis, tu homines Dei facis filios, O pax ſine te non regunt Reges,*

ſine

ſine te non valent regna. Nunquid ſine te jejunia, orationes, eleemoſynæ cæteraque bona nobis prodeſſe poſſunt? Abſit O Chriſtiane, in cunctis pacem habe-te. Nam ſi fratri iraſceris, ſi proximum odis, tibi contradicis in oratione Dominica. clamas enim, Dimitte nobis debita noſtra, ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris. ſi pacem non diligis, ſi proximum odis, qua fronte tibi petis dimitti, qui proximo rancorem non dimittis? Si Cain habuiſſet pacem in corde, non irruiſſet in fratrem ſuum: ſi Abſalon pacem habuiſſet in ore, non impugnaſſet patrem. Si proditor Iudas in opere pacem habuiſſet, non fugiſſet ad laqueum. O quam bonum, ô quam iucundum, ô quam divinum eſt fratres habitare in unum, ut unum ſit cor, una voluntas, una omnium anima, & forma una vivendi. Nam Diabolus intrare non poteſt domum vel mentem in qua pax dominatur: tanta eſt enim eminentia iſtius virtutis, quod de ea propheta prius miraretur, quam oſtenderat quid eſſet, vel quid utilitatis haberet, ô quam grandem admirationem propoſuit cum dixit, Ecce, ô quam mirabilem utilitatem prædicavit cum ſubiunxit, quam bonum & quam iocundum. Sed ſcire debetis, quod quædam ſunt bona quæ non ſunt jocunda; quædam jocunda quæ non ſunt bona. V.G. bona ſunt jejunia, vigiliæ, macerationes & ſimilia. Hæc bona ſunt ſed non jocunda: quia caro in his non iocundatur, ſed læditur. Econtra iocunda ſunt comeſſationes, Ebrietates, ſed non bona. Hæc agentes lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. O Chriſtiane vix poteris in præſenti invenire unum quod ſit bonum & iucundum. Cupis autem illud unum invenire? Perquire pacem & amplectere eam. Hæc eſt enim ſola virtus, quæ bonum habet & iucundum. Hæc eſt illa bonitas, quæ nos habitare facit unius moris in domo, ut ſimul vivere, ſimulque mori ſemper optemus. O pax, tu mentis ſerenitas, animi tranquillitas, cordis ſimplicitas, amoris vinculum, charitatis conſortium. Hæc ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat, cunctis placet. O pax tu extolli neſcis, ignoras inflari: quid ira, iurgia, rixa ſint neſcis. Beatus qui te habet, maledictus qui te odit & qui te impedit, & frangit inter homines. O pax, qui te habet, teneat; ne te perdat, qui te habet, te perquirat qui te perdit, te requirat, ſi filius Dei eſſe præoptat, te zelo ardenti, te deſiderio quærat inflammato. O pax tu tale bonum in rebus creatis, tam mirificum, tam glorioſum quo nil dulcius ſolet audiri, nihil delectabilius concupiſci, nil utilius, nil pretioſius poſſideri. Spiritus enim humanus ſicut nunquam vivificat membra niſi fuerint unita, ſic Spiritus ſanctus nūquam nos vivificat niſi pace uniti fuerimus.

Quæ cum ita ſint, amemus pacem, cum data ſit ab angelis hominibus bonæ voluntatis. Non fruſtra dico iis pacem eſſe largitam hominibus, qui bonæ ſunt voluntatis: nam quicunque malæ, quorumque cor & animus eſt inſatiabilis, numquam pace fruuntur. Econtra omnia terrena ſpernens, veram pacem poſſidet. Si enim *Meum* & *Tuum* in mundo non dominaretur, nō bellum ſed mera pax vigeret.

QVA RATIONE INTER IMpios pax regnet, & qualis pax à nobis eligenda

QUæret aliquis. Qui fit, multos opulentos, ſuperbos, thralones, & impios pacifice mutuo vivere? Auguſtinus reſpondet: O Chri- *S. Auguſt.* ſtiane & Domini ſerve, diſſenſiones quæ inter probos ſunt, deplorandæ ſunt; ſed multo magis pax impiorum deflenda eſt: omnia enim mala creſcunt & multiplicantur cum impij unanimiter vitam tranſigunt; ſed diſcordiis, rixis, & inimicitiis inter ipſos exortis aliqua mundus pace quieteque gaudet. Nam ut pax impiorum paci proborū adverſatur, ſic & optandum eſt ut probi in pace continuo maneant, & improbi ſemper altercationibus ſe lacerent. Nōnunquā enim impij ob diſcordias ſuas ſe ſolent convertere & rectam viam ingredi; curæ, afflictiones & ignominiæ quibus divexantur, compellunt eos nomen domini quærere; in ſtatu pacis & voluptatum luxu non facerent. Deus nobis exorandus & invocandus eſt, ut probi in fide confirmē-tur, & improbi ſe convertant.

Beati pacifici: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum, ait Chriſtus Beati pacis amatores, inquit, quia filij Dei vocabuntur. Pax homini ſervitutē aufert & nobilem efficit, ex mancipio reddit libertum, ex ſervo Dei filium. Qui non vult ergo pacifice vivere, Dei filius vocari non meretur: qui pacem ſpernit, hujus Deus pater eſſe nolet. Severiſſimum ſane & immiſericordem Deum inveniet, qui pacificum & miſericordem Deum aſpernatus eſt.

In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quæ ſūt probata coram Deo & hominibus Concordia fratrū, *Eccl 25.* *& amor proximorū & vir & mulier bene ſibi conſentiētes*, inquit ſapiēs. Pax & cōcordia fratrū eſt *Pax triplex* Dei voluntas, gaudium Chriſti, plena ſanctitas *Interna* juſtitiæ regula, & fida omnium virtutū cuſtos.

Nicolaus de Lyra triplex pacis ponit genus. Primo internam, quando homo pacificam, ſedatam, & puram habet conſcientiam. Secundo

pacem fraternam, quando nempe in omni juſtitia ſimul vivitur. Tertio ſummam pacem, qua in æterna fruemur gloria.

Fraterna. Fraterna charitas tripliciter obtinetur. Primo per humilitatem. Videmus etenim pudicũ cum impudico, juſtum cum injuſto convenire neutiquã, at humilem omnibus ſe conformare. Nam quemadmodum arrogans libenter imperat, mandat & jubet; ſic humilis ſibi patitur imperari, idque corde promptiſſimo & reſignatiſſimo. Atque hac virtute media tam inflatus quam demiſſus bene contenti & concorditer una vivunt.

Secundo per æquitatem, abſque qua nulla ſeu fraternitas, ſeu ſocietas pacifice conſervari poteſt. Videre hoc eſt in prædonibus & furibus, qui tum diſſentiunt, cum bona rapta inæqualiter dividunt Hinc Propheta Iſaias 32. *Pax*, inquit. *erit opus juſtitia*

Tertio tacendo linguamque compeſcendo, ne è verbis noſtris rixæ jurgiaque naſcantur. Hinc ait ſapiens: *Suſurro & bilinguis maledictus: multos enim turbavit pacem habentes.*

Quod ad pacem attinet internam, & hanc tribus modis poſſumus conſequi. Primo per immaculatam conſcientiam Sirach. c. 44. *Homines*

Eccl. 28, *divites in virtute, pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in domibus ſuis.*

Secundo per amicitiam Dei. Unde S. Auguſtinus: Inquietum cor meum donec in te quieſcat. Et Pſalmiſta: *Pax multa diligentibus legem*

Pſalm. 118. *tuam.* Tertio per modeſtiam & mediocrem ſufficientiam: cum videlicet homo ſuo contentus, & in ſemetipſo quietus eſt. Atque hinc omnes illi beati filiique Dei cenſeri poſſunt, qui Deo aliquo aſſimilantur modo, hoc eſt, qui quemadmodum Chriſtus fecit, ſtatu ſuo contenti ſunt, & paupertatem, crucem, & miſeriam infracto tolerant animo.

De tertio pacis genere ſive ſumma pace ſic Propheta loquitur. *Et erit opus iuſtitia Pax & cultus juſtitia, ſilentium, & ſecuritas uſque in ſempiternum, & ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.* Indicat Pacem cœleſtem nec impediri, nec turbari, nec obſcurari, nec tolli poſſe. Hinc D. Auguſtinus: Beati veram, completam, certam, incorruptibilem, & æternam pacem poſſidebũt, quæ nec ab ulla peſte, nec ab ullo evertitur inimico. Hæc pax erit omnis noſtri deſiderij ſatietas: nam in divinæ faciei intuitu, interior homo quicquid petet habebit, nec plus vel quæret, vel expetet, ſed vera pace contentus erit.

Sed advertendum ſine interna fraternaque pace non poſſe ad ſummam illam Pacem nos pertingere Apoſtolus: *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum.* Concordat Propheta Regius cum dicit: *Quis eſt homo qui vult vitam: diliget dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum. Diverte à malo & fac bonum inquire pacem & perſequere eam.* Si cœleſtem aves poſſidere gloriam, linguam ab omni rixa, diſſenſione, diſcordia, murmuratione, obtrectatione, calumniiſque cuſtodito: nec labia aperito ad duplicia, falſa, & fraudulenta. Evita malum, injuſta quæque deſerito: neque enim ſufficit, ſi qui dives eſt, non ſit uſurarius, non dardanarius, non injuſtus divitiarum corraſor, non raptor aut peculator. Sed & eleemoſinæ dandæ & opera miſericordiæ exercenda ſunt. Nec Deo placitum boni quidpiam agere, niſi ad cœleſtis gloriæ conſecutionem & malum fugias. Parum ſane prodeſt adultero eleemoſynarum largitio, niſi & à ſcorto ſe ſegregat. *Inquire pacem & perſequere eam:* hoc eſt, Internam, fraternam, & ſũmam pacem quærito, ſine qua Dei faciem non intueberis. Apoſtolus *Pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiſcum.* Veruntamen arrigite auris impij, audite quid Dominus vobis dicat per Prophetã Iſaiam 48. & 57. *Non eſt pax impiji, dicit Dominus Deus*, Nulla pax eſt impiis interna; quia conſcientias eorum continuo flagitia arrodunt. Nulla etiam externa gaudent pace, nam aſſidue in jurgiis & rixis vivunt: altiſſima pace ergo cœleſtique gloria privabuntur. Quamvis vero videantur impij pacem inter ſe fovere, pax tamen ea non eſt. Propheta *Pax pax & non erat pax.* Et ut pacem quandam habeant ea ipſis in laqueum eſt: nam quo fruuntur ea diutius, eo magis in peccatorum ſentinam ſe demergunt. Ita accidit Salomoni, qui per diuturnam pacem, cum ſuis tam graviter lapſus eſt. Econtra Joſue continuo armorum in ſtrepitu jugiter bona operatus eſt. Quocirca & optem cum Joſue intrinſecus extrinſecuſque cum vitiis perpetim confligere; quam diuturna Salomonis in pace degere.

Interna & fraterna ducunt ad æternam

Præclara admonitio & ratio, cur divitibus conceſſum non ſit præſentibus pauperibus adiutorium ſuum ſubtrahere; & naſcituris providere.

Diaboli inſidia.

INter multiplicia pericula, quibus Chriſtiani ſunt expoſiti, ea ſunt periculoſiſſima, quæ in via regia à ſatana jurato noſtro ſtruuntur hoſte. Nam per plana & aperta camporum incedens facillime cavet, ne in dumeta periculoſa foveamve profundam incidat; at in medio regiæ viæ ſub viridi herba & terra æquali ſi laqueus eſt abſconditus, quis ita cautus ut eum valeat evitare? incognitam, ſuſpectam, & periculoſam qui ambulat viam, ſollicitiſſime rectæ viæ intendit, eamque ſciſcitatur: metuit enim ne vel à via aberret, vel in prædones incidat. Nos vero in erroribus periculiſque plurimum obnoxia ambulamus via: cum formidabili potentiſſimoque hoſte decernimus, qui in magnatum & ſapientum ſubjugatione ſe longum exercuit.

Maximè in Intentione boni operis & Eleemoſynarum elargitione.

Undequaque ergo metuendum nobis: circũſpecti ſimus oportet: compertum enim habemus, videmus, & experimur ſub maxime mellitis amabilibuſque verbis ſæpe maximum diſcordiæ latere virus, opiparis ſaniſque ferculis lethalia miſta venena, & ſanctiſſimis externis operibus enormia ineſſe ſcelera. Quis non omnia mundana ſuſpecta habeat, quando videt in virtutum exercitio, in eleemoſynarum largitione quandoque injuſtitiam & imprudentiam incurrere? Et quia in his duobus, in puro virtutũ exercitio & eleemoſynarum erogatione tantũ momenti eſt, ut noſtra ſalus hinc dependeat, oſtendam qua aſtutia & fraudulenta perſuaſione opera miſericordiæ (quæ nobis Chriſtus toties inculcat) corrumpantur & adulterentur. Verſipellis ſatan & totius generis humani hoſtis infenſiſſimus, in hoc præcipue elaborat, ut homines ab eleemoſynis abſterreat, & ad aveam ſuorum bonorum retentionem incitet: timorem incutit futurorum eventuum, ex quibus ſtatus facultatumque jactura immineat. Animadverſo, pecuniam & opes jam comparatas ad ſtatũ tuendum ſufficere; eaque gratia ad pauperum ſublevationem animum inclinari, ut benignam porrigat dexteram; tunc omnibus nervis contendit ut has homini cogitationes prorſus adimat reſecet, & animo evellat. Pro voto hoc ſi non ſuccedit, venenatius componit pharmacum, eoque rem redigit, ut quamvis erogentur eleemoſynæ, id tamen inhumano injuſtoque fiat prorſus modo.

Divitibus ergo in pauperes propenſis, ad id iis elargiendum, quo carere ipſi poſſunt facillime, ecce dæmon adeſt, hortatur, incitat, ut ſi ſua dare conſilium ſit egentibus, cogitent non diu ſe eſſe poſſe liberales: erogata ad paucos deventura: ab his mox conſumenda. Videant proinde, an non præſtet etiam eleemoſynæ loco eoſdẽ nummos dare ad Xenodochij erectionem, ad annuos reditus, quibus multarum inopia virginum ſublevari queat, & ærite dotari. Hoc autem qui fiet (ita ſuggerit) ſi nunc in viventium duntaxat pauperum ſinum omnis largitio effunditur? ſtatim ea abſumitur, nec ulla [l]argitionis poſteritati memoria relinquitur.

Et ut magis perſuadeat, hoc agit, ut in oculis animoque habeant tot hoſpitalia, tot ædes ſacras à Principibus, proceribus & amplæ fortunæ hominibus erectas fundataſque, & quanta, quam ſacra, quam Deo placita in ijs Deo peragantur officia. Quin etiam quantus & ipſis & poſteritati futurus ſit honos, decus & gloria, ſi ſimilia Dei cultui ſacra inſtituant loca erigere. Sed ô debilitatem & inſipientiam generis humanis in dulci illo quaſi ferculo, æternæ mortis latet hamus. Audiendum magis conſilium Apoſtoli admonentis, *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate Spiritus ſi ex Deo ſint.* Annon & S. Hieronymo in vita Malchi Monachi diabolus ſe nunquam qualis eſt oſtentat? Annon videndum, Chriſtianis num legibus adverſetur, Pecuniam in xenodochiorum ſuſcitationem, dotationem, & amplificationem collocatam, an deſtinatam in alia Chriſtiana opera multo amplius modo animæ conducentia convertere? Ego ſane juſtiſſimum & conſultiſſimum duxero, continuo meditari & ob oculos ponere, quod magno magiſtro Gerſoni ſcriptum & doctum, de cavenda dæmonis tentatione. Diabolo, inquit, hoc ſolenne eſt, ut nobis pro bono opere ad quod obligamur, aliud multo perfectius apparens ingerat. Et hujuſcemodi operi majorem & ſuaviorem indit dulcedinem, quo debitum officium ſeponamus, & agamus indebita.

Quis adeo vecors & ignarus eſt, qui neſciat

vos pertinet, memores eſſe pauperum, & modo viventium obliviſci, & opus ad quod dum vivitis aſtricti eſtis, intermittere. Ego vobis ô magnates & divites, author ſim veſtræ animæ ut provideatis, & pauperum magna modo neceſſitate oppreſſorum, & præ fame pene morientiū inopiam levetis. Miſeris opitulamini virginibus, ut honeſte nuptui tradantur, ne preſſæ inopia ſe proſtituant Eccleſias ruinam minitantes reſtaurate. Date operam ne ſacræ ædes polluantur: præſtate ut Dei ſervitium aſſidue diligenterque peragatur. Huic rei altiſſimus ea tribuit vobis quibus ſuperabundatis.

Quemadmodum venturæ ſegetes & frumēta præſentibus non medentur malis: ſic venturis pauperibus tuas tuta conſcientia non confers opes, & jam exiſtentibus (à quibus accepiſti) ſubtrahis: certus eſto & probe menti imprimito, terram æque futuro tempore ac præſenti fructus germinaturam, induſtriam humanam tunc quoque reditus & proventus ut modo procuraturam: Deum tunc ut nunc divitibus media viresque pauperibus opitulandi ſubminiſtraturum.

Quis vidit formicam jam natos & famelicos deſeruiſſe pullos, ut naſcituris provideat? Vera virtus nihil de peccato habet: quid tu ergo providentiæ injuſtitiam, quid miſericordiæ immiſericordiam ſeu impietatem adnectis? Futurorum pauperum mi homo depone curam: illi pro illis cura erit, qui paſſeres alit. Non vides miſer putativam illam charitatem qua futurorum proſpicis inopiæ, magis tui ipſius cæcum amorem eſſe, quam proximi tui charitatem? Stulte enim imaginaris, eleemoſynas quas in præſentiarum eroges, eſſe momentaneas & caducas, earumque memoriam velociter evaneſcere; è contra vero hoſpitalium ſtructuras diu ſubſiſtere, tibi per eas magnum honoris cumulum accedere: ijs quippe nomen, titulos & inſignia fundatoris & patroni præfigi. Nonne hęc mera eſt ſtultitia, vanitas, & ambitio? certe ſi honos & nominis celebritas tibi hic intenditur jam recepiſti mercedem tuam. Nullus dubita, ſi pecuniam, curam, & laborem tranſitoriam ſolū ob laudē profundis, aut te ſapientia, aut me intellectus hic deficit, quid enim incogitantius & ſtultius eſſe poteſt, quam eligere deſpici in vita ſua, probris & convitiis proſcindi non à præſentibus duntaxat, & adhuc vivētibus pauperibus, verum & à ſapientibus, qui bene rē intelligūt; à pauperibus autem incognitis nec unquam viſis laudem quærere? Et quia pauperes quos vides aſpernaris, & amorem tuum adhuc incertis, & forte non indigentibus oſtendis, dic obſecro quis credet, id quod facis Dei proximique tui ex amore te facere?

Per os nobilis Prophetæ Iſaiæ mandat Deus, *frange eſurienti panem tuum*: non dicit, ei qui eſuriet. *cum videris nudum*, inquit, *operi eum: egenos vagoſque* (id eſt peregrinos, qui domo aut hoſpitio carent) *induc in domum tuam*; an hoc eſt præcipere ut hos rejiciamus quos oculis uſurpamus, illos vero recipiamus, & illis domos exſtruamus qui adhuc naſcentur?

Conclude. id eſt abſconde, inquit ſcriptura ſacra, *eleemoſynam in corde*, in ſinu *pauperis*; *& hac pro te exorabit ab omni malo*. Non mandat ut bona noſtra cellariorum, victorum, vinitorum atque id genus officiariorum manibus committamus, ne dum ea dilapidari & conſumi à Monaſteriorum & Xenodochiorū proviſoribus, curatoribus & architectis, ut ſinamus aut quod deterrimum, ut à morionibus & fictè ac proinde nequam ſtultis, ea abſumantur: ſed ut ſanctis & qui pro nobis exorent ea relinquamus.

Eccleſiaſticus ait. *Filij eleemoſynam pauperis ne defraudes, & oculos tranſvertas à paupere*, & ejus neceſſitate: quomodo igitur qui non præſētium ſed futurorum pauperum curam gerit, dixerit, ſe non eripere pauperibus eleemoſynas, ſe non oculos ſuos ab iis avertere?

In Evangelio præcipit Chriſtus Dominus, ut *quod ſupereſt* nobis, erogemus pauperibus, *quos ſemper* inquit *habebitis vobiſcum*. Eccleſiaſticus monet, *Ante mortem benefac animo tuo.* & ſecundum *vires tuas exporrigens da pauperi*, Ubi legis, facultates noſtras in horreis etiam pauperum nomine erectis occultandas eſſe? ubi legis, Chriſti intentionem eſſe & opinionem, ut ex eo quod ſupereſt, xenodochia & orphanotrophia ſolum conſtruantur? quin potius *Vendite quæ poſſidetis*, inquit Dominus, *& date eleemoſynam*. Si magis meritorium & melius eſſet, multos futuris pauperibus agros emere, mundi certe Salvator autor nobis non eſſet, non ſuaderet, bona noſtra ut venderemus, & pecuniam pauperibus erogaremus. In vita noſtra vult Chriſtus bona noſtra ut vendamus, & diſtribuamus, non, in futuros & nondum natos pauperes ut proſpiciamus.

S. Paulo

vel ſtagnum aliquod conijcitur. E contra probi, pij, & humiles, vitæ ſuæ tempore in eleemoſynis erogandis faciles, æquiparandi ſunt gallinæ, quæ viva omnibus in atriis & conviviorum locis eſt ingrata, ex omnibus conclavibus expellitur; at ubi occiſa, laus ejus incipit: quid non cũ ipſa pompæ inſtituitur? quam pretioſe poſt accuratam purgationem elixatur, aſſatur? argentea in ſcutella portatur; domini ſe illius alis, pedibus, collo, inteſtinis, jecore invicem honorant. Cum Deus ſtatuerit per opprobria, dedecus, crucem & tormenta ad honorem eſſe aſcendendum, dedecus gloriam debere præcedere; metuendum eſt ſane, ne divites & accipitres illi in deliciis, in bonis procul ab omni cura vitam degentes, alia nulla de cauſſa à Deo in infernalis ignis ſterquilinium proijciendi ſint, quam quod multas poſt mortem ſuam eleemoſynas ordinarint, in vita autem ſua elargiri voluerint nihil. E contra non eſt ambigendum, humiles liberales gallinas & probos Chriſtianos, eo quod in vita ſua pauperes non gravare ſublevarint, poſt obitum à Chriſto domino ad æterna gaudia beatudinemque ſuſcipiendos.

Liquido opinor ex dictis conſtat, ſi ſalvi fieri volumus, ſummum bonum apprehendendum eſſe: non momentaneum, ſed ſempiternum honorem gloriamque ſectandam. Nam qui ea tantum de cauſa bonis inhiat, eaque corradit, ut per xenodochij alicujus fundationem, & multorũ redituum pro pauperibus proviſionem cœlum ut putat, adipiſcatur, eum ſimilem dixero illi, qui omne frumentum habet in agris, ſed vacuas domum refert ſpicas, granis vero excuſſis, ariſta ſolum ac gluma reliquis. Nam ut perpetim hic tribulis ſpicas feriat, inane prorſus & vacuum ſtramentum vano labore tribulat: umbram amplectitur pro corpore, pro veritate figuram, pro cœlo gehennam rapit.

Magnus apud magnos divites abuſus & dementia viget, qui in vita ſua viduas & orphanos emungunt & deſpoliant; ac neque pauperibus, neque Deo, neque ſanctis vel ullum offerunt teruncium: ſed mortis extremo in articulo ac ultimo neceſſitatis conſtricti nodo, tum demum, ubi abierint, teſtamento mirabilia legant, fundant, ita volunt munifici, ſanctique videri. Ex aliorum corio lata ſcindunt lora, ô cæci miſerique, neſcitis bona veſtra ab abitu non eſſe jam amplius veſtra? Si enim veſtra forent ſumeretis utique vobiſcum: à Deo quoad vivitis ea vobis conceſſa ſunt, & fortunæ caſu forte advenere. & non miror, eo vos deveniſſe inſipientiæ, ut ultimo veſtro in tranſitu velitis tantum uſque adeo liberales eſſe: & poſt vitæ veſtræ terminum illud largiri, cujus non eſtis domini, ſed quod velitis nolitis mundo relinquendum eſt? In vita dandæ ſunt eleemoſynæ, in vita neceſſitate oppreſſus à te relaxandus eſt, niſi feceris, occidiſti. In vita *facite vobis amicos de Mammone iniquitatis: ut cum defeceritis*, cum mortem obieritis, *recipiant vos in æterna tabernacula.* Qui in vita largita pauperibus, non ideo minus habet: non patitur defectum: aer quo diffunditur & extenditur magis, eo major fit. Metalla effoſſa ſucceſcunt in montium cavernis: quo plures è fonte rivuli ſcaturiunt, eo major eſt aqua & fons abundantior: quo plures arbor ramos diffundit magiſque vires ſuas exſerit, eo fit major & plus fructuum profert. Sic certum eſt, nullam eleemoſynarum effuſione uſuram eſſe meliorem: neque enim ſimplex, duplex, triplex, ſed centuplex fructum producit. *Bis dat, qui cito dat.* da cito, ut diu vel ſenex gaudeat, da cito, virtus non externis in operibus, ſed in interna conſiſtit voluntate. Voluntas & intentio operi ſplendorem addunt. Quid ad mortis uſq; horam cuſtodis donum tuum? cito da, ita multiplicabitur: quo enim manus promptior, eo pignus gratius.

Nunquid magnæ eſſet dementiæ medicos & pharmacopolas præſentes ægros negligere, & futuris pharmaca componere? An non ingens foret ſtupor proximi domo conflagrante aquã nolle ſuppeditare, ſed uſque in ſecundum ejus incendium eam aſſervare? Intolerandæ fatuitatis eſſet, denegare proximo in extremo ſubmerſionis periculo conſtituto quas in promptu habes tabulas, quibus innixus enatare poſſet; eas autem aliis ſimili poſtmodum periculo expoſitis ſeponere. Quis non aurigam ſtultiſſimum dixerit, qui urbe exceſſurus equos averſæ currus parti alligaret? Illi profecto equos currus ut ita dicam in puppi infrenant, & retrorſum ad tartara pergunt, qui in vita ſua pauperibus eleemoſynas ſubtrahunt, in ultimo autem ſuo curriculo ac poſt mortem volunt eſſe audireque munifici. De his ita Scriptura ſacra: *Abſtuliſti pignus fratrum tuorum ſine cauſſa, & nudos ſpoliaſti veſtibus. Aquam laſſo non dediſti & eſurienti ſubtra-*

Digitized by Google

xiſti panem, viduas dimiſiſti vacuas, & lacertos pupillorum comminuiſti. *Propterea circumdatus es laqueis, & conturbat te formido ſubita.*

Evitandæ porro omnis calumniæ ergo, & nō nemo imprudentior ſumſerit, palam proteſtor, aperte edico, minime intentionem opinionemque eſſe meam, xenodochiorum fundationes & pauperum poſt mortem proviſiones contēnere, cōdemnare & inhibere, Quin clare aſſero & confiteor, xenodochiorum atque ejuſmodi ædium piorum fundationes opus eſſe ſanctiſſimum, utiliſſimum, & Deo gratiſſimum, Non enim duntaxat Ethnici & infideles plurima ad pauperum ſublevationem hoſpitalia conſtruxere, ſed & memoriæ proditum, D. Baſilium in dira fame Cæſareæ magnam pauperum multitudinem ſuis aluiſſe ſumptibus, Xenodochium pro peregrinis aliiſque pauperibus tam amplū & magnificum extruxiſſe, ut Gregorius Nazianzenus illud in Monodia ſua inter ſeptem mundi miracula retulerit: quid? cum in perſecutione & tyrannide Arriana facultatibus, domo, patria extorres incertis quamplurimi errarent ſedibus, cum miſertus a notis vicinis divitibus eleemoſynas congregavit, quibus miſeris & inopibus domicilia exſtruxit.

B. Paula Romana facultates ſuas pene omnes in pauperes expendit. & inops quam locuples mori maluit. Imperator Tiberius tantas elargitus eſt eleemoſynas, tot hoſpitalia templaque ſuſcitavit, ut maximam ſibi laudem acquiſierit, & cunctorum Chriſtianorum Principum & procerum exemplar factus ſit. quia *multo regalius eſt addere, quam auferre.* Et ut ille, *Regalius eſt ditare, quam diteſcere.*

Niſi pij noſtri majores tot xenodochia domoſque Dei fundaſſent, unde tot noſtri temporis pauperes ſuſtentarentur? unde ſancti viri in Monaſteriis viverent, noctes dieſque Deum laudarent, & pro nobis orarent? magnis ſe pœnis proinde addicunt qui xenodochia, templa & ſacras ædes prophanant, deſtruunt, earum bona ſibi violenter aſſcribunt, iiſque non ad alia, quam ad mundanam pompam, luxus, & illecebras utuntur. Vere de pientiſſimo unoquoque xenodochiorum ædiumque ſacrarum fundatore cum Pſalmiſta dici poteſt, *diſperſit, dedit pauperibus.* Econtra vero de hæreticis harpys, hoſpitalia Deique domos ad ſe atrahentibus minuētibus, & ex ſugētibus, *Rapina pauperis in domo veſtra.* Sed quid iis prodeſt, ſi præter omnia xenodochia, cœnobia, & Dei templa etiam univerſo mundi potiantur dominatu, & tamen animæ damnum patiantur ſuæ?

Ita ſentio, hoc addo, pauperum legata & donationes, xenodochiorum fundationes & amplificationes, tunc demum vere bona, utilia, & Deo grata eſſe, ſi Epiſcopus in ſuo Epiſcopatu, Abbas ſua in Abbatia, dominus vel nobilis ſua in ditione, & Chriſtianus quiſq; in eo loco, quem incollit, primo utantur, ne promiſſum eleemoſynis meritum perdant: ne opera miſericordiæ & juſtitiæ immiſericordiæ injuſtiæque commiſcāt, ut auram popularem, ambitionem, propriæque carnis dilectionem conculcent, penitus conterant, & venio leviorem ducant, ut hoc modo digni efficiantur exaudire vocem: *Venite benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi: eſurivi enim & dediſtis mihi manducare: ſitivi & dediſtis mihi bibere hoſpes eram & collegiſtis me: nudus & cooperuiſtis me. infirmus & viſitaſtis me, in carcere eram & veniſtis ad me.*

Ad

DOCTOREM VASCOS

EPISTOLA.

In qua explicatur, cur DEUS cor Pharaonis induravit.

CLariſſime idemque zeloſe D. Doctor &c. amanuenſis tuus Ribadeneira literas tuas mihi tradidit, ex quibus præter cætera percepi, te mirari, cur Deus Regis Pharaonis cor ita indurarit, ut neque multiplices punitiones agnoſcere, neque ſe convertere potuerit. Ne quid te celem ſuper verba, *Ego in durabo cor ejus*, Doctores ſcribunt diverſimode Nicolaus de Lyra hunc in modum. Deus non eſt cauſa, quod cor Pharaonis ſit induratum in quantum, id eſt peccatum ſic enim liberæ fuit voluntatis, ſed Deus cor ejus induravit, quantum ad pœnam attinet. Nam in commiſſorum flagitiorum vindictam

Deus

Digitized by Google

Deus ei ſuam ſubtraxit gratiam, cujus officium eſt, humanum cor mollire & mitigare: adeo ut gratia ſublata, humani cordis duritiem juſta, & debita punitio ſequatur. D Gregorius non diſcordans, Deus, inquit, cor Pharaonis induravit, non tamen cordi ejus duritiem indidit, ſed ita peſſima illius opera merebantur: apud quem nulla quidquam divina efficiebat ultio, nullus locum habebat timor B. Auguſtinus ait: Chariſſimi fratres, ad verba *Ego indurabo cor ejus*, multi laici & Eccleſiaſtici offendunt & Pharaoni injuriam factam putant. Et quia vel ideo inprimis impuri & amentes Manichæi vetus teſtamentum adulterant, accipite explicationem. Deus hominem non deſerit, niſi prius homo deſeruerit Deum. Nam Deus hominem etiam ſecundo, tertio in gravia incidentem ſcelera ad pœnitentiam expectat: Propheta: Si impius egerit *pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vita vivet & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt non recordabor: injuſtitia ſua quam operatus eſt vivet.* At ſi homo in peccatis perſeveret, ex peccatorum multitudine ſequitur deſperatio ex deſperatione cordis durities naſcitur: cum in principio deſidioſe agitur, exigua peccata non æſtimantur, creſcunt ea pedetentim & onus immenſum efficiunt, quo mortales deprimuntur. Sapiens! *impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit : ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium.* Apoſtolus, *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ.* De ejuſmodi cordis duritie loquitur Sirach, cum dicit: *Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps: lacta filium & paventem te faciet, Lude cum eo & contriſtabit te, Curva cervicem eius in juventute, & tunde latera ejus dum infans eſt, ne forte induretur & non obediat tibi, & erit tibi dolor animæ.* Ex his puto luce meridiana clarius patet, non Dei potentiam Pharaonis cor induraſſe; ſed ex divina patientia cor ejus tãtam obſtinationem contraxiſſe. Quandocumque enim à Domino affligebatur, pœnitentiam agebat! ſed mox liberatus in ſuperbiam erigebatur. Dicere ergo *Ego indurabo cor eius*, idem valet ac ſi dicat, eum ſua indurabit malitia.

Obiecerit autem quiſpiam, & dixerit, Cur Deus toties ab illo illatas abſtulit plagas? reſpondeo, quia Pharao ob multiplicia & graviſſima ſcelera ſua, non ut filius puniri debuit ſed ut inimicus derelinqui & indureſcere. Tanta enim crimina perpetrarat, tam arroganter & præſumptuoſe Deum contemſerat, ut merito Propheta caneret: *in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt impietate & iniquitate ſua.* Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, *tranſierũt in affectum cordis.* Et hoc cauſa eſt cur Propheta Iſaias clamet: *Quare errare nos feciſti Domine de vijs tuis: induraſti cor noſtrum ne timeremus te?* ac ſi dicat. O Domine, tu cor noſtrum non alia de cauſſa dereliquiſti, quam ne ad te convertamur. ita Hebræis accidit. Iſai. 64.

Deus & diabolus unum opificium, unam exercent mercaturam; nimirum humani cordis polituram, tractationem, præparationem. Id autem diſcriminis intercedit quod Deus carnea, at diabolus lapidea reddat corda. Ut enim Deus & diabolus ſunt hoſtes, ſic etiam illorum opera ſunt diſſimilia, & contraria. Deus namque ex corde lapideo ſæpe cor carneum, at ex carneo diabolus facit lapideum Nunquid poſtremiſſimo mortalium Judæ Chriſti in collegio commoranti cor fuit carneum? Prorſus, ſed ex amore nummorum avaritia, diabolus in lapideum id mutavit. Lapideum cor erat Apoſtolo Paulo, cum Damaſcum Chriſtianos perſecuturus tenderet, ſed Chriſtus id in carneum convertit, cum eum Judęis prædicatorum miſit. Aves igitur ô anima ſcire, num humanum cor carneum habeas? proximi tui miſerere, ſic ex operib. cor tuum patefiet. O quantum, quam inexpectabilem Deus ijs confert gratiam, quos ex mancipiis dominos efficit: & quib. pro diabolico lapideoque corde, divinum, carneum, & molle reponit. Quid eſt aliud Deum ex lapideo corde carneum cor facere, quam dare gratiam, ut mãſuetus, pius, benignus, humilis, & miſericors fiam? Quid autem aliud eſt dæmonem cor carneum in lapideum pervertere, quam ut arrogans ambitioſus, duplex, doloſus, impius, & erga proximum meum immiſericors efficiar? Vere, is ſolus carneum ſibi cor eſſe affirmavit, cui bona affectuum adeſt conditio & proprietas, illi vero cor eſt lapideum qui male vivit & impuræ eſt conſcientiæ

Super hæc verba, *Cor mundum crea in me, Deus*, inquit D. Baſilius: O quam ille beatus eſt, quantam ei Deus largitur gratiam, cui cor durum

quid accideret, in quo præſentes ſatis abunde quod ſpectarent, & de quo abſentes affatim quod loquerentur haberent. Id quoque ſpectaculum dicebatur, cum populus Amphitheatrum in magnum confluxiſſet ſpectandi gratia, quomodo mancipia cum beſtiis indomitis congrederentur, quomodo gladiatores de vita decernerēt, quomodo Comœdiæ agerentur, quomodo Mimi ſuos ſales & jocos jacerent, quomodo ludi Circenſes inſtituerentur, quomodo magnates ovarent & triumpharent. Hæc omnia ſpectacula vocabant. Sed ab exordio mundi uſque dum Chriſtus Salvator noſter in ligno crucis ſpiritum ſuum tradidit, nunquam tam ſublime, tam inſolitum ſpectaculum vel auditū, vel viſum eſt, nec in futurum videbitur vel audietur, quale mors & paſſio Chriſti fuit. Hebræi ſiquidem ſive Judæi ſpectaculo huic quàm intenti fuere: Gentiles ſatis ſpectando Chriſtiani exemplum in de capiendo an potuere? toti certe mundo materiam loquendi abunde præbuit. Quod factum mirabilius, quod ſpectaculū horrendius unquam in mundo exhiberi potuit, quam univerſum populum Judaicum, juvenes & ſenes octo ante diebus feſto quodam die Chriſtum tam honorifice excipere, veſtimenta ſua illi ſubſternere, ſumme illum laudare, ſumme honorare dicendo: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis &c.* & ſequenti die Veneris omnes ruere, univerſos perſequi, ut eum cruci traderent? Vere, vere mi Chriſtiane mirabile, inauditum, & inhumanum hoc eſt Spectaculum: nam hæc mors filii Dei toti mundo vitam dedit. Quæ mirabiliora potuiſſent ſpargi nova, quam in luce meridiana, omnibus præſentibus mortem in cruce eſſe mortuam, cū Chriſtus ei vitam admeret? Huic tam alto ſpectaculo interfuit mater ejus ſanctiſſima rivos aquarum deducens, ex oculis ſuis, aderant & amici mirantes: aderant lictores & carnifices hominem occidentes: plebs illi illudens, ſol ſe obſcurans, rupes ſe ſcindentes: ſepulchra aperiebantur, multi ſancti defuncti deſurgebant: quid quod dæmones & ſpiritus maligni extimeſcebant, beati ſpiritus exultabant: quando unquam Græci ſimile ſpectaculum viderunt, arido in ligno crucis Synagoga interibat, prophetæ complebantur, figuræ delebantur. Malitia ſe totam effudit, innocentem dānavit, juſtum ſupplicio affecit; mundi creatorem interemit: mors ſua potentia privatur & deſtruitur. In ſpectando Diomedis cum Glauco, Theſei cum Minotauro, Herculis cum Hydra, Reguli cum ſerpente, Andronici cum leone multa Romani videre: & multorum dierum ſermonibus materiam habuere; ut hoc in ſpectaculo & morte filii DEI, adhuc in hanc horam in cruce ſatis quod videamus habemus, & ad finem uſque mundi quæ ſcribantur myſteria ſupererunt. Ubi ſpectaculum in mundo eſt exhibitum, quod in hoc non erat comprehenſum? cupis ſpectare ſpectaculū in quo iocis agitur? vide quomodo Judæi hic ludant, & Dei filio illudant. Deſideras ſpectaculum in quo vincitur & triumphatur? vide ut infenſiſſimus mundi hoſtis ſerpens antiquus hic vincitur. Delectat te ſpectaculum in quo juſtitia adminiſtratur? ecce, ut Chriſtus creator noſter crucifigitur. Aves tueri ſpectaculum in quo fiunt admiranda, vide ut elementa, cœleſtia & terreſtria firmamenta conſternētur. Inhias ſpectaculo, ad quod innumerabilis concurrit populus? vide mortui & vivi, ut hic confluant, certe ut Epithalamium Salomonis *Cantica Canticorum* intitulatur, ſic ſpectaculum hoc merito vocari debet *ſpectaculum ſpectaculorum.* Sed ô bone Jeſu, ô fili Dei, ô mundi redemptor, quid eſt hoc? Tu qui cunctos eſt cœleſti throno ſoles homines ſpectare, jam toti mundo ſpectaculum præberis?

Spectaculum facti ſumus mundo, angelis & hominibus, inquit Apoſtolus: ac ſi dicat, Chariſſimi fratres, vita noſtra tam & ſancta, doctrina quam prædicamus tam alta, & ego & vos omnes tale ſpectaculum eſtis facti, ut mundus obſtupeſcat, angeli admirentur, homines ſcandalizentur. Huc facit, quod ait Theophylactus, In divinis litteris ſæpenumero per angelos homines probos, & per mundum impios & improbos intelligi. Cum igitur Apoſtolus dicit: *Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis & hominibus*, hoc vult & indicat, quod ad caſtigationes & martyria quæ Chriſtianis inferebantur, multi viri ſācti eos confortandi gratia accurrerint: & multi itidem mali illudendi accuſandique cauſſa interfuerint. Venerabilis Beda ait ſuper hæc Apoſtoli verba: Quod Apoſtoli tot contrarietates à Pſeudoprophetis & tam horrenda martyria à barbaris perpeſſi ſint, ut angeli admirati & homines eorum divexati & compaſſi ſint. Ad Lucillum inquit Seneca: Cur populus Romanus

hic ad ſpectandum accurrit, niſi ut unuſquisque deinde de ijs domi ſuæ poſſit loqui? Certe omnes moderatores, præſides, Prælati, concionatores, & omnes omnino religioſi ſunt ſpectaculum, in quod cuncti ſuos defigunt oculos, in quo videntur & repræſentantur, quot enim dominus, prælatus, & animarum curator habet ſubditos, à tot etiam conſpicitur, reſpicitur & judicatur. Qui munus agit concionatoris, ſeipſum præbet ſpectaculum; quia quotquot doctrinam illius audiunt, vitam quam agit, verba quæ profert, ſcientiam quam habet, familiam ex qua ortus, & præſumptionem arrogantiamq; qua tumet, examinant. Ubi homo probitati virtutique ſtudere cœpit, ſeipſum mundo ſpectaculum exhibet; greſſus ejus numerantur, verba ponderantur, ad converſationem illius attenditur, ipſius inclinationes notantur, cogitationes inquiruntur: ac demum hypocrita nominatur.

Quis alius mundi eſt ſpectaculum quam ſervus Domini. qui ex toto corde mundana deſeruit? Quis alius mundi ex ſpectaculum, quam qui cum nullo mundano homine negotium habet, ſed propriæ ſuæ conſcientiæ ſolum curam gerit? Quis alius eſt mundi ſpectaculum, quam cujus innocentia ab angelis approbatur, cujus vita à ſanctis commendatur? quiſquis ergo quid faciat, quid incipiat bene circumſpiciat. Si enim probus eſt, probitatis; ſi malus, malitiæ ſpectaculum vocabitur. Juxta vitæ noſtræ inſtitutum epiſtolæ ſuperſcriptio erit.

Cur Iudæi revertentes pectora ſua percuſſerint.

Percutiebant pectora ſua & revertebantur, inquit Scriprura, quaſi diceret: Poſtquam Judæi ſpectaculum paſſionis & mortis Chriſti vidiſſent, pectora ſua percutiebant, & revertebantur. Super hæc verba ait Papa Leo: O vos Judæi quãto ſatius fuiſſet corda revocaſſe, quã pectora percuſſiſſe? quãto ſatius fuiſſet, in tẽplo mãſiſſe, quã ad Synagogã reverti? quanto ſatius fuiſſet per doctrinã vobis traditã converti? nõ ex amore ſed ex timore, pectora percuſſiſſetis. Metu enim viſo ſole obſcurari, rupes ſcindi, monumenta aperiri, eos pectora ſua percutere impulit. Verum id eſſe vel inde clarum eſt, quod dolor ille & pœnitentia non diutius quam formidabilis illæ terræ motus duraret. Quis non credet, Judaicorum pectorum percuſſiones magis ex timore, quam amore natas? Confeſtim enim ut ex monte Calvariæ deſcenderant, domum Pilati acceſſere: cum obteſtabantur ut ſepulchrum diligenter à vigilibus cuſtodiri juberet: Chriſtus, ajebant, malis artibus imbutus fuit: populo perſuadebit, ſe reſurrexiſſe. Quis tam malitioſa verba, quis petitionem tam nefariam, dolorem & pœnitentiam, & non potius caninam dementiam & obſtinationem dixerit? ille in corde ſuo ut ſentiat dolorem qui poſt Chriſti crucifixionem ad monumentum excubias agi cupit, cum adhuc pro ſeductore & perſecutore habet?

Ficta pectoris percuſſio.

Dignum hic notari, Evangeliſtam dicere, Judæos primum vidiſſe ſolem obſcurari, & ſepulchra aperiri, quam pectora ſua percutere cœperint. Nam hinc colligimus, eos hoc ex timore & terrore, non ex dolore feciſſe. Si Judæi cum centurione dixiſſent, *Hic homo juſtus erat*, vel: *Domine memento mei*, ſi Joſephum corpus Domini poſtulaturi, Nicodemum corpus unguentis peruncturi comitati fuiſſent, apparuiſſet, eos ex mero dolore pectora ſua percuſſiſſe. Sed cum Dominum ſuis manibus ceperint, cum eum ſuis linguis crucifixerint, onerarint opprobriis, cum eum in cordibus ſuis oderint, indubitatum eſt, eos plus ſolis deliquio, quam filij Dei morte exterritos. Si Evangeliſta dixiſſet, *convertebantur*, videri poſſet. Judæos ex dolore & pœnitudine pectora ſua percuſſiſſe, cum autem ſacra ſcriptura non dicat eos converſos, ſed reverſos eſſe, credibile eſt valde, eos reverſos eſſe, ut ad domos ſuas redirent, non autem ut conſcientias ſuas expurgarent.

Vermes ſcaturiebant de corpore ejus, & orabat hic ſceleſtus dominum, à quo non eſſet miſericordiã conſecuturus, ait divina ſcriprura 2. Machab. 9. ac ſi dicat: Poſtquã Antiochus tyrannus octuaginta Hebræorũ millia interfeciſſet, & quadraginta millia in captivitatem abduxiſſet, tam horrenda & fœda lue cui nullus mederi poterat, cum percuſſit Dominus, ut vivi vermes ex ejus corpore profluerent, totus exercitus ipſius fœtore affligeretur, nec quiſquam propter fœtorem ipſum ferre poſſet. Videns ergo ſe morbo hoc levari non poſſe, cœpit ut convaleſceret ad Hebræos ſe convertere, & ſubdole ſe peccatorum ſuorum dolorem concepiſſe fingere, ſed à Deo miſericordiam adipiſci non meruit: quia pœnitentia

illius

Digitized by Google

illius cum receptione ſanitatis terminabatur. O quot diſcipulos & aſſeclas habet hodie Antiochus, qui Deum pro ſe exorari cupiunt. Et ô quot modo diſcipulos habent Judæi, qui pectora ſua percutinnt, non ut peccatis ſuis quibus immerſi liberentur, ſed magis pro remedio laboris & infortunio quo premuntur. Nec miretur quiſpiam, cur Dominus non illico laborantibus & curis oppreſſis medelam ferat, nec omnibus pectora ſua percutientibus ignoſcat, quia talis pœnitentiæ monſtratio & hujuſcemodi compoſita falſaque contritio non ex libera voluntate, ſed ex neceſſitate fit. Deus ergo illorum miſerias in longum protrahit, ut ſic vera reddatur contritio.

...lMtum ea hodieque viget.

Videmus indies, ſi luna forte eclipſin patiatur, ſi tonitrua & fulgura coruſcent, ſi quiſpiam ſubitanea morte tollatur, unumquemque ſe ſãctæ crucis ſigno munire, ad genua procidere, devote orare, & magno peccatorum ſuorum dolore teneri: ſed non hoc ex contritione, verũ ex metu faciunt: ut enim tempeſtas præteriit, conceptus dolor fit abortus: vitæ emendandæ propoſitum evaneſcit, votorum emiſſorum nulla ſupereſt memoria. Ego omnes illos, qui tempore tempeſtatum, tonitruum, & fulgurum peccatorum ſuorum memores ſunt, ſimiles eſſe dico Judæis, qui, cum ſol obſcuraretur pectora ſua percutiebant: ut enim neque ſol, neque planetæ eos ad peccandum movere, ſic nec ad cõtritionem excitabunt. Enimvero quis Chriſto, ſi externam duntaxat ſpeciem ſpectes, majorem honorem & reverentiam exhibuit quam milites Pilati? Nunquid ei coronam impoſuerunt? Nunquid ante illum capita ſua detexerunt: Nũquid eum ſalutarunt & dixerunt, *Ave Rex Iudæorum*? Nunquid coram ipſo genua flexerunt! ſed tua Chriſtiane contritio non in orando detecto capite, non in pectoris percuſſione, non in poplitum incurvatione, non in precum diuturnitate, ſed multo magis in cordialium lachrymarum effuſione, & à peccatis tuis converſione conſiſtit.

Sane non injuſtum, ſed juſtum eſt in templo pectora feriri, genua flecti, luſtralem aquam ſumi, modo & vitam tuam corrigas, & veram peccatorum pœnitentiam agas: ſin minus, in illorum eris numero; qui laudantur, ſed mercede carent. O bone Jeſu animæ meæ ſolatium, te humiliter ex cordis imo affectu deprecor, ne me aſcribas his, qui pectora ſua tantum percutiunt, ſed iis qui de peccatis ſuis dolent. Dixiſti enim per Prophetam tibi non pectus percuſſũ, ſed cor humiliatum & contritum eſſe gratum. Ne permittas mi Ieſu, ne permittas me cum Hebræis domum reverti, ſed afflictiſſimæ matri tuæ uſque dum ſepulchro imponaris, adhærere, Quotquot enim te tumulo impoſuerũt, poſt reſurrectionem tuam à te conſolari meruerunt. Ne permittas me inter eos numerari, qui ſolum eo, quod rupes ſcindi viderent, ſe convertebant, ſed ut illis annumerer, qui per & propter opera, doctrinamque tuam ſanctam ſe convertunt. Certiſſimum enim eſt, collegio tuo non eum, qui timorem, ſed qui amorem adfert, inſcribi. Quis in domum tuam me ducet? Quis mihi oſtium aperiet. Quis fores pulſare tuas audebit, niſi benedictus tuus amor meus ſit ductor? O bone Ieſu, parum eſt pectus percutere, cum tu latus tuum non ſolum vulnerari, ſed adeo patefieri permiſeris! Da ergo mihi, ô Domine Ieſu, da mihi benedictam tuam gratiam, ut deſideriorum meorum pectus tecum aperiam: non illud cum Hebraico populo percutiam duntaxat, qui permiſſa contuſaque pectora livorem induunt & putreſcunt; ſed hiantia & aperta curari poſſunt. Nec eſt in mundo qui magis hac curatione indigeat, quam mea peccatrix anima.

Pulchra oratio, pro contritione.

EPITA-

EPITAPHIUM AUCTORIS,
quod ſibi ipſi conſcripſit vivens. Obiit autem Anno M. D. XLIV. decimo menſis Aprilis ipſo Cœnæ Domini die: Vagliadoli in Monaſterio S. Franciſci.

CAROLO V. Hiſpaniarum Rege Imperante.
Illuſtris D. Dominus Frater Antonius de Guevara.
Fide Chriſtianus.
Natione Hiſpanus.
Patria Alavenſis.
Genere de Guevara.
Religione S. Franciſci.
Habitu hujus Conventus.
Profeſſione Theologus.
Officio Prædicator & Chroniſta Cæſaris.
Dignitate Epiſcopus Mondonienſis.
Fecit Anno Domini M. D. XLII.
Poſui finem curis. Spes & Fortuna valete.

Orate Deum pro anima hujus Epiſcopi.

D. ANTONII.

D. ANTONII
DE GUEVARA
De
Moleſtiis Aulæ, & ruſticæ privatæque vitæ laudibus,
LIBER ELEGANTISSIMUS.

Digitized by Google

SYNOPSIS CAPITUM.

CAPUT I.

AVlicum non niſi de ſemetipſo queri poſſe.

Cap. II. *Neminem cuiquam, ut in aulam ingrediatur, neque quenquam cuiquam, ut ex aula, ſi jam nunc in illa verſetur, egrediatur, ſed ut id quilibet vitæ genus, quod præ ceteris amat, eligere ſtudeat conſulere debere.*

Cap. III. *Aulicum aulam propter id, quod ibi non bene ſit acceptus, minime, ſed quod egreſſus ex eadem, virtuti ſtudere cupiat, maxime derelinquere debere.*

Cap. IV. *De Vita quam is, qui rurſus ex aula diſceſſerit, agere debeat.*

Cap. V. *Ruſticam vitam præ aulica tranquilliorē, privilegiatamque magis eſſe.*

Cap. VI. *Dies ruri longiores, aerem meliorem, domos denique commodiores quam in aula videri.*

Cap. VII. *Villicos aulicis plerumque feliciores eſſe.*

Cap. VIII. *In aulis principum ſancte loqui, ſed profane vivere, moris eſſe*

Cap. IX. *Eorum qui meliores in aula reddantur numerum eſſe per exiguū: qui vero deteriores evadant, prorſus eſſe infinitos.*

Cap. X. *Neminem in aula poſſe vivere, quin vel per ſemetipſum, vel alium quempiam perturbetur.*

Cap. XI. *Frugales in aula laudari, diſſolutos autem reprobari ſolere.*

Cap. XII. *Omnes in aulis principum, quod facere quid velint, nullos autem quod faciant, affirmare ſolere.*

Cap. XIII. *Numerum bonorum in aula parvum, in rebus publicis eſſe maiorem.*

Cap. XIV. *Aulæ complures eſſe moleſtias pluresque bonos villicos quam aulicos reperiri.*

Cap. XV. *Inter aulicos nec amicitiam nec fidelitatem ſervari, aulam moleſtia, invidia, ſimultateque plenam eſſe.*

Cap. XVI. *Reſpublicæ aulæque veteres quanto recentioribus fuerint correctiores.*

Cap. XVII. *Multos illuſtres viros aulas aliaſque magnas civitates reliquiſſe: domumque ſuam non tam neceſſitate, quam voluntate revertiſſe.*

Cap. XVIII. *Auctor non ſine magnis rationibus, de annis, quos in aula perdiderit hic conqueritur.*

Cap. XIX. *Quibus virtutibus auctor in aula fuerit exutus, & in quibus in contrariam partem malis moribus ibidem ſit imbutus exponit.*

Cap. XX. *Auctor ſumma quadam eloquentia mundo valedicit.*

Aulicum non niſi de ſemetipſo queri poſſe.

CAP. I.

POſteaquam Philippus ille Macedonum Princeps Illuſtriſſimus devicisſet Athenienſes, accidit quodam veſpere dum cœnaret, ut quæſtio inter ipſū & præſentes Philoſophos, qui ipſi aderant, moveretur, quà nimirum, quænam res in mundo omnium maxima videretur eſſe, inquirebatur. Unus igitur horum Philoſophorũ dicebat, quod aqua in mundo omnium maximum ſibi videretur eſſe, câ de cauſa quod unius aquæ plus quam reliquarum rerum omnium conjunctarum deprehenderetur: Alius autem id ſolem eſſe confirmabat, quod is ſua luce cœlum, aërem, terram & aquâ præterea ſufficiẽter illuſtraret: Alius de monte idem Olympo aſſeverabat, quod iſtius montis altitudo ſupra nubes ipſas emineret: Alius de celeberrimo Gigante Atlante prædicari poſſe putabat, ſuper cujus Sepulchro terribilis ille mons Acma fundatus eſſet. Alius de maximo Poeta Homero dicì poſſe exiſtimabat, quod is, dum viveret, adeo celebris extiterit, & poſt mortem tantoperè deſideratus fuerit, ut ſeptem magnę civitates inter ſe longe tempore bellum gerentes; aliæ aliis oſſa

oſſa ejus pro ſacris reliquis colenda extorquere contenderint. Poſtremus autem & omnium iſtorum Philoſophorum ſapientiſſimus ajebat: Nihil aliud in humanis rebus eſt magnum niſi animus magna deſpiciens. Quo ſignificare voluit præter animum magna contemnentem nihil in univerſo mundo magnum dici poſſe. O ſententiam longe multoque præclariſſimam! Hac nimirum ſapientiſſimus ille nos docere voluit, quod quando de divitiis & mundanis honoribus dubitatum, is qui ea omnia magno animo contemnere poteſt, laudabilior ille ſit, qui ſibi comparare non veretur.

Tit. Livius quanquam laudare voluit bonū illum conſulem Marcum Curium, minime tamen id ſatis aſſecutus eſſe videtur. Ad illius enim ædes poſteaquam Samnitum Legati veniſſent, ut certam quandam terram, quam ipſis eripuerat, ab eo recuperaret, cumque in finem plurimum & auri & argenti offerrent, is forte fortuna quaſdam herbas, mox deinde coquendas, emūdans, illis vos, inquit, Præfectis & Ductoribus, qui, ſi ipſi ſuum cibum coquunt, de exiſtimatione dignitateque ſuis detractum iri putant, non mi offerre debuiſſetis. Ego enim in id non incumbo, ut magnas acquiram divitias, ſed ut in eos, qui divitiarum Domini dicuntur, ipſe Dominium obtineam. Quid. Marcus hic Curius an non merebatur plus Laudis in eo, quod Samnitum pecuniam contempſit atque deſpexit, quam Conſul Lucullus qui Spartanos expilavit. Sapiens ille Crates, an non merebatur plus gloriæ, quod divitias in mare dejiceret, quam Rex Nabuchodonoſorus, qui furatus templi theſauros, eos inde ſecum aſportavit. Inſulis item Balearicis, nonne plus honoris tribuendum putas, quod aurum & argentum plane repudiarent, quam Græcis iſtis avaris qui fodinas Hiſpanorum vi diripiebant? Auguſtus Imperator ille bonus, annon excelſiore fuit animo præditus quod imperium contemneret, quam Julius Cæſar illius Avunculus qui illud occupabat.

Si quis grave quoddam negotium tractare velit, opus eſt prudentiâ & experientiâ ad inſtituendum, induſtriâ ad perſequendum; fortuna denique ad abſolvendum Sed ut, quando fuerit abſolutum, conſervetur, ingenti conatu, ut vero contemnatur animo magno peropus eſt: ideo quod quis facilius contemnit ea quæ videt oculis quam quæ jam plane in manibus habet. Notum eſt multos præclaros viros extitiſſe, qui tam proſpera fuerint uſi fortunâ, ut res humano captu majores non duntaxat aggreſſi, verum etiam conſecuti ſint: qui tamen animi defectu ſe poſtea, tametſi vellent, illis exonerare potuerint. Unde ſane perſpicitur, non quod animi magnitudo nō tā in eo ſpectetur ut quis id quod expetit conſequatur quam ut quod magis amat dedignari poſſit atque contemnere.

Apollonius ille Tytanæus annon contemnebat propriam ſuam Patriam Aſiamque peragrabat, ut in Indiam Hiarchi Philoſophi videndi cauſſa proficiſceretur. Ariſtoteles Alexādri familiaritatem deſpiciebat, ut ad Academiam ſuam Philoſophiæ docendæ cauſſa reverteretur. Nicodius Theſaurum, quem ipſi magnus ille Rex Cyrus impertiebatur, ut eum in militiam comidaretur, nihil faciebat. Philoſophus *Anatillus Athenienſium* Prinicipatum ter oblatum repudiabat, aſſerens malle ſe bonorum ſervum, quam malorum caſtigatorem eſſe. Cæcilius Metellus, ſtrenuus ille Romanorū dux! neque dictaturam neque Conſulatum, quæ illi offerebantur unquam volebat acceptare: quod in pace mandecare ſe velle diceret id, quod in bello magna cum difficultate lucratus eſſet. Imperator Diocletianus, velut inter omnes conſtat libera ſua voluntate motus, imperium deponebat: & id quidem non aliam ob cauſſam, niſi ut à Reipublicæ tumultu retractus, domi ſuæ requie perfrueretur.

Maxima quidem laude dignus eſt ille, qui tanta præditus eſt magnanimitate, ut Imperij quod habet regnive ſplēdorem poſſit contemneret ſed is qui ſemetipſum contemnit, nec animo ſuo morem ſemper gerit, is vero laude majori dignus eſt, ideo quod mortalium nemo ſit, qui, quod adhuc adipiſci cupit non majore animo proſequātur, quā quod nunc jā conſecutus eſt. *A*c cum minima opus cupiditate aut ambitione laborat, tum ſi decem dies pro eo quod habet, impendat, centum deinde conſumet, ut id quod non habet, habere vero deſiderat, aliquando tandem conſequatur, cum moleſtia ſuſcepta non rei cui debet, ſed ei ſolum, quæ deſideratur, ſoleat impendi. Quod peregrinamur quod noſmet ipſos excruciamus, quod ſomnum ſæpe interrumpimus, id nulla fit neceſſitate, niſi ut cupiditatibus ſatisfaciamus. Quid, quod

eo quod poſſumus ſæpe numero non contenti, poſſe quoque nitimur id quod expetimus?

O quam multos in aulis Principum vidimus quibus profectò quam plurimum conduxiſſet voluntatis ſuæ deſideriiſque & hujus quidem vel inprimis compotes non extitiſſe. Ejuſdem namque participes effecti, id facientes quod poterant quodque cupiebant id, quod non debebant, facere non dubitabant. Quod ſi neceſſe videtur eſſe, ut ab eo quem nos offendimus, offēſæ condonationem petamus, certe non alienũ fuerit, ſi unusquiſque prius à ſemetipſo quam ab alio eam impetrare contendat, ea de cauſſa quod mortalium nemo tantis, quamdiu vixi me malis afflixerit, quantorum mihimetipſe autor fui. Quis me quæſo præter meam ſolius præſumptionem & inſaniam ſuperbire facit. Quis meum cor triſte invidiæ vinculis conſtringere auſit, ſi naturæ defectus illud non facit. Quis in meis viſceribus ignem iracundiæ velut inflāmet præter meam ipſius Impotentiam longe maximam? Quænam ſit cauſa, quod in manducando tam vehementer enormis ſum, ſi non ſit illa quod ego me delicate nutrivi, gulamque ſectatus uſque fui? Quidnam cauſæ, quod ego pauperibus in neceſſitate conſtitutis de meis facultatibus nihil impertivi, ſi non eſt immoderatus ille amor quo proſequor argentum meũ.

Quid carni meæ contra ſancta deſideria tollendi ſeſe licentiam concedit, niſi cor meum placito deditum voluptuoſo? omnia generis iſtius damna manifeſtaque delicta, cuinam imputas, ô anime mi, niſi proprio meo ſenſui carnali? Ut magna prorſus eſt inſania, furem, qui intra domum deliteſcit, extra eandem inveſtigare: ſic in nobis etiam manifeſtum eſt deficientis experientiæ ſignum, quando nos in culpa eſſe videntes, iſtam tamen in alios derivare non erubeſcimus. Itaque pro certo tenere debemus, nos, de nobis conqueri, non ante ceſſaturos eſſe, quàm nos ipſos emendare inceperimus.

Quoties enim, quoties inquam virtus, quæ nos, ut boni efficiamur, invitat: & carnalis ſenſus, qui nos ut vani perverſique ſimus, incitat, in medio cordis noſtri confligunt? Unde judicium ſequitur obſcurum, ingenium perturbatum, cor alteratum & immutatum, poſtremo quoque noſmet ipſi tædio fatigati cruciamur.

Phillis amatrix illa Rhodopeja & Thracenſis, ſic ut Ovidius ille Poëta commemorat, ajebat:

Remigiumq; dedi, quo, me fugiturus, abires:
Heu patior telis vulnera facta meis.

Quaſi vellet affirmare: O Demophoon, ſi tempus ad amandum te, mihi non ſumpſiſſem, argentum deinde navesque ad expediendam profectionem tuam non ſuppeditàiſſem, tu quidem non temerè auſus fuiſſes abire, neque ego de tuo diſceſſu, me contriſtandi & plangendi, quod nimirum propriis meis armis inteſtina mea percuſſa fuerint, occaſionem nacta fuiſſem. Si verum credimus id eſſe, quod Joſephus, de Mariana, Homerus, de Helena: Plutarchus, de Cleopatra: Virgilius de Regina Didone: Theophraſtus de Polyxene: Xantippus de Camilla: Aſſenarius de Clodia dictum ſcriptumque reliquerunt: Omnes iſtæ matronæ, fœminæque Principes nunquam ſeſe tam malè per ſuos amatores deceptas intelligebant, quàm cum proprio ſuo conſilio temerè illis credidiſſent atque conſenſiſſent.

Si Suetonio, Xantippo, Plutarcho denique in eo, quod illi de Pompejo, Pyrrho, Hannibale, Conſule Mario, Cæſare Dictatore, Marco Antonio aliisque compluribus commemorant, fidem adhibere voluerimus, illos ſanè non tam fortunam, quod eã permittente ab aliis ſuperati fuiſſent, quàm ſemetipſos, quòd rebus ad ſuam voluntatem fluentibus, proprio conſilio nec non ingenio ſeſe rexiſſent, criminatos eſſe reperiemus. Illud quidem verum eſt, ſi de judicando aut conſulendo agitur, opinionem ac conſilium conſanguineorum & amicorum noſtrorum nos aliquoties extra cardines rationis ſic ejicere, ut nihil aliud moliamur, quàm ſtultum bonorum divitiarumque conſequendarum profectum. Tandem verò, quando noſtrum quiſpiam illorum admonitionibus perſuaſus, rem quandam ſingularis alicujus momenti gerendam ſuſcepit, ad quam conficiendam illorum requiratur auxilium, tunc illi ſeſe omnium poſtremos in auxilio ferendo demonſtrant. Unde fit, ut ſi quis quod incipit, hoc infectum relinquere velit, ſine dedecore damnoque ſuo facere non poſſit. Plurimi dicunt quod inimicos habeant, eoſdemque dinumerantes ſeſe in-

ter

Digitized by Google

ter eos non referunt, cum tamen, ſi ratio rectè ſubducatur, interim verum ſit, quod plerunque nemo majorem & infeſtiorem habeat inimicum atque ſemetipſum. Etenim omnium longè maximum, quod ego quidem video, periculum eſt inde, quod ſub progreſſus alicujus faciendi, & meimetipſius corrigendi prætextu, ipſe mihimet ipſi perditionis cauſa ſim.

Leonidas Philoſophus aliquando rogatus, cōſilium quod quis capere poſſet, omniū præſtantiſſimum, qualenam eſſet? Illud id eſſe reſpondit, quod quis ſuo proprio contempto, caperet ab alio. Iſtius rei hanc afferebat rationem, quod humanæ naturæ depravatio tanta ſit, ut unusquisque ſemetipſum quærat inprimis, cum tamen ſeſe reperire non poſſit: quod auxilio boni in alieno deliteſcētis deſtituatur. Inde conſequitur, ut potiori vitæ noſtræ tempore ipſa vita nos decipiat, mala videlicet exorta nos adoriātur; Cogitationes redarguant, amici deſerant; perſecutionibus expoſiti vexemur, & meris moleſtiis vita noſtra conſummata, ambitiones tādem nos ſepeliant.

Si nos cogitaremus quid ſimus, unde ſimus, quà denique de cauſa ſimus, inveniremus utiq; quod principium noſtri, ſit oblivio: medium, labor: finis autem dolor: illaque omnia conjuncta, non niſi manifeſtus error.

En tibi quam triſtis ſit, cum aliorum omnium, tū vero vel inprimis ipſiusmet aulici vita. Certe non minus illa periculoſa putari debet, quam via quædam lapidibus ad ceſpitandum referta: quam volutabrum ad polluendum: quam glacies ad cadendum: quam ſemitæ ad aberrandū, quam portus ad tranſeundum: quam fures qui metum incutiunt, En, inquam, vita, quæ tot ad expediendum habet negotia ut difficulter admodum quô vult aliquis, eo viſu ſaltem pertingat, tantum abeſt, ut quò cupit abire, eo perveniat. Hæc omnia ſunt à nobis eum in finem dicta, ut aulici perſpicerent, quod nec ego, nec ipſi, quod bonum ſit, eligere: quod malum ſit negligere: quod cum damno conjunctum ſit, evitare: quod conducat, conſervare: obſequi rationi, occaſionemve aucupari ſciamus: ſed, ſi quid boni nobis ex inſperato eveniat, id fortunæ acceptum referamus, ſiquid mali, omnem mox culpam in infortunium rejicere ſoleamus.

Neminem cuiquam ut in Aulam ingrediatur, neque quemquam cuiquam, ut ex Aula, ſi jam nunc in illa verſetur, egrediatur, ſed ut id quilibet vitæ genus, quod præ cæteris amat, eligere ſtudeat: conſulere debere.

CAP. II.

ARiſtarchus celebris ille Thebanorum Philoſophus; *Quid optes aut quid fugias, neſcis, ita ludit tempus*, ajebat. Quo ſignificare voluit, & tempus & hominū res adeo mutabiles eſſe, ut vel ſapientiſſimi quiq; quod ſibi bonum ſit, eligere, quod contra malum ſit, effugere neſciat. Hoc enim certo verius nihil eſſe poteſt: cum videamus quotidie, quod, dum hic convaleſcit, ille in morbum incidit: dum hic fortunatior eſt, ille miſerior evadit, dū hic per favorē recipitur, ille excluditur: poſtremò dum hic vivit plane contentus, ille euſque miſeriarum redigitur, ut de ipſo conclamatum videatur.

Cum doctus ille Vir Alchinus à Mecœnate ſuo Rege Demetrio, in quanam re omnium maximus in hoc mundo labor præcipue conſiſteret interrogaretur: nihil admodum eſſe quod angori ſuſpicionique in mūdo non ſit obnoxium: inprimis vero moleſtiam in mundo omnium maximam, immoderatiſſimumque laborem, cui exantlando mortales ſubiecti ſunt, eſſe, cōtentum eſſe rebus præſentibus non eſſe poſſe reſpondit. Ac id eſſe verum patet inde, quod ſi ullâ aliquâ re poſſemus eſſe contenti, eam licèt omnium minima videretur, paradiſum quaſi noſtrum putaremus eſſe, ex eaque voluptatem omnem vitæque noſtræ requietem metiremur: id quod faciunt mortalium multo pauciſſimi. Viventes enim ſicut vivimus, nullo contenti: experiri quidem optaremus & ſcire, bonum ne ſit Regem aut Principem, equitem, maritum, religioſum, mercatorem, agricolam, paſtorem eſſe, noſtroque vitæ genere neglecto aliud quodcunque periclitari vellemus: cum omnibus interim bene ponderatis, vix aliquid inveniamus quod conſtanter amplectamur. Tum ſcilicet inconſtans eſt hominum levitas. Sapiens tamen in hujuſmodi rerum delectu, diligentia captâ, quantâ fieri poteſt, mediocritatem ſpectare debebit. Stultus aliquis animique vir abiecti

Digitized by Google

facilè contentus eſt re vel qualicunque; Magnanimus verò cogitat, quòd ſi vitæ genus humile comitem habeat moleſtam paupertatem, excelſum certè fortunâ quâdam periculoſa non careat.

Plato, cum adhuc adoleſceret, inſigniter & humanus & mundanus erat. Nec id mirum, quod plurima, tum foris in bellis, tum verò domi in Reipublicæ negotiis obeundis, tum denique mechanicis artibus exercendis apertus eſſet. Is die quodam rogatus, ubinam omnium maximum frugalitatem & vitæ tranquillitatem deprehendiſſet? nullus eſt, inquit, in mundo ſtatus, qui mutatione careat: nullus eſt honor qui periculum adjunctum non habeat: nullæ ſunt divitiæ; quæ ut labores moleſtiæque majores non ſuſpiciantur, efficiant: nulla eſt proſperitas quæ non finiatur tandem, nullæ deliciæ ſunt quæ non deficiant. Ut verbo dicam, ego nunquam tam bene contentus fui, quàm ab eo tempore, quo negotiis civilibus relictis, ad libros meos, veluti bonos vitæ meæ ſocios reverti. Quo ſignificare voluit, quòd nos, quamdiu mundo ſimus addicti, deſideremus omnia: probemus omnia, procuremus omnia: ſed omnibus bene viſis & quaſi deguſtatis, nos omnes omnium cauſa coquamus & maceremus. Maxima verò inſatiabilis deſiderii noſtri pars oritur inde, quod noſtrum multum, parum: ſed alienum parum nobis in contrariam partem videatur multum. Nos enim noſtram felicitatem, moleſtiam, alterius infortunium requietem nominamus. Nos rationem quam alii in ſuis rebus gerendis obſervant, approbamus, ſed noſtram condemnamus. Nos vigilamus aliquantulum ut rem quampiam inveniamus, ſed mox obdormimus, ut eandem rurſus amittamus. Nos nobis imaginamur, quod omnes alij vitam degant uſque quaque pacatam: nos vero ſolos fortunæ telis expoſitos eſſe: & quod adhuc pejus eſt, nos, quod ſaltem ſomniamus, id verum mox eſſe credimus; id verò quod vigilantes apertis oculis ſpectamus, fide dignum non arbitramur. Quam quis in vita viam ſequi, quodvè vitæ genus potius eligere debeat, nemo pro certo ſcire, ne dicam alii demonſtrare poteſt: ideò quod in hujusmodi delectu varietas adeò faſtidioſa quædam atque multiplex occurrat, ut is, qui delicato judicio prædìtus non eſt, in tali conſilio alii communicando ſæpiſſimè fuerit hallucinatus atque deceptus.

In Mari navigare velut eſt periculoſum: ſic & ſuper terrâ proficiſci, tædioſum. Ad ipſam vitam ſi quis oculos convertat, is, uno & eodem momento ſano corpore præditos, in morbos incidere, & ex his alios vitâ privari: alios lethali angore liberari, alios denique diu languere & conflictari comperiet. Si de profectione quæſtio ſit, deprehendetur, quòd is qui lento gradu incedit, ad hoſpitium tam citò perveniat, quàm is, qui dum nimium feſtinando ſeſe promovet, à viâ deflectit. Si de favore dubitetur, nos eum, qui vitam ſuam in otio ſummo traducit, favore commiſeratione que plus adjuvari comperiemus, quàm eum, qui, laboris continuati gratiâ ſudore plenus victum quæritat. Hinc itaque concludere licet, nihil in univerſo mundo tam certum eſſe, quàm omnia incerta eſſe.

Nos igitur id quod hactenus expoſitum fuit, ad propoſitum noſtrum accommodantes, aſſerimus: quod alicui conſulere, ut matrimonium contrahat, vel literarum ſtudio ſeſe dedat, vel in militiam abeat, vel ad aliud qualecunq; vitæ genus animum adjungat: Res plane temeraria ſit; præſertim cùm nemo ſequi debeat id, quod alterius conſilio ſequi juſſus eſt: ſed id tantummodò, ad quod à naturâ propenſum ſe videt eſſe maximè.

Plutarchus in ſuis de Republica libris, bonum illum Philoſophum Platonem valdè laudat, & id quidem non ſine gravi cauſa. In Academia namque ſua rectè beneque conſtituenda (ſicuti jam conſequetur) magnâ virtute-batur prudentia: ideò quod in illam nulli adoleſcentiori, quin prius exploratus & examinatus, animum à literis non alienum habere deprehenderetur, ingredi liceret. Hinc, quos ad literas excolendas minùs idoneos eſſe perſpiciebat, eos ut in Republica negociatores eſſent, rurſus à ſe remittebat.

Alcibiades ille Græcus, ejus rei, quam diſputamus, teſtis locupletiſſimus eſſe poteſt: qui, cum valdè juvenis, ad doctiſſimi cuiusdam Magiſtri ludum literarium fuiſſet adductus, naturæ tamen aliquo raptu armis fuit adeò deditus, ut prætereanihil omnino ſtuderet. Eum qui natus eſt ad id, ut gladium lateri gerat accommodatum, ſtola de collo dependens malè decet.

Ei qui

Digitized by Google

Ei qui nubere cupit, velum portare, onus eſt graviſſimum. Cur, quæſo, cum velit aliquis, qui barbitonſor eſſe cupit, artem pingēdi profiteri? ſi quis amico ſuo ſit autor, ut certum quoddam vitæ genus eligat, artificiumque diſcat, bene facit ille quidem: ſed alicui dicere qualenam ſine ulla exceptione debeat eligere, nullis id modis approbandum puto.

Lycurgus Lacedæmoniorum legiſlator, patribus (magnas illis qui contrarium facerent, pœnas comminatus) præcipiebat: ut ne liberos ſuos ulli in ulla diſciplina formandos ante committerent, quam annos quatuordecim plenos exegiſſēt: ut ex ætate nimirum de indole judicium fieri & quo ipſi ſua ſponte magis inclinarēt, explorari poſſet. At vero hujus generis anfractus miſſos facientes, id quod potiſſimum Lectori conſulendum videatur, exponamus age.

Conſulere cuiquam, ut aula relicta ſe conferat in villam: vel ut villam relicta, aulicam cōtra vitam amplectatur, per conſcientiam meam mihi non licere video. Quod ut eſt ita: ſic alterius ſapientia tanti cuiquam non erit, ut eam in conſtituendo vitæ genere ſecutus, id quod minus utile ſit, eligat. Ubi ſimul & hoc expendendū, quod magna ſit inter id, quod aliquis amico ſuo conſulat & id, quod ille facere debeat, differētia. ſed ut ego, quid hac de re mihi videatur, in mediū proferam: ſapiētem, diſputationibus omnibus omiſſis, tale vitæ genus, & tali quidem in loco eligere oportere cenſeo, ubi ſe honeſte ſuſtentare, vitam ſine exprobrationibus agere: ſecure denique ex eadem commigrare poſſit. Sæpenumerò fieri ſolet, ut aliquis ex una provincia in aliam: ex una civitate in aliam: ex una platea in aliam: ex una domo item in aliam ſeſe conferat, unique ſocietati valedicto, cum alterâ quadam communionem contrahat: qui tandē aliquando nihil aliud ſibi ſuperare perſpiciat, niſi quod, ubi cum magnâ moleſtia vixerit in harum aliqua, de alia multo vehementius conqueratur. Ratio rei talis eſt hæc, quod ille moleſtiarum harum culpam in Provincia aut loci qualitatem transferat: cum tamen ea tota in ipſiusmet hominis mala natura ſita ſit.

Quid ergo præterea dicemus? niſi qui in aulis, in Civitatibus, in villis & aliis in locis omnibus, eum, qui virtutibus operam det, emendatum & ſapientem, in contrariam vero partem, eum qui ſeſe vitiis oblectet, diſſolutum & eventilatum velut eſſe videamus? Ut enim vitium nec non ipſe vitioſus in pejus: ita virtus virtutisque ſtudioſus, omnē in melius degenerādi venatur occaſionem, qualemcunque tandem vitæ genus id quod profitetur, exiſtat. Ut hoc ſic eſſe pareat, proponamus nobis Eccleſiaſticum aliquem. Quemadmodum nullum prorſus eſt in Eccleſia munus, quantumvis periculoſum, quin eodem fungendo quiſpiam ſervare ſe queat: Sic nullum officium tam leve putandum, quin aliquis id adminiſtrādo, æternæ damnationi ſe quaſi propinare poſſit. Id quod ſylveſtris roſæ comparatione deinceps illuſtrari commodiſſimè poteſt. Ex eâ enim apes ſuum mel, aranea ſuum fel ſugit atque venenum.

Dicamus verbo, quod res eſt. Bona voluntas bonum vitæ genus efficit: ſic tamen, ut ea voluntas ab homine, non homo ipſe colatur & honoretur. Princeps aliquis id quod facere tenetur facile quidem fecerit, ſi juſtitiam exerceat, & ab omni tyrannide manus abſtineat. Miles ſi profectus in militiam, promiſcuam multitudinem ſupplantando non obruat, religioſus, ſi in periſtylio ſuo ſpectando non murmuret. maritatus ſi familiam ſuam ab adulterio abhorrēs ſuſtentet: dives ſi de facultatibus opibuſque ſuis in honorem Dei gratis & uſuras inde nullas expectans, egenis aliquid communicet: agricola ſi laboret: paſtor ſi greges ſuos paſcendo, vicinos ſitos nullo damno gravet, excuſatus erit. De reliquis hominum generibus idem judicium eſt.

Ut id ſic eſſe planum fiat, probemus age ſcriptura. In ſtatu Regio Davides erat bonus. Saulus vero malus. In ſtatu ſacerdotali Mathathias erat bonus. Ohnias malus. In ſtatu Prophetico Daniel bonus, Balaamus verò malus, in Paſtoribus Abelus erat bonus, Abimelechus vero malus & improbus. In viduis Juditha erat bona, Jezabelis vero mala. In opulētis, Jobus erat bonus, Nabalus vero malus & improbus. Quin in ipſis Apoſtolis ſanctus Petrus erat bonus, Judas vero malus & reprobus.

En tibi quomodo vitæ genus, quod eligit atque ſuſcipit aliquis, cauſa non ſit, ob quam vel probus vel improbus evadat; idque totum in bono malove genio conſiſtat, ſi nos alicui fortaſſe conſulere velimus, ut ruri vivat dicet, ille cum ruſticis converſari ſeſe non poſſe. Si eidem autores ſimus ut aulam deſerat: dicet ille negocia ſibi vel mille quæ gerat in aula, ſuppetere.

ſi ei-

Digitized by Google

que capitones & feroces in eo quod ſuſcipiunt, neque in eo quod agunt, inconſtantes eſſe deprehendantur. Nam ſi quis in ſermone ſuo mendacij, & in eo quod exorſus eſt, inconſtantiæ coargui poſſit, ille ſibi maculam longè omnium fœdiſſimam aſperſiſſe cogitet. Magnus animus, onus id, quod imponere ſibi vult, diu quaſi metiri debet: poſtea verò, ſi juſtè cumque ratione fieri poſſit, multò citiùs eniori, quàm ſemel in humeros ſuſceptum deponere: ut ita demonſtret, quod in honeſtis negotiis animi viriles præcipuè ſeſe prodant.

Niſi res arduiſſima, viribusque longe major viſa fuiſſet: Hectorem ab Achille trucidari: ab Ageſilao Branten: ab Alexandro Darium: à Cæſare Pompejum: ab Auguſto Marcum Antonium: à Sylla Mithidraten: à Scipione Hannibalem, à bonoque viro Trajano Daccbalum ſuperàri: nunquam prorſus illuſtres illi viri tantam famam conſecuti fuiſſent, quantam conſecuti ſunt. Bonum itaque conſilium cum magno animo conjunctum, cogitationes de rebus arduis ſuſceptas moderari debet.

Ut igitur ad rem veniamus: Aulicus ita ſe gerat ſanè nonnunquam, quaſi aulam velut execrabilem derelinquere, idoneamque ad vitam ibidem finiendam redire velit: aſſerens, quod in tali aulæ perturbatione vita ſua ſibi mors aliqua ſit continua. Eheu quàm multos hæc bella verba pronunciaſſe audivi! Qui tamen id quod ſeſe facturos eſſe dicerent, facerent omnium minimè: eoque uno ſeſe excuſarent, quod ad aulam, quâ veluti viſco capti detinebantur, prædeſtinati viderentur. Quamprimùm noſter aulicus argenti præterea nihil habet: vel à quopiam læſus eſt, vel in judicio cauſa cadit, novit Deus, quàm ſanctè promittat, omne miſſum ſeſe facturum, non ideò quidem, quod ipſum vitæ malè actæ pœniteat, ſed quod omnia ſua negocia præpoſterum ſortiantur effectum. Quod ita cum ſit, ſanctum tale propoſitum parum ſanè durat; quod id ei vis & coactio virtutis inimica, ægrè extorſerit. Iſtius rei mihi teſtis eſſe poteſt idem aulicus ille noſter, qui cum proſperâ rurſus utitur ad opes recolligendum fortunâ, Principique reconciliatus, apud eum rediit in gratiam: ita ſe gerit, ut ejus deſideria rurſum frigere, voluntatemque in Aulam denuò ſectandam tantopere videas propendere, ut eum duntaxat aulæ natum fuiſſe dicas. Quippe favor & avaritia ſic ducunt Aulicum, ut utraque hæc magis magisque augeantur: indeque fiat ut ad extremum pro Chriſtianis aulicos habeamus. Nam (quod inter omnes omninò conſtat) velut aula locus eſt ille, ubi quis ampliſſimas opes conſequatur, ſic eadem quoque locus eſt ubi quis æternum mereatur exitium.

Cauſæ propter quas aliquis, ut aulæ renunciet, commoveri ſoleat, jam ſunt à nobis expoſitæ. Illæ verò ſunt inopia pecuniæ, paupertas, excommunicatio, quando videlicet è gratia priſtina ſeſe quis excidiſſe, item honore privatum, vel ſenectute gravatum fuiſſe videt. Quæ quidem ſingulæ cum ſint tantummodo neceſſitatis, & ad liberam voluntatem referri nequaquam poſſint: verum eſt, illum, qui propter iſtas aulicæ vitæ rurſum valedicit, nullam plane laudem mereri.

Genuinus verò mundi nec non Aulæ contemptus eſt, quando juvenis, robuſtus, gratioſus, opulentus & ſanus aulicus, ſuæ bonæ voluntatis inſtinctu aulam deſerit, ut alibi ſecundùm perſonæ ſuæ conditionem, ocio deinceps honeſto perfruatur. Hæc eò ſpectant omnia, ut is qui Aulam derelinquit, alacriter eam derelinquat, neque id ſe feciſſe, ſibi poſtea dolere declaret: ut ne, cum jam dolere deſierit, in aulam dictam, ubi quod agat, habere poſſit, reverti pudore præpediatur. Homines elati, nec non immoderati, plurima ſæpiùs uno ſolùm die committunt, quæ digna ſunt, ut toto vitæ ſuæ curriculo deplorentur.

Ut hoc exemplis illuſtretur, cholericum quempiam capitonem nobis ob oculos conſtituamus: qui profectò ad aulam ſectandam nullis omninò modis idoneus eſſe poteſt. Nam ſi cunctas ignominias & injurias quibus afficiatur: ſi cunctas iſtas calliditates & fraudes, quibus ab aliis ex Aulæ conſuetudine circumveniatur, ulciſci velit: certo certoque ſibi perſuadeat, unius horulæ ſpatio ſeſe plus eſſe perpeſſurum, quàm vel decem integrorum annorum longitudine ſeſe vindicaturum ſperare debeat.

Quiſquis Aulam deſerit, rectiſſimè faciet ſi non ad tempus aliquod, ſed ad perpetuitatem deſeruerit: quod quicunque tædio villæ ſuæ gravatus ad aulam reverſus erit, æger exiſtimabitur: præſertim qui febri quadam conti

Digitized by Google

ſuorum manus, vitam cum morte commutarent: cujus rei princeps cauſa fuit, quod rebus vilibus abjectis, utiles ſemper elegiſſent. Quæ nobis ad inſtitutum noſtrum referentibus, par eſſe videtur, ut is qui aulam deſerit, non ſolum quid hoc ſit quod deſerit, verum etiam, quid illud quod rurſus amplectendum putaverit, examinet, cum tam difficile quin imo difficilius etjam ſit, cuiquam bene eſſe eum aulam deſeruerit, quàm illam ipſam deſerere. Quid utilitatis conſecuturum ſeſe putet is, qui rebus aulæ fatigatis ex ea diſcedit, ſi animus ejus in iſto ad quē ſeſe confert, loco non acquieſcat! Corpus noſtrum cibo refectum, quo volumus, eo vadit, animus vero nunquam deſinit aliquid expetere: velletque (ſi fieri poſſet) in aulis apud Principes eſſe gratioſus, & nihilominus in villa ſuis uti ſi uique placidis atque commodis. Quod ſi perturbationes atque commotiones iſtas, quas in aula comparavit, aulicus domum ſuam ſecum velit auſſerre, melius illi profecto ſit, ex aula pedem non extuliſſe, cum quod in ſolitudine rerum præteritarum recordatio, cum plus ac alibi ſit quaſi morſura, tum, quod ibidem vitam degens in ocio, recordationi tali minus opponere ſeſe poſſit.

In aulis Principum ſolet accidere nonnunquam ut & argenti penuria, & magna negocia quempiam à male faciendo deterreant: qui poſteaquam domum ſuam reverſus eſt, facta homine honeſto & urbano tam indigna patrat, ut emendationem, quin imo ſeveram caſtigationem mereantur. Eſt & aliud quoddam genus hominum, qui ideo ex aulâ decedunt, ut privatim otioſe, & ita vitioſe vivant; quos ego quidem ex hominum aliorum numero plane deleri vellem, idque non ſine ratione, cum ſic tempus ad delinquendum quærant opportunum.

Alij plerique ex aula exeunt ideo quod honor illorum, nec non exiſtimatio periclitari videatur, qui deinde ruri viventes, ipſum quoque pudorem una cum ratione amittunt. Has abſurditates, ſi forſitan aliquis aulam deſerens evitare vellet, expediret ei maxime, ut inimicitias quas in aula degens præcipuè ſectatus eſſet, eas una cum perturbationibus alijs omnibus oblivisceretur: alioquin aulicas iſtas, quas dereliquit, dulcitudines, potius amaritudines, cum dolore rurſus exoptaturus: idque vitæ genus quod ingreditur, miſere deploraturus.

Illud quidem verum eſt, quod aliquis in Aula verſans, plus condemnandi ſui, quam ſervādi, domi vero propriæ, plus ad ſalutem conſequendum quam ad interitum contrahendum habeat occaſionis: Interim tamen & hoc eſt fatendum, quod aulicus, qui regionem mutavit, ſi per eandem ſimul occaſionem animum quoque non mutaverit. Quando dicit aulicus: ego me rurſus in Patriam meam recipiam ut meæ domi moriar: bene quidem dicit: melius tamen eſſet, ſi eo tempore nullâ mortis oppetendæ facta determinatione in Patriam ſuam honeſte rediret. Hæc enim vita mortalis ita cuilibet propoſita eſt, ut eam nemo ægre proſequi debeat: ſed ad eandem quoque corrigendam quilibet eſt obligatus. Cum Jobus animam vitæ ſuæ tædere diceret, eo ſignificare certe non volebat, quod vitam moleſtam & acerbam ſibi putaret, niſi quatenus naturæ vitioſitate ſeſe non emendaret quiſquis aulam deſerit, optime quidem poteſt affirmare id ſeſe morbis obeundæ cauſa non facere, ſed cogitare debet, è pulchro quodam carcere, è vita quadam perturbata confuſaque, è converſatione ſuſpicionum plena, è ſepulchro ſplendido, ex quadam finis experte admiratione evadere atque à morbo periculoſo liberari.

Sapiens in aula ſingulis diebus ſe mori; At vero in agris domi ſuæ, ſe vita fui non abſurdè poteſt aſſeverare. Hujus aſſeverationis eſt ratio, quod nihil in univerſo mundo cum libertate, qua quis & quod vult, & quandocunque vult, agit, conferri poſſit. Quod tamen ſic accipi non velim, quaſi dicam, multos in aula verſantes ſatis officio ſuo non facere, ſed ideo dico, quod optime ſciam eos loco decem librarum honeſtæ voluntatis, vix unam dimidiam li ber bertatis obtinere duntaxat unciam.

Is præterea qui aulicus eſſe deſinit, de rebus futuris ſolicitus eſſe debebit: operamque daquit, ut omnia ſua negocia bene diſponat: id ſciens, quod diebus non admodum multis, quibus in Patriam ſuam revertatur, opus habeat: ſed ad pravos mores, quos in aula induit rurſus exuēdos, atq; deponendos, longiſſimū tempus requiratur. Ut enim homo paulatim nutrit vitia, ſic eadem pedetentim rurſus exturpare ipſum convenit. Aulicus igitur qui privatim vivere ſe velle conſtituit, illa deinde ſua vitia quæ

Digitized by Google

modeſtiam, ut dici verè poſſit, cum ex aula egreſſum, quo bonis placeret & probaretur, non autem dominaretur. Si quis eum forte ruri cõſulem creare velit, aut aliud ei publicum munus injungere, ego ipſi conſulo, ut ab eo ſibi veluti quadam peſte caveat: cum nihil omnino tam turbidum, nihil ad ſuſtinendum ferendumque tam durum ſit animo quam communis populi regendi Provincia. Non dico quod ipſe non poſſit aut non debeat villicos egenos vel ſua aulæ notitia, vel pecuniâ ſuâ gratiaque ſi opus habuerint, adjuvare. Quinimo ſi ſeditioſos eos eſſe viderit, placare: ſi inter ſeſe coram Judice contendere velle perſpexerit, reconciliare: ſi per alium modis indignis tractari cognoverit, ab eo vindicare debet. Hinc enim conſequetur, ut à communi Populo magni æſtimetur, & à ſapientibus etiam concelebretur.

Videat idem noſter Aulicus etiam atque etiã ne vel in veſtitu prodigus, vel in cibis delicatis, vinisque pretioſis, dum convivia parat, apponendis ſit ſuperfluus. Finis etiam propter quem quis aulum derelinquere debeat, eſt, ut in poſterum ſobriè, non delicate vivat, naturæque non autem voluptati ſatisfaciat. Nam ſi contrarium admittat, è villa aulam fecerit, cum ex aula villam facere debeat. Miſericordiam quoque debet habere ſibi longe commendatiſſimam, ſic, ut ægros & incarceratos inviſat, pauperibus ſuccurrat, orphanos denique conſolando reficiat, ſacram vero ſcripturam præcipua leget cum diligentia. Cogitabit etiam, ut quid de bonis ſuis fieri velit, dum adhuc bene valet, accuratè, diſponat. Quamprimum enim ex hâc vitâ diſceſſerit, ſatis multos inveniet, qui bonis ejus aufferendis ſeſe onerent, ſed neminem qui animum ipſius peccatis exoneret. Poſtremo conſulimus ei qui aulam deſeruit, ut ad aliam rem nullam magis incumbat, quam ut ſe ad bene beateque moriendum componat. Nec vero eſt, quod quis ea quæ modò dicta ſunt, facile quidẽ ſcribi ſed difficulter præſtari poſſe dicat. Namſi vires ut oportet ſane intendere vellemus, inveniremus nos multo plus poſſe facere, quam de nobis noſmetipſi cogitamus.

Ruſticam vitam præ aulica tranquilliorem privilegiatamque magis eſſe.

CAPUT V.

Ponamus verò quod villæ, de quâ verba facimus, atque dominiorum ad eandem pertinentium libera nec non allodialia bona ſint omnia, & ita nulli vel directo vel utili Domino (quod in his obedientiæ terris accidit) ſubjecta ſit: habet illa tantum privilegij, ut quivis in domo ſua, quam vel per ſucceſſionem vel emptionem quæſitam poſſidet, libere nullique ſervituti, qualis illa cunque nominari poſſit, obligatus vivat: id quod in aula, ſive qui illam ſectantur, ſeu qui in ea commorantur, ſpectes, ita non eſt. Oportet enim ut aulicus ille noſter hoſpitiorum præfectum ſibi devinciat, teſſeram habeat, eo quo vult, tarde veniat, hoſpitem ſuum offendat, portus effringat, muros demoliatur: pavimenta quoque domorum corrumpat, ignem vel è ſcobe faciat: hoſpitem quoque nõnunquam percutiat non ſolum, verum etiam uxorem ejus aliquando violet.

O ter & quater felicem, qui habet, unde ſeſe ruri ſuſtentare poteſt: Cui tot longinquas terras emetiri: tot hoſpitla commutare, tam diverſarum gentium conditiones & mores experiri, & ita quenquam offendere, neceſſe non eſt: ſed qui mediocribus ſuis contentus facultatibus, omnibus ejuſmodi moleſtiis exemptus eſt.

Aliud eſt villæ privilegium, quod homo nobilis aut civis, qui ruri rerum ſuarum ſedem collocavit, maximus, aut unus ſaltem ex iſtius villæ maximis eſſe poteſt ſive probitatem, ſive honores, ſive auctoritatem denique ſpectare velis: id quod in aula magniſque Civitatibus nemini contingit, ubi quamplurimos eſſe videas, qui illum, tum ſervorum multitudine, tum luxu, tum opibus, tum auctoritate, tum familiæ nobilitate ſuperent. Julius Cæſar, malle ſe primas in Villa, quam Romæ ſecundas obtinere, ſolebat affirmare. Illis profecto qui magnis ingeniis, fortunâ vero tenuiore præditi ſunt, in villa cum honore, quam in aula abiectè & ſine favore vitam trahere præſtaret. In celſo nempe & humili loco degere, diſcrepant in eo, quod is qui degit in humili, pauperes quorum miſeretur, ſibi multos obverſari videt; ſed is qui degit in illuſtri multos opulentos contempletur, ut ob invidiam macie contabeſcat.

Aliud eſt villæ privilegium, quod unusquiſque bonis iſtis, quæ Deus ei fuit elargitus, in pace fruitur. Nec enim in villici ædes extraordinariorum ſumptuum faciendorum, vel ejus uxoris filiarumve ſeducendarum cauſa quiſquam venit. Occaſiones malè faciendi ibidem velut emortuæ ceſſant. Villicus enim duntaxat in id incumbit, ut rem tractet familiarem, gubernet filiolas, filios ſuos informet, ſervos deinde caſtiget. Ille quietus vivit, nec ullâ gravatur importunitate. Vivit ipſi rationi non opinioni ſuæ conformis, vivit non aliter ac is, qui moriturum ſe ſperat, non is qui perpetuò victurum ſe putat. In villa tibi metuere neceſſe non eſt, ut bonum habeas hoſpitium, nô de equis mulisque ciſtarum bajulis tibi eſt proſpiciendum: tu præter hæc aſſeclarum clamores, architriclinorum conqueſtiones: coquorum garritus ibidem non attendes. Nec opus habebis ut metuas judicium, quaſi judices tibi futuri ſint æquo ſeveriores; & quod adhuc melius eſt, nullos offendes ibidem nebulones, qui te fallant, neque fœminas, quæ te velut in beſtiam quandam commutent.

Aliud eſt villæ privilegium, quod ibi quilibet ad res etiam quaslibet agendas ſufficiens tempus (ſi ſaltem prudenter id diſpertiatur) habere poteſt. Satis habet temporis, ut literis ſactisque vacet, ſatis ipſi eſt ocij ad amicos ſuos inviſendos, atque ſi venatione delectetur, ad venandum, ad naturam potu ciboque reficiendum: id quod in aulicorum manu non eſt: quod videlicet majorem temporis partem ad negociandum, & modo hunc modo illum honore & cultu proſequendum, vel (ut dicam verius) ad ſuſpirandum ſoleant impendere, ſicut verè de aulicis id affirmari poſſit, quod Auguſtus Imperator de celebri quodam Romanorum negociatore, quo mortuo demiror, inquit Auguſtus, cum tempus illum deficeret ad negotiandum, quo modo moriendi tempus reperire potuerit.

Aliud eſt villæ privilegium, quod villici per totam villam deambulare poſſint incomitati, ſicut illis interim nullus objiciat, quod gravitatem modeſtiamque non obſervarint. Domino nullo ſtragulo, nullo ſervo: nec dominæ gynecæo opus eſt, ſed (quod quidem valde ridiculum foret in aula) unusquisque ſolus & ſine periculo, ex una vicinia in aliam, ex una hæreditate in aliam, animi cauſa ſeſe confert, ſic ut nemini de honore ſuo detrahatur.

Aliud eſt villæ privilegium, quod unusquiſque villicus & quomodocunque & quocunque illi videbitur, abire poteſt, idque corpus ſuum quopiam ſago vel thorace veſtiendo, manum, ſecuriculam, vel gladium humeris utrem bombardamque gerendo. Si caligæ laciniatæ moleſtent, perones geſtat: ſi frigus eum gravet, pelliculatam veſtem portat: unum & idem ei ſunt omnia. Quippe vir nobilis ruri vivens, ſi palliolum tunicamve è panno, calceos è corio confectos habeat, non minus ornatè vadit ad Eccleſiam, quam magnus aliquis Aulæ Dominus Mardræ pellibus indutus. Villicus qualiscunque demum ſit, cum nutriendæ familiæ neceſſaria procurare vult, tam fortunatus eſt emporium forumve equâ nondum domita parvoque equulo frequentans, quam magnus Aulæ Dominus, qui in ſtadio decurrere volens, equo inſidet curſorio, bene ornato, pannisque deauratis obvelato. Summa pauperi ſecundum quod decet, viventi, melius eſt aſino inſidere, quam diviti virum bonum ſpolianti, equo generoſo obequitare.

Dies ruri longiores, aerem meliorem, domos deniq; commodiores quàm in aula videri.

CAP. VI.

PErſequenti mihi villæ privilegia hoc tacitè prætereundum non eſt: quod is qui inibi vivit, inter alias commoditates bonum frumentũ poteſt habere & ita bonum panem qui nimirum bene ſit piſtus. In aula vero contrarium fieri conſuevit: cum panis inibi ut plurimũ ſit malè coctus, aliovè neſcio quomodo perpetam conditus. Cauſa rei talis efficiens eſt, quod in Aulis civitatibusque aut frumenta viciosa ſint, aut molendina mala, aut aquæ ipſæ nihil valeant: propter quas quidem cauſas multos lethales morbos aliàs graſſatos fuiſſe conſtat.

Aliud, quod equidem mirum in modum laudo, eſt villæ privilegium, quod quis in illa ſeſe plus exercere, tempusq; melius collocare poteſt, ac in aula magnisve civitatibus: ubi diſſimulatæ, parum ſermocinari, callidum, vindictæ cupidum, deambulonem, gravitatis obſervatorem

rem

rem eſſe, parum è domo ſua exſpaciari, ſemperque projicere *ampullas & ſeſquipedalia verba*, oportet.

O Semi-Deum certè qui ruri commoratur, ubi liberè, quod quis vult loquitur: ubi quis quotidie cum vicinis ſuis ante portam in platea vel per ipſam quoque feneſtram confabularur: & id ita quidem, ut de auctoritate mediocri nihil amittat.

Aliud eſt villæ privilegium, quod ij qui inibi commorantur, modis infinitis ſaniores, & minus ægri ſunt aulicis & urbanis: ideò, quòd in urbibus iſtis magnis domus ſunt altæ, plateæ ſunt anguſtæ & lutoſæ, & ita cauſæ ut aër in illis corrumpatur, qui corruptus, morborum deinceps humanorum quaſi quædam procreatrix eſſe ſolet. Ruri verò domus amplæ ſunt magis, homines ipſi diſpoſiti melius, aër eſt præſtantior, Sol eſt clarior, terra magis eſt deſiccata, privata, communiaque bona ſine contentione prætereà reguntur & adminiſtrantur, exercitia magis continuantur, ſocietas hominum inter ipſos eſt ſecurior, & inprimis cogitationum moleſtarum ruri minus eſt, at recreationum longè plus.

Aliud adhuc eſt villæ privilegium, quod velut in agris nulli Medici juvenes, ita morbi nulli veteres inveniantur. At in iſtâ aulâ, ſi quis Aulicus ſua bona quatuor in partes diſtribuat, prima pars adulatoribus, ſecunda Advocatis, tertia Pharmacopolis, quarta Medicorum gregi cedit.

O villam fortunatiſſimam, cùm, quid venerea lues ſit, illic omnino neſciatur. Cancer verò quid ſit, multò minus intelligatur. Nunquam ruri de paralyſi narratum fuit. Ubi podagra ſimiliter hæreditaria non eſt. Nunquam ſcivit aliquis in villa, quid ſit julebus, quid bolus, quid ſirupus, quid apozema. Nullus ibi premitur angore & ſollicitudine niſi perraro. Quid jam præterea dicam? Niſi quòd in villa nemo fere ſciturus eſſet, quid mortalium ſit, quid lapides niſi mapaliorum erigendorum gratia talibus indigerent, cùm tamen nihilominus iſti villici caſulis è ligno bene compactis plerumque contenti.

Aliud eſt privilegium, quod dies ruri videantur eſſe longiores, & quod eos aliquis ibidem melius impendat, quàm vel in aula vel magnis urbibus, ubi & anni ſic elabuntur, ut nemo ſentiat, & dies ita prætereunt, ut inde voluptatem nemo percipiat. Jam verò, tametſi ruri recreationes majores ſint quàm in civitatibus, verum eſt tamen, quod ruri dies unicus longius durare ſoleat, quàm menſis integer in Aula: qua de cauſâ villa beata prædicare poteſt, ubi ſol longiorē orbem conficere videatur. Matutinum tempus ad exeundum expeditum & promptum eſt, ſerotinum verò in redeundo moratur. In aula vix diem effluere quis ſentit; id ruri ſi perſpicitur, dies occupationibus ibidem frequentioribus impeditur.

Aliud eſt villæ privilegium, quod in illa lignum, fœnum, paleę, avena longe minoris emātur quàm in urbibus.

Ruri præterea cibum capit aliquis, ubi, quando, cum quo denique vult: ſed in aula tardè manducatur, cibus malè apparatus, frigidus, & ſaporis expers eſt: quodque pejus eſt, cum ſuis hoſtibus eſt cuique potiſſimè comedendum: cùm bonus interim villicus è voto ſuo, extraq; omnem vivens ſuſpicionem haſce tres conditiones quidem laudabiles, quæq; circa paſtum corporis conſiderandæ ſunt, obſervat, ut nempe cibum paret, paratū quæſitumq; manducet alacriter & ut hoc ipſum in bono fiat ſodalitio.

Aliud eſt villæ privilegium, quod villicis, quo occupari nec non recreari poſſint, aliquid uſque ſuppetit: quod ipſum de aulico vel cive dici perinde non poteſt: qui profectò inimicos à quibus ſibi metuant, habent ſatis multos, amicos verò, quibuſcū converſentur, valde paucos.

O villam recreatricem, ubi quis reti vel hamo vel calce piſcari, feras canibus, funibus, arcu, bōbarda inſectari, palumbos, anates, perdices jaculari: in vineis laborantes contemplari: foſſas attollere: ſepes reficere: cum veteribus agricolis jocari poteſt. Omnibus his ipſis commoditatibus villici perfruuntur, cum aulici nec non urbani eaſdem fruſtra deſiderare cogantur.

Villicos aulicis plerunque feliciores eſſe.

CAP. VII.

Aliud eſt villæ privilegium, quod inibi laborum moleſtiarumq; minùs aliquis experiatur, feſtiſque diebus ſeſe plus exhilaret, quàm fieri ſolet in aula: ubi propter magnam negotiorum deceptionumq; confuſionem, feſtusne dies aliquis ſit an vero profeſtus, nunquam ſciri poteſt.

In villa, nihil juſtè fit ejus generis, ubi die feſto templi præfectus campanas pulſare, fanum emun-

Digitized by Google

emundare, altaria exornare non ceſſat: ubi populus ipſe ornatus eſt, panis conſecratus donatur, dies feſti obſervandi ſignificantur, ſacerdos Evangelium proponit, eque bonorum communione malos ejicit, ubi poſt meridiem ſe quisque vel mille luſibus honeſtis exhilarat. In urbibus autem diem quempiam eſſe feſtum, inde ſolùm perſpicitur, quando mulieres ſeſe fucant, quando quisque in diem usque dormit, quando quisq; poſt meridiem ludit, &, ut ſummatim dicam, quando dies totus voluptatibus exigitur.

Aliud eſt villæ privilegium, quod villici venationibus vacare poſſunt, id quod Aulicis atque civibus ita conceſſum non eſt. Nam dum aulicus carnibus veſcitur venatoriis, propter longitudinem temporis, quo ſunt aſſervatæ, jam plane corruptis, interim villicus ille nihil, niſi recens, ſanum, tenerumque manducat. Ita pro temporis diverſitate, quandoq; columbos domeſticos, turtures, perdices, pullaſtros, quandoque palumbos, erucas, phaſianos, capones opimos, cuniculos, lepores, aliasque beſtiolas ejusdem generis innumeras ille comedit. Habet idem quoque villicus oves ad ſe veſtiendum, verveces atque capreolos ad comedendum, boves ad arandum: vaccas ad caleos premendum: porcos ad ſaliendum: jumenta ad nutriendum: equos ad operas ſuas exequendum, vel etiam ſi neceſſe ſit, ad divendendum.

Aliud eſt villæ privilegium, quod inibi vir bonus, honore, quo vir bonus affici debet, honoratur: improbus verò contra pro improbo reputatur: id quod in aula fieri non aſſolet: ſibi nullus honoratur ob id quod valet, at ob id ſolum quod habet. Quantis honoribus ruri vir probus, de ſapiente ſuo conſilio, quod ei naturæ bonitas impertivit exornatur, quantæ illi gratiæ aguntur? quot deinde munera ſimiliter offeruntur? ſi quis agricolarum bonum quendam fructum invenit in horto ſuo, quales ſunt melones, pyra, vinum apianum, illi tanquam de ſe bene merito muneratur.

Aliud eſt villæ privilegium, quod unusquisque filias ſuas ſuis equalibus & vicinis in marrimonium dare, indeque ex die in diem gaudium ſervitiumque ſperare poteſt: id quod Aulici facere nequaquam poſſunt. Iſti enim filias ſuas cum illis, qui loci longiſſimo diſſiti ſunt intervallo, conjungunt, & ſic eas abſentes ſæpius deſiderare quàm ſpectare coguntur. O felicem villicum, qui ipſis præ foribus filiabus ſponſos, filiis verò ſuis ſponſas facilimè poteſt invenire. Ipſe eos maritans in vicinia, ſuos generos, ſuos nepotes, ſuamque totam contemplari poteſt poſteritatem. Ipſe amatur, ipſi in ſuis negotiis auxilium præſtatur, ipſi decumbenti miniſtratur: quæ quidem ſingula ſolatia certè ſunt ſenectutis ſuæ multo maxima.

Aliud eſt villæ privilegium, quod homines inibi neque nimium ſolitarij ſunt, neque per nimias importunasque interpellationes offenduntur: quâ commoditate aulici vel urbani minimè fruuntur, quod in aula civitatibusque nummi ſæpenumerò deficiant, negotia verò gravia indies proveniant & naſcantur. O villicum beatum, cui ut ad horam decimam, emendicandi conſilii cauſa palatium ingrediatur, ut apparitorem ſollicitet, ut præfectum conſilii comitetur, ut coram cauſidico ſeſe proſternat, ut adulatoribus, ut magiſtratui regive reverentiam exhibeat, neceſſe non eſt: ſed harum Idololatriarum contemplatione magnum capit ſolatium, & ſic ovium balatum, taurorum mugitum, equorum hinnitum, luſciniæ cantum, frequentiſſimos thraupidum modulos, ligurinorum garritum, canum curſum, vervecum ſaltum, capreolos in altum crura jactantes, pavones caudam rotantes, gallinas prætetea glocientes, gallos ſuas criſtas erigentes, aliasque vel mille beſtias inter ſe laſcivientes audire videreque, in deliciis habet quotidianis.

Aliud eſt villæ privilegium, quod inibi quisque majorem virtutibus incumbendi, vitiaque fugiendi, quam vel in aula, vel in magnis Civitatibus habet occaſionem. Hujus ratio eſt, quod in magnis iſtis congreſſibus uſuvenire plerunque ſoleat, ut mille reperiantur qui à benefaciendo deterreant, ſed decies mille, qui contra ad turpiter agendum quoddam quaſi calcar addant.

Ruri deinceps ſeptimum quemque diem ſanctè quisque colit: Obſervat feſta, ſacris faciendis intereſt: audit concionem, ſalutemque ſuam per huiuſmodi media magnâ cum libertate procurat.

Villa deinceps alias ob cauſas laudabilis eſt, ut pote quod inibi non tam multæ quàm in civitatibus & aulis perdendi ſui mortalium cuiquam præbeantur occaſiones. In villa enim

nullo

nulli ſunt honorum gradus & ordines, propter quos alius in alium invidiam concipiat: nulli ſunt menſarii, per quos in occaſiones fœnerationis & uſurarum prolabaris: nullæ ſunt in villa culinæ publicæ, quæ catillonum turbam nobis proſeminent: nullæ dominæ quæ miniſtrari ſibi velint: nullæ querelæ ſeu rixæ, propter quas homines inter ſeſe digladientur: Gnathones aulici qui quid exigant, nulli, decurſoria propter quæ quis armetur, nulla: ludi publici, quibus alii alios conficiant, nulli: Judicia quæ metuat aliquis, nulla, nullæ (quod & omnium optimum eſt) cupiditates, quibus aliquis ſe totum terræ affigat, in villa ſunt.

Aliud eſt villæ privilegium quod quis in ea bona coacervare; ſumptibusque minoribus atque ſit in aula, ſe ſuſtentare poteſt. Inter omnes enim conſtat, quàm varii ſumptus in aulâ vulgò ſoleant fieri, quamque vehementer hâc in parte modus omnis excedatur, idque maximè hoc tempore, quo aulici iſti apparatus adeò ſunt exquiſitè ſumptuoſi, ut acri quâdam reformatione prorſus indigere videantur. O villicum pacatum, qui nullis aulæis è Flandria, nullâ ſindone ex Hollandia advectis, nullis vaſis ex argento confectis: nullo lecto viatorio ſeu caſtrenſi, nullis veſtibus fimbriatis vel phrygiatis, nullo curru, nullis, nullis ad eoſdem regendos miniſtris, nulloque alio comitatu ſuperfluo opus habet: at harum rerum omnium loco, parvâ quadam beneque diſpoſitâ ſuppellectili, tabulâ videlicet rudiore, ſellis communibus, ſpondis omninò planis, vaſis ſtanneis, culcitra floccis tantùm referta, cortinis ex ſimplici panno confectis, duabus tunicis, æſtivali alterâ, alterâ hyemali, equo robuſto, bono tecto, uno ſervo, ancillâ item unâ bene contentus eſt. Quippe tam beatus & honoratus eſt vir nobilis, iſtiusmodi quadam mediocri ſupellectile in domo ſua ruri, quàm quidam dives aulæ Dominus cum ſuis magnis bonis mobilibus & ſuperbis utenſilibus eſſe poteſt.

In Aulis Principum ſanctè loqui, ſed profanè vivere moris eſſe.

CAP. VIII.

Quemadmodùm in Aula nulla rigidior Juſtitiæ viget adminiſtratio: nullus pater eſt, qui filium ſuum caſtiget: nullus amicus, qui amicum corrigat; nullus vicinus, qui vicinum diligat: nullus paſtor qui ſuas oves, ſicut in Evangelio præſcribitur, admoneat: Ita ille qui naturâ bonus eſt, ibidem magnam, ut malus fiat, habet libertatem. Si quis in aula adulterari velit, ille mox habet qui ſocium ſe præbeat: Si quis inimicitias exercere, mox inveniet, qui gladio manum admoveat. Si comeſſari quovis etiam momento comedones & bibones obvios offendet: ſi publicè mentiri, facilimè quoq; reperiet, qui ipſius comprobet mendacia: ſi furari, illi mox aliquas ſubtilitates, per quas voti ſui compos efficiatur, ſuggeret vel millenas: ſi tempus ludendo conterere, è veſtigio chartas & talos in promptu habebit: ſi pejerare denique, plurimi, qui mercedem polliceantur, erunt. Summatim in aula maleficiorum generis omnis committendorum viva proponuntur exempla. In aulâ enim diverſarum nationum homines vel ad negotiandum vel litigandum, vel famulandum, vel ſeſe ſaltem commonſtrandum & venditandum appellunt: qui quamprimum quomodocunque ſeſe innotuiſſe perſpiciunt, optimatium Miniſtros, Sodalitia, tympaniſtas, Muſicos, adulatores aulicos, & ex his illos præſertim, qui feſtivos ſeſe præſtant, ſectantur; tandemque pauperum nobilium perſonam repræſentantes, munera, ſtrenas & veſtimenta ſibi dari petunt. Illi verò (quod miſerum eſt) qui petentibus iſtis aliquid impertiuntur, hoc ideò faciunt, ut magnificentiores potius quàm beneficentiores eſſe videantur.

Jam fortuna in eo quod Aulicis pollicetur, & adhuc multò magis in eo quod donat, eſt inconſtans. Ea namque facit, ut unius horæ ſpacio ille cadat, hic verò ſurgat, ille naſcatur, hic moriatur: ignotus promoveatur, fidelis autem ſervus oblivione ſilentioque prætereatur, ille, qui venit, excludatur, qui

 verò

Digitized by Google

verò diſcedit recipiatur, ſtulti fide digni habeantur, ſapientes mendacii coarguantur: & ſic opinio quædam falſa pro ratione verâ ſuſcipiatur. Cum hæc aliaque generis ejusdem, quæ in Aulis Principum videntur, experientiaque percipiuntur, ita fiunt: unusquisque fortunam ad oſtium domûs ſuæ pulſandum venturam eſſe ſperat: cum major aulicorum pars interim citius è vitâ excedat, quam ulli fortunæ obviam detur: id quod vel illis ipſis etiam contingit, qui ſeſe in bona familia procreatos eſſe fingentes, in aula præ reliquis ſapere videri volunt, cùm nihilominus interim ſtultiſſimi, rerumque omnium usque eo ſunt ignari, ut eos aliquis ad ſtivam, quam lanceam aptiores eſſe, vere poſſit affirmare, eademque de cauſa tandem aliquando ad nullam rem aliam ſunt utiles, niſi ut irriſoribus ludus fiant.

In aula deinceps hoc eſt incommodum, quod perpetuæ ſint inter Principes ipſos inimicitiæ, inter familiares invidiæ, inter ſatellites autem contentiones, inter bilioſos rixæ. Atque ut hæc ita fiant magna inibi ſemper eſt hominum copia, qui ſeſe iis interponendo & immiſcendo quæſtum faciunt longè majorem, quàm bonus aliquis Theologus Scripturam Sacram exponendo.

In aula quidvis etiam permittitur, quidvis diſſimulatur, quidvis toleratur: quibuslibet ibi locus eſt, omnes labore macerantur: & omnis generis homines ibi vivunt. Jam igitur cum cujuscunque generis homines in aula reperiantur, qui fieri quaſi poſſit, ut inibi nemo mentiatur, nemo ludat, nemo deferat, hominumque ſceleratorum quaſi mundus aliquis infinitus non ſit?

In aula hominum corruptis moribus præditorum alii alios ſectantur. Seditioſus oſtendit aliquem facilime qui cum fuſtibus experiatur: Adulter, quâ cum ſcortetur: fur ſodalem ſui ſimilem & rei furtivæ occultatorem, ſophiſta diſputatorem: & denique hi omnes à quo circumveniantur inveniunt.

In aula rerum Sacrarum Studioſum ſe eſſe quisque jactat cogitationesque præ ſe fert heroicas. Ille dicit aulam ſe propediem derelicturum: hic amplius ſe non eſſe negociaturum: Tertius denique, ſe lites amicitiasque proſus è medio ſublaturum profitetur. Ac revera bona ſunt iſta verba: ſed interim animus in mundo poſſidendo cogitationem defigit.

In aula eunċti ſunt ignoti. Miles inibi vadit ſine armis: Prælatus ſine habitu: Sacerdos ſine Breviario: Monachus ſine venia: filia ſine matre: fœmina ſine marito: literatus ſine libris: fur ſine ſpeculatoribus: guloſus ab una menſa ad aliam vagabundus ex uno loco in alium: leno ab uno oſtio ad aliud & ab uno ſcorto ad aliud ſe proripit.

In aula præterea cuncti non ſecus ac Epiſcopi ad ſacram chriſmatis ſeu baptiſmatis accincti, nomina & vocabula rerum commutant.

In aula namque glorioſus honorabilis: prodigus: magnificus: ignavus, ſapiens, fortis, temerarius, ſtultus, hilaris: ſapiens, hypocrita, malitioſus, ſubtilis, obtrectator, eloquens, adulter, amator: avarus, temperans: is qui pauca loquitur, ineptus & ignarus appellatur.

Eorum qui meliores in aula reddantur, numerum eſſe perexiguum, qui verò deteriores evadant, prorſus eſſe infinitos.

CAP. IX.

Aulico ſapienti ſua ſane ſapientia parum profuerit in aula, niſi fortunâ propitiâ ſimul utatur. Ideò quod obſequia ibidem præſtita mox oblivione conſepeliantur: amici deficiant, invidorum numerus augeatur: vera nobilitas locum non habeat: ſcientia rerum ſit incognita: humilitas deſpecta: veritas occulta, conſilium præterea bonum non admittatur. Fodina verò omnium optima, alchymiaque ditiſſima, quam quis aulicus obtinere poſſit, eſt: ſi proſpero vento in puppe uti, iisque qui gratiâ valent apud Principes & ſummos viros familiaris eſſe queat: negociorumque ſuorum procurandorum curam gerat id temporis dum ipſi fortuna favet. Conditiones enim modique amicitiarum magnorum iſtorum Dominorum retinendarum ſubinde mutantur.

Ut id ſic eſſe demonſtretur, Platonem loqui, Ciceronem jurare non eſt opus: Cùm nemo non videat, quod ſapiens in ſtultum, affabilis in præſumptuoſum: ſobrius in carillonem: pacificus in ſeditioſum: devotus denique in Epicureum & Atheum degeneret. Ut in aula virtutem comparare magno conſtat: ita comparatam conſervare magno cum periculo conjunctum eſt. Ego quæro, an non humilitas periclitetur inter honores: patientia inter injurias: Abſtinentia inter epulas: Caſtitas inter tot Dominas: Requies inter negocia: Charitas inter malevolentiam, pax inter ſeditiones: ſilentium inter garrulos: ſanus ſenſus ſive ſapientia inter ſtultitiam.

In aula nullus eſt, qui ſorte ſua ſit contentus. Unus enim quiſque ſemper habet quod conqueratur. nunc quidem, quod à Principe non promoveatur, nunc quòd vel à Conſilii Præfecto, qui negocium ejus non expediat, vel à janitore, qui portam venienti non recludat, vel ab Ærarij Præfecto, qui ei non ſolvat, vel à creditore, qui faciat, ut ei jure ſit experiundum, prohibeatur: nunc de alio quodam à quo fuerit injuriâ gravatus. Si quis unas tantummodo literas quæ cordi ſint, in aula legat, ſubitò leget ille quidem vel centenas quibus offendatur. Uxor enim marito ſuo ſcribens, ei domum ſignificat eſſe redeundum, ideo quod aut filiæ tum natu grandes in matrimonio collocandæ ſint: aut quòd ejus liberi dicto non ſint audientes: aut quod ab amicis negligatur: aut quod pro beneficiis acceptis ingrati malo bonum recompenſent: aut quod variis undelibet ingruentibus incommodis moleſtetur: aut quod à vaſallis in jus vocetur, vel alio quodam modo facultates ejus atque bona diminuantur: Adeò ut ſint in Aula, qui pro eo quod quinque ſolidos tabellario ſolvunt, coronatum libenter daturi ſint, ut ejuſmodi nuncia non cogerentur audire.

In aula facit aliquis multâ neceſſitate coactus, qua domi ſuæ facturus nunquam eſſet, licet vel emoriendum ſibi perſpiceret. Jam prandet cœnatque cum ſuo inimico; jam ſermones cum iſto confert, qui cum ſibi nullâ unquam notitiâ interceſſit, jam ſervit iſti, qui talem ſervitutem æqui bonique non conſulit: Defendit iſtum a quo ſuppetiæ nullæ feruntur, ſequitur iſtum qui non honorat: mutuatur iſti qui non reddit: tolerat iſtum qui injuriis afficit: confidit iſti qui fallit. O aulicum verè miſerum, qui ſi egere incipiat, à nemine prorſus in ſua neceſſitate ſublevatur: ſi in morbum incidat, à nemine viſitatur: ſi è vita excedat, mox eius memoria ſimul inter omnes ita extinguitur, ut à nemine recolatur: ſi virtuti ſtudeat, à nemine laudatur: ſi auctoritate careat, in nullo numero habetur.

Ut in aula nihil eſt rarius atque difficilius, quàm virtutem invenire: ſic nihil eſt promptius, quàm triplicis hominum generis velut exundationem reperire, qui nimirum ſunt delatores, adulatores, Sycophantæ. Sycophantæ ſive mendaces Principibus, adulatores divitibus, delatores gratioſis imponunt. Præter hos ibi mulieres, viros concupiſcentiâ, ſenes conſanguinei: Prælatos, avaritia, ſacerdotes, libertas, religioſos, ambitio, præſumptuoſos audacia, confidentiaque ſapientes circumveniunt: & iſti omnes una conjuncti per fortunam decipiuntur.

In aula tempus adeò malè collocatur, ut ab eo usque quo cubitu ſurgit, ad id usque quo cubitum redit Aulicus, nihil aliud agat, niſi ut, quid novi quisque ſciat, interroget, in plateis ambulet, literas exaret, de bello communicet, id operam det, ut gratioſorum benevolentiam conſervet, amicos commutet, cum nebulonibus nugetur, amores perſequatur atque ita tempus omne perdat. In aula multò lentius atque tardius fiunt omnia, quàm ullo alio in loco. Tardè ſurgitur, tardè ad palatium itur, tardè ſacrum peragitur, tardè comeditur & adhuc tardiùs vitia emendantur.

Omnia ſunt ibi mutationi ſubjecta & prorſus inconſtantia. Honorum gradus ita variantur, ut parvis ad eos aſcendentibus, magnates iisdem priventur. Ibidem prætereà viduæ corrumpuntur: Maritatæ diffamantur: filiæ pudorem verecundiamque amittunt: acuta ingenia hebetantur: fortes in pigros ſocordesque vertuntur: prælati deteriores redduntur: docti, quæ ſciebant, obliviſcuntur, juniores pereunt, ſeniores autem jam dudum perditi fuerunt,

 Hujus-

Digitized by Google

Hujuſmodi monſtrum ſcilicet eſt Aula. Hic qui magnum æs alienum non contraxit, & ita panni ſericique mercatoribus precium, ſartori verò pro labore confectarum ex eâ materiâ veſtium mercedem non debet, aulici nomine dignus non exiſtimatur. Nec ille aulicus dicitur, qui monilia Dominæ ſuæ, eorundemque precium aurifabro, ſpecies vel aromata (ut loquuntur) pro decisâ lite Judicibus, ſervis ſuis ſalarium, ſumptus à ſe factos hoſpitibus non debeat, unde omnibus in rebus male conſultum, ſemi-damnatum eſſe concludere liceat.

Neminem in aula poſſe vivere, quin vel per ſemetipſum vel alium quempiam perturbetur.

CAPUT X.

AUlicus permulta facit eâ magis de causâ, ut affirmare poſſit, quemadmodum alii, ſic & hæc ego feci, quàm quod neceſſe fuerit ut ità faceret. Ille quemvis ad convivium invitat, ne quis eum hypocritam fortaſſis appellet: ille cum quovis colludit, ne futilis eſſe videatur: ille cum quovis ſocietatem init, ne ſolitariam vitam amare putetur: ille dona nebulonibus impertit ne per illos diffametur.

In Aula quisque perturbationum plenus eſt. Nam & ſic ab ipſa natura comparatum videtur, ut iſti qui illam ſectantur, perpetuum crucientur. Oportet enim ſuos ibi laudare, extraneos vituperare: oportet eos, qui benefaciunt, obſervare, ſed iis qui malè faciunt repugnare, ſuum cum ſodalibus dilapidare, ipſam vitam hoſtibus objectare, & id quidem totum eâ tantummodo de cauſa, ne quis in hominum ſugillationes incurrat.

In aula quilibet Dominum quendam ſibi proprium, cui totum ſeſe dedat, perquirit, at hoc interim non obſtante, complurium pediſſequus eſſe cogitur. O rem aulici animum rumpentem, cùm prius ſervitium præſtare cogatur, quam mores Domini perſpiciat: eum revereri, qui reverentiâ ſit indignus, deque uno ſaltem die, Dominum ſatellitem his verbis: *Si vobis ita placet* vel centies compellare; & quando copiam faciendi ſui Secretario, ſit integrum, luſtrare, ad portam expectate, eumque qui nomen carnificis plerumque mereatur, poſt unum & alterum item verbum, Dominum appellitare, omniumque opinionem approbate.

In aula veluti gravis eſt commoratio: ſic intolerabilis negociatio. Eheu, quanta eſt miſeria, pauperem quendam ſolicitatorem vel actorem negocium ſuum magni ponderis exequi cupientem Regem ex unâ villa in aliam ſequi, ſic ut malè paſcatur interim, ſed hoſpitio permultò pejori adhuc excipiatur. Rex eſt occupatus, Cancellarius eſt ſurdus, Præfectus ærarii manus non habet, notus oculis eſt captus, ſicut ſine pecunia moleſtiaque longe maxima apud quinque ſenſus homini è natura conceſſos, velut amiſſos, in aulâ nil obtineatur. In aula quamvis quis inimicos (id quod per rarò ſolet accidere) non habeat, ab amicis tamen ipſismet divexatur: adeo quidem, ut quando aulicus in hoſpitio ſuo, ſui recolligendi cauſa dormitum abit, ab omnibus miſerè vexatur, quod nec Parentes ſuos inviſere, nec Principibus aulico more placere laboret, quod cum divitibus non converſetur, auctoritatemque ſibi ita nullam conciliare conetur, totus quaſi devoratur. Quo referendum, quod ab impoſtoribus & nebulonibus de eo quod non ludat, quod liberalem ſeſe non exhibeat, exibilatur.

Deinde, quando quis in aula libenter eſſe cœperit, requietis adeò naturaliter impatiens, & novarum rerum cognoſcendarum cupidus eſt, ut ceu Dominus Ægyptius frequentiſſimè commutet, regionem, manſionem, veſtitum, ſodalium converſationem, negociationes & alios item ſimiliter vivendi modos.

En tibi amice Lector, vitam hominis aulici qualitercunque deſcriptam: ſimiliter etiam villici quàm complures quidem laudant, perpauci verò degendam proponunt, ea nimirum de cauſa, quod quanto plures libros quisque legat, tantò minus inoliram ſemelque receptam conſuetudinem mutare ſoleat.

His

His quæ ſuperius expoſita ſunt, bene expenſis, ſequitur, quod aulæ Principum nullis hominum generibus ſint utiles, niſi duplicibus, gratioſis nimirũ & juvenibus, pertẽpus adhuc judicio debilibus; Gratioſi quidem, penes quos tota rerũ eſt ſumma. ſe tantopere divites eſſe, tantopere metui, tanta faventium multitudine ſtipari cogitantes, moleſtias aulæ vix animadvertunt: deliciæ vero quas ibi percipiunt, facile perficiunt, ut ſemetipſos obliviſcantur, ac mirum in modum ignorent. Quod cum ita ſit, fieri tamen omnino non poteſt, quin illorum capita commotiora perturbatioraque ſint, nimium videlicet onerata. Ipſorum namque domus alijs hominum turbis plena ſunt, aures ipſorum mendaciis audiendis occupatæ ſunt, linguæ vero reddendis reſponſis adeo gravatæ ſunt, menteſque nunc hujus nunc illius adjurandi ergo coanguſtæ ita ſunt, ut quanto major eſt eorum auctoritas, tanto triſtiores & ſtupidiores eſſe, multoque frequentius lamentari quam lætari videantur. Imperet igitur inibi qui volet imperare; fidem nec non auctoritatem obtineat inibi, qui volet obtinere: exitus tandem probat, neminem bonis facultatibusque ſine honeſta quiete uti fruique poſſe. Taceo quod ijdem gratioſi ad maximos honores evecti, perpetuo timere cogantur, fore aliquando, ut rurſus humilienter. Eos igitur animo tranquillo non eſſe, colligitur ex eo, quod metus animi tranquillitati ſit inimicus. Juvenes deinde judicio (ſicuti ſupra dictum fuit) adhuc infirmo præditi, vitijſque velut excæcati, ut aulæ toties nominatæ non intelligunt in commoda, ita de favore, nec non honore ibidem obtinendo non admodum ſoliciti ſunt: ſed voluptatibus addicti, majorem vitæ ſuæ partẽ in ſchola nequitiæ, ſub Pædagogo perditionis conſumunt.

Frugales in Aula laudari, diſſoſolutos autem reprobari ſolere

CAP. XI.

AUlicus cum vanis & nulla re occupatis hominibus ſocietatem, niſi iſtorum quibuscum converſatur ut plurimum, ſimilis exiſtimari velit, contrahere non debet. Oportet enim quemlibet id, quod ſocius ſuus facit, ipſum quoque facere, vel id quod videt diſſimulare. Neque eſt, quod poſſit prætendere, cum nullis niſi ſecreto colere ſocietatem: quod in aulis ingenia reperiantur adeo ſagacia, ut non ſolum quod quisque perpetrat, verum etiam id quod cum animo ſuo quiſque cogitat, intelligant. Nam nequidem tantus tantusve quisquam eſt in aula, quin quo ingrediatur, unde ingrediatur, quo vadat, quo cum de rebus ſuis conferat, cui confidat, quid facere conſtituat, exploretur è veſtigio: ſic ut vere dicere liceat, quod in aulis vela regere quidem poſſint homines, at hominum vitia non item.

Aulicus etiam commoveri vel offendi non debet, ſi non tam commoda quam vellet, ipſi Regis conveniendi poteſtas offeratur: neque tum quoque ſi perficiendi, quod libenter vellet auctoritatem conſequatur: ideo quod is qui aulam ſectatur eam vel deſerere vel in eadem ſic gerere ſeſe debet, quaſi os ad loquendum, vel manus ad ſe vindicandum non habeat, ſibi perſuadens hæc ubi cariora, quam veſtes aut equos ipſos æſtimari. Quicunque patientia munitus & armatus in aula non eſt, illi multo melius eſſet, ſi nunquam è Patria ſua aulæ ſequendæ gratia pedem extuliſſet. Nam ſi vindictæ Cupidus ſit atque ſeditioſus, benevolentiam, at ſi privatim vivere velit, honorem perdit. Mala omnia & omnis generis res adverſæ, quibus villici gravãtur quandoque, finem tandem ſuum conſequũtur, ſed in aula ſemper aliquid eſt quo quis excrucietur. Ejus autem rei quænam eſt cauſa? fortuna, ea ſcilicet quæ iſtis qui eam pro Dea venerantur, quæque magis opinione quam poteſtate quam in mortales obtineat, dominatur, ſed aulicus non ei quod ſibi naturalis ſenſus ſuadet, ſed quod ipſa ratio dictat, aſſentietur: quod ille perpetuo velit, ut pluſquam opus ſit expetamus: hæc vero duntaxat id, cujus indigemus. Præterea cum tantus in aula menſurarum ad vorandum, tantus ardelionum ad ludendum: tantus contentioſorum ad ſeſe mutuis ictibus verberandũ, tantus nebulonum ad litigandum inveniatur numerus, mirum profecto nemini videri debet, ſi frugales & inibi gratioſi, diſſolute vero ſeſe gerentes ſint inviſi. Vir bonus in Aula eſt veluti nucleus in cortice: medulla in oſſe: margarita in concha: roſa in ſpinis. Ego vero non dico mi lector, quod pro quantitate quali-

tateque vitiorum quæ in aula vigent, omnes qui ſunt in ea, vitioſi ſunt (ut id Deus omen avertat) ſed cum recordor quod nos omnes homines ſumus inter tot Scyllas & Charybdes, ad bonum quondam portum appellere, rem eſſe omnium longe difficilimam mecum cogito.

Quod ſi dicat aliquis cautos ſubtilesque ſic in aula ditari, ut magnæ penes eos pecuniarum ſummæ reperiantur, ego quidem cōfiteor hoc ita eſſet: & bene quidem hoc diceretur, ſi ſapientiſſimi & generoſiſſimi quique propter ſuam ipſorum prudentiam in eo numero eſſent, in quo propter audaciam furacitatemque ſuam complures alii ſunt ut jam nihil dicam quod virtutis præmium, cum eo quod eſt fortunæ nihil omnino commune ſoleat habere.

Aulicus item, ut aliis munera dare non debet, ita nec ipſe ab alijs oblata facile recipiet: ideo quod non promerenti quicqùam donare mentis impotentiam notet, ab eo vero à quo quid accipi non debet, aliquid accipere vile ſit. Qui liberalitatem vult exercere, conſideret ille mihi quidnam ſit id quod donat, & quis is, cui donat. Nam magnæ prorſus eſt amentiæ ſignum, ſi quis aut id quod non poteſt donare vellet, aut id, cujus ipſemet indigeret. Oportet item tempus & opportunitatem & finē cujus ergo quippiam videatur eſſe donandum, in munerando conſiderare. Si quis aulicus minus liberaliter & nullius accepti doni recompenſandi gratia cuiquam qui & auctoritatem amiſerit, & jam nunc ſeſe ſubducere inceperit, aliquid donet, an non illud donum quod in iſtum contulit, male collatum fuiſſe cenſendum? An non deploranda res eſt, quod quis adulatori, qui fictis cum laudibus extollat, vel ſcurræ qui riſu moveat, vel alicui diſerto qui mendacium colore veritatis exornet: vel alij qui res novas excogitet, multo citius aliquid impertiatur, quam fideli cuipiam ſervo, qui toto vitæ ſuæ curriculo meritus eſt ſtipendium. Id quod ego non dico quaſi magnis viris perſuadere velim, ne multis largiantur, & nullorum præterquam ſuorum miſereantur: ſed ſervos tantum proprios alienis præferri volo quod ſervi Dominos ſuos propter munera quæ dantur, amore majori proſequantur, quam propter mercedem illis certo & definito conſtitutam. Nam Dominus ille qui ſervis ſuis domeſticis, quos negligit, intuentibus donat aliquid alienis, ſibi certo certius perſuadere poteſt, quod ſervi proprij non tantummodo de eo quodcunque ſic alijs donari vident, murmurabunt: verum etiam Dominum de eo, quod ab ipſo deſignari viderint, per iracundiam accuſabunt: & ita fiet, ut quos amicos habere potuerat, eos infeſtiſſimos & maximos ſibi conſtituat ipſemet inimicos. Dona, eum, qui illa recipiet, donanti maxime ſubjectum reddunt. Sic, quiſquis a quoquam vel equum vel veſtem dono oblatam accipit, ſæpiuſque cum eodem cibum capit, is ei viciſſim tantopere ſeſe obſtringit, ut ei favere, ejus cauſam agere, cum ipſo converſari, ab ejus partibus eſſe & ſtare, denique quod is amat, amare quoque teneatur. Atque id quidem rationi maxime conſentaneum eſt, ut is qui ab aliquo beneficium ſe accipiſſe novit, erga eundem ſe gratum declarat: ſic tamen ut videat, ne alieno ſeſe tantopere ſubjiciat arbitrio, ut exiſtimationis interim propriæ obliviſcatur.

Multorum ſane liberi, in honeſta familia nati, in aulam ſe conferunt, in eandemque bonam patrimonij ſui partem ſecum portant, quam ludendo, comeſſando, adulterando conſumunt: dumque id urbanitatis addiſcendæ cauſa facere prætendunt, in magnatium ſeſe domos inſinuant, non alium in finem, niſi ut blanditiis excepti, cibis optimis ibi tractentur: idque ita ut more juvenum, imo valde juvenum, omne ſuum Patrimonium non ſolum profundant, ſed æſtimationem quoque ſimul amittant, tum quam primum peræ ipſorum fuerint exhauſtæ, quotidie plateas, fana, palatia, rerum novarum inquirendarum gratia tam aſſidui, quaſi munus hoc illis ſit proprium, frequentant: idque faciūt, ut fabulas & mendacia ad magnorum Dominorum menſas commemorare & ita gratis manducare & prograecari poſſint. Aliud quoddam juvenum & bene barbatorum quidem genus in Aula reperitur, qui inibi Dominum ad quem ſe recipiant, non habent: & ſimulatque extraneus quidam acceſſerit, ad eum ſubito confluentes affirmant, quod eum in Aula vivendi rationem, palatij conditionem & modum quo ſibi a deceptoribus caveat, demonſtrare & ut gynæcei præterea notitiam habeat, curare velint. Quod dum miſer illa advena ſincere dici putat, primo quoque die quadam tunica ſecunda deinde quodam ſago, tertio equo, ipſoque ſæpius emungitur etiam marſupio.

Aliud adhuc eſt in aulis hominum genus,qui tam magnā cum auctoritate, ſed adeo parva cū ſagacitate negociantur, ut cum virum quempiā inibi præſtantem frequentaverint, mox eidem ſervulum cum charta quadam mittunt, eaque quod Nobiles ſint pauperes. Magnatis alicujus conſanguinei,quo munus aliquod affectet, ſibique aliquid eſſe perſolvendum ſignificent: precenturque ut ſuæ tenuitati nummis quibusdam ſubveniat: cum tanta nihilominus eorum paupertas non ſit, quin ejuſmodi mendacijs aliquid conſecuti,equum,ſervum,quid? etiam meretricem ſuſtentent.

Aliud adhuc in aulis hominum fallacium genus reperitur, qui dum Palatij delectatione capti,ſeſe illi addixerē,ab una ad aliam pervagantur eccleſiam, ſtipemque mendicantes ajunt, quod pauperes ſint litigatores, quodque mendicare quam furare malint: ſicque obtinentes, ut pro concionibus populo commendentur: bona quæ pauperibus merito communicari debuerant, ipſi ad ſeſe alliciunt.

Aliud adhuc eſt hominum iſtiusmodi fallacium genus, qui domos Magnatium percurrentes, officioſorumque virorum perſonam ſuſtinētes nunc domus Magiſtro,nunc diſpenſatori, nunc ampullario nunc coquo blandiuntur,deq; menſarū reſiduo viventes,cū ſacculis atq; manicis cibo refertis ad cœnandum inde diſcedunt.

Aliud adhuc eſt hominum talium genus, qui bini ternive gradientes, ita ſeſe partiuntur, ut hi hodie, illi poſtridie hac illaque diſcurſantes, ſi quippiam non ſatis bene cuſtoditum ſit, alicubi relictum,perluſtrant:ſique gladium, tunicam thecamve nummariam perditam offenderint,velut ad ſe pertinentem, ſecum auferre nō gravantur.

Sunt adhuc alij nonnulli, qui meretricē quādam,cum aula in alium locum transfertur, ſecū circumducentes, ac lenonum nomine ſe venditantes ex ejus deploratæ lucro vitam trahunt.

Alii ſunt qui adulteratis teſſeris chartiſque notatis in inſontes & rudes decipiunt, eorumque pecunias lucrantur,animas vero ſuas perdunt.

Sunt etiam plerumque mulieres in Aula,quę ſimul atque viderint, aliter ſe victum lucrari non poſſe,libidinoſis operam ſuam abdicentes, fallunt eas quæ caſtæ ſunt,ſubornant maritatas, moleſtant vicinas: divendunt filias, quas cum in finem eductas habent: unde fit,ut iſtæ perditiſſimæ puellas vilius ſæpenumero æſtiment, quam murænas etiam ſuas ulli piſcatores.

En itaque Benevole Lector aulæſodalitium, en ſanctuaria,en religionem, en fraternitatem, en aulæ confuſionem,

Ut concludam, per me licet ut in aulam ſe conferat: in aula reſideat quicunque volet: ego, cum recorder me Chriſtianum eſſe, quem temporis male collati rationem reddere oporteat, multo longeque libentius aulæ valedicto terrā arabo,meque conſervabo potius,quam ut apud Regē mea me reprehendente conſcientia commorari velim.

Omnes in aulis Principum, quod facere quid velint, nullos autem quod faciant affirmare ſolere.

C A P. XII.

Bias ille magni nominis inter Græcos Philoſophus, ad Regem Alexandrum Magnum aliquando, Quilibet in negocio ſuo hebetior eſt,quam in alieno,dicebat: ſignificare volens, in re ſua propria quemque cæciorem plerumq; eſſe quam in aliena,idque probādi gratia quosdam mortales inveniri, qui ad dandum bonum quoddam maturumque conſilium, & ad negocio, quod ex improviſo ſeſe obtulerit, medendum, ſi quidem id ad alium pertineat, judiciis, ingeniiſque valeant plus quam heroicis: quos vel ad ſuos bene regendos, vel ad tegendam ſuam ipſorum miſeriam omni ſapientia, ſenſibuſque adeo communibus deſtitui confirmabat. Cæſar, Octavius Auguſtus, Marcus Antonius, Septimius Severus, Marcus Aurelius, alijq; ſexcenti propter adminiſtrationem tam privatorum ſuorum quam reipublicæ negoriorum magnificebant:ſed ad ſuas domos,uxores,familiam denique regendam, negligentes adeo fuiſſe legimus, ut illis id ad magnam ipſorum ignominiam ſit exprobratum. Sunt qui Reipublicæ utiliſſimi, at familias ipſi ſuas regere non poſſint, curatoriſque (ſi dicere liceat) ipſimet indigeant. Narrat Plutarchus, celeberrimum iſtum Ducem Nyciam in prælio non ſuccubuiſſe, niſi tum, cum proprio fiſus atque niſus ingenio fuiſſet.

Quod

Quod ſi Hiarchæ Philoſopho fidem putamus adhibendam, res eſt longe perniciosior, ſi Vir ſuum proprium amet conſilium, quam mulierem: ideo quod qui amat mulierem, is in ſemetipſum: ſed qui ſuo proprio nimium tribuit conſilio, is in Rempublicam delinquit univerſam. Quæ omnia eum in finem dicuntur, ut ij qui aulicos ſeſe profitentur eſſe, in id inprimis incumbant, ut cum doctis, gravibus & peritis viris converſentur. Gravitas enim virtutem docet: quam ſcientiam actum producit, experientia deinde prorſus abſolvit.

Aulicus certe quantumvis ingenioſus, dives, gratioſus ille ſit, tamen quodam quaſi patre, qui ipſi conſilium præbeat: fratre, qui perſuadeat, ductore, qui ipſum in viam quaſi deducat: magiſtro, qui doceat: præceptore qui corrigat, opus habet: quod aulæ impoſturis, deceptionibus & impietatibus adeo multiplicibus exundet, ut eas nemo ſine doctore percipere, nedum vitare poſſit. Ignavis hominibus nulla facilior & planior ad ſe perdendum poteſt eſſe via, quā ſi proprio conſilio ſeſe moderari velint, Aula perpetuum eſt ſomnium, volutabrum fundo carens: incantata phantaſia: Labyrinthus, in quem quicunque ingrediuntur ij ſe perdunt, ſique rurſus egredi velint, ut ex ipſiſſimo ejuſdem fundo emergant, opus habent. Nunc omnium optimum Apozema. quod Aulicus medendis hiſce malis adeò multifariis invenire poſſit, eſt amicus fidelis, qui non adulatur, ſed omnino talis, à quo, ſi tarde redeundo, ſi nocte diſcurrendo, ſi quem colludentem decipiendo, ſi inhoneſte amando peccet, caſtigetur: ſed ubinam talem reperiat aliquis amicum? quod in aulis ita fieri ſoleat, ut amicitia duntaxat inter duos aut tres profligatiſſimos nebulones ineatur, qui una, neſcio quam mercaturam, quos ludos, quas inſolentias, quas digladiationes atque conflictus exercentes, alij alios non modo non corrigunt, verum etiam occaſionem peccandi difficiliorem reddunt faciliorem. Quod cum ita ſit, is, qui in Aula commorari volet, operam dabit, ut ſapientem quendam ſibi concilict amicum, quo cum ſine metu communicare poſſit omnia, ſic ut alij ſint ejus amici communes, at vero unus iſte omnium maxime neceſſarius. Ego ſimul optarem, eundem cum ſeditioſis, bilioſis, vagabundis, nullam prorſus habere communionem; quod iſti plerumque Regem non ſol vere: omnia in aulicorum gratioſorum manu eſſe: ſatellites nimium moleſtos ſe præbere: merita malè compenſari: bonos in ignoratione verſari conquerātur, talibuſve & aliis non abſimilibus ſermonibus efficiant, ut miſer aliquis aulicus, cuius aures ita pertundantur, officium ſuum negligēter faciendo murmurare incipiat.

Is etiam qui re vult eſſe Chriſtianus, dum in aula verſatur, pravòs ſuos mores ſpe vitæ longioris emendare non intermittet eum quo quis eſt ſenior, eo majores recentiorum deliciarum perfruendarum inveſtiget magis occaſiones, quam ut peccata vetera, quæ commiſit in juventute, corrigat.

Ita videas ſæpenumero non paucos qui quotidie pollicerentur: ubi conſenuerint, tum demum meliores fore: cum nihilominus ipſis etiam malis genijs deteriores emoriantur. Hujus quidem rei cauſa eſt, quod in aula quisque dicere conſuevit, *Nos faciemus*, at, *Nos facimus*, omnino nullus.

In aula quoque reperiuntur annoſi quidāſvetuli, qui Reges quibus inſervierunt: Principes quos viderunt: mutationes item officiorū, bella præterita, quæ meminerunt: caſus quos fortuna volente perpeſſi fuerunt, enumerare conſueverunt: cum, iis omnibus quæ ſe vidiſſe perpeſſosque fuiſſe commemorant, non obſtantibus, divitiarum obſequendarum, juvenilium que deliciarum perſruendarum ſint adeo cupidi quaſi primū vivere incipiant. O miſerrimos qui perpetuâ anxietudine, perpetua moleſtiâ nec non infinitis animi perturbationibus obſtipari, inde usq; ab infantia (qua ad decimum quintū annum pertingit) adoleſcentiam: virilem ætatem: ipſamque adeo ſenectutem, opes duntaxat coacervando famam familiæ ? gentisve ſuæ amplificando tranſigant: ne tantillum quidem cogitantes interim, quod loco veræ quietis & animo & corpori quendam præparent infernum.

Aulicus præterea non temere ſibi de ſuis adverſitatibus, quarum non paucas experietur, conquirendum ſtatuat. Cogitare namque convenit, quod nos ſæpenumero de re quapiam querelam moveamus (idque noſtrimetipſorum vitio) quæ ſi loqui poſſet de nobis ipſa potius conqueſtura eſſet.

Quam primum videt aliquis Aulicus, quod pauper ſit, quod auctoritate careat, quod divites ejus obliti ſint, quod id admiſerit, cujus inprimis participem ſeſe futurū ſperabat, mox fortunam

conviciatur

conviciatur, ſuumque deplorat infortunium: Cùm interim non ipſum fortuna, ſed ipſemet fortunam à ſe quæſitam invenerit.

Eſt qui ſtatim ſe divitias, honores dignitatesque conſecuturum opinatur: qui poſtea ſe ad paupertatem redigi, abjici contemniq; videns: cùm aliter id vindicare non poſſit, mox infortunatum ſe clamat eſſe: qui profectò meræ ſuæ ſtultitiæ, quæ ipſi ut ſuæ domus commoditatibus poſthabitis, cæco fortunæ eventui ſeſe exponeret, perſuaſit, attribuere debuerat, cùm nemini juſte poſſit iraſci, quàm ſibimetipſi, qui feneſtram malis ſuis ipſemet aperuerit.

Id omnium eſt optimum, ut ſi quis eſt in aula, ibidemque perſeverare vult, multa diſſimulet, ſi quis fructum quempiam laborum ſuorum percipere vult, ut in id omnes ingenii nervos intendat, ſi cui grata ſit aula, ut maneat: ſi cui ſit ingrata, ut inde diſcedat: Cùm ut aliquis malè ſit contentus, id non in loco ubi quis agit, ſed in animo ambitioſo & affectibus agitato conſiſtat.

Aulicus quidem hoc ſibi pro certiſſimo perſuadere poterit, ſe, quantumlibet ingenioſus, opulentus valdeque ſit gratioſus, tantâ tamen fortunâ in aula minimè uſurum, quin, ſi tria quędam negotia proſperè fuerit executus, alia vel quinquaginta ipſi vel ſaltem ipſius amicis ſiniſtrè ſint ceſſura. Quamvis enim hoc in ſuis uniuſcujusq; rebus feliciter ſucceſſerit, in amici tamen ſodaliſque negotio longè diverſum poterit evenire. Quod cum ſit, ex eo quod amico denegatum fuit, aulicus ille bonus majore mœrore quàm voluptate ex eo quod in re ſua obtinuit, afficitur. Sic aulico ſemper offertur occaſio propter quam ſit malè contentus. Quid? Hujusne rei certius aliquod argumentum requiratur, quàm quòd ſive quis in aula ſit, ſive non ſit, alia nulla de re, niſi quid in aula novi acciderit, quid faciat Rex, quid Principes quid Satellites quæri audiat?

Jam nullus eſt, qui non intelligat, eum, qui de novis rebus ita quærat, novitate rerum ſe non duntaxat oblectare, verùm etiam fortunæ ſuæ mutationem deſiderare. Hinc pauperes opulentos ſe fore, opulenti, imperandi, omnium denique potentiſſimi, poteſtatem dominandi ſeſe conſecuturos eſſe putant. Eheu quàm multi ſunt in aula ſuſpirantes & ſperantes, quòd Rex eorum habeat notitiam, aut quòd is qui apud Regem gratia valet, propediem ſit moriturus, aut quòd fortunæ beneficio futurum ſit, ut, quibus honoribus alii privati ſint, ad eos ipſi viciſſim evehantur. Ita ſit, ut tempus expectantes plerumque decipiat: Cùm mors eos ex improviſo adorta, tales, quales offendit, abripiat.

Numerum bonorum in Aula parvum, in Rebuspublicis eſſe majorem.

CAP. XIII.

Plutarchus in eo, quem de exilio ſcripſit, libro, memoriæ proditum reliquit, quod olim inter magnum illum Regem Ptolemæum, nec non alios ſeptem Legatos, qui diverſis è Provinciis ad eam acceſſerant, dù cœnarent unà, quæſtio, quænam iſtarum Provinciarum Respublicæ melioribus legibus moribusque regerentur: mota ſit. Dicti Legati erant partim Romanorū partim Carthaginenſium, partim Sicilienſium, partim Rhodenſium, partim Athenienſium, partim Lacedæmoniorum, partim Sicyoniorum: inter quos illa quæſtio coram Rege magno cum ſtudio diſputata fuit atque diſcuſſa, ideò, quòd eorum ſinguli patriæ ſuæ amore flagrantes, pro ea rationes tam probabiles quàm poterant, allegarent. Bonus itaque Rex ambigens, cum veritatem quæſtionisque motæ reſolutionem ſcire percuperet, jubebat, ut quilibet illorum prænominatorum Legatorum tres conditones legesque & conſuetudines, quas in ſua quisque Republica ſciret obſervari, omnium optimas proferret. Eâ namque ratione futurum putabat, ut, quænam illarum melius regeretur, & ita laudem majorem præ reliquis mereretur, facilè perſpiceretur.

Legatus itaque Romanus inter illos omnium primus exorſus, Romæ templa honorari, magiſtratibus obedientiam præſtari, malos caſtigari ajebat.

Legatus deinde Carthaginenſium, Carthagine nobiles viros ſemper cum ſuis hoſtibus bello decertare; populum laborare, Philoſophos rudiores informare dicebat.

Legatus Sicilienſium, Siciliæ Juſtitiam administrari, veritatem amari, æqualitatem laudari aſſerebat.

Legatus Rhodienſium, Rhodi honeſtos eſſe viros ſenes, pudicos eſſe juvenes, tranquillas & illabefactas eſſe matronas, affirmabat.

Legatus Athenienſium, ut divites faſtioſi, populus otioſus, gubernatores imperiti eſſent, Athenis non permitti pronunciabat.

Legatus Lacedæmoniorum, Lacedæmone nec invidiam, quod omnes inibi eſſent æquales, nec avaritiam quod omnia eſſent communia, nec deſidiam quod omnes laborarent, regnare aſſeverabat.

Legatus Sicyoniorum, Sicyone nullos extraneos, qui res novas excogitarent, nullos medicos qui benevalentes enecarent, nullos advocatos qui lites in infinitum protraherent, admitti ſignificabat.

Cum Rex Ptolemæus & qui cum ipſo erant, has adeò bonas & ſanctas iſtarum Rerumpublicarum conſtitutiones audiviſſent, ſuas cujusq; maximis omnino laudibus extulerunt, afferentes, judicare ſe ſatis non poſſe, quænam illarum præſtantiſſima dicenda videretur. Quæ quidem hiſtoria obſervatione eſt digniſſima, dignior imitatione. Nam ſi tot Legati jam convenirent, deque Rebuspublicis quæ ſunt hodie, differerent, illos multa plura, & id quidem ſine comparatione reperturos eſſe, quæ vituperarent: quàm quæ laudarent, opinor.

Olim Regiæ Domus tam bene erant Reformatæ, Reges ipſi tam juſti, gubernatores tam moderati, ut inter eos offenſæ parvæ caſtigarentur, & de magnis perpetrandis cogitare prohiberentur: quo videlicet offenſarum parvarum punitio malis terrori, ſed magnarum prohibitio bonis eſſet admonitioni. Illud in noſtris Rebuspublicis non obſervari, liquet inde, quod in illis tantùm malorum atrociumque delictorum committatur. Nos enim (proh dolor) ea quæ veteres iſti morte digna judicantes, meritis ſupplicijs puniebant, veluti peccata venialia diſſimulamus. Sycophantæ enim, itq; omnes qui diſſolutè vivunt, à nobis ſuſtentantur, tantum abeſt, ut a quoquam profligentur. Si qua ſit Domina nobilis vel vidua vel nubilis, vel malè maritata, quæ amatorum officiis delectetur, ea, tantum abeſt, ut ab uno ſaltem, quia male faciat, reprehendatur, ut vel quingenti, qui illi ad malum quoddam facinus in ſe turpiter admittendum ſint auctores, inveniantur.

O tempora! O mores! quanquam talium malorum cauſa potius hominū moribus, quam temporibus aſſignanda ſit, adeò, ut is, qui bonus in noſtris Rebuspublicis appellari poteſt, omnibus omnino Conſulibus, quotquot unquam in Romana Republica fuerunt, ſit laudabilior: ideò quod ut olim monſtri ſimile putatum fuit, unum malum inter centum bonos, ſic hodie unum bonum inter centum malos invenire ſit longè difficilimum. Sacra Scriptura laudat Abrahamum qui in Chaldæa, Lothū qui in Sodoma, Danielem, qui in Babylone, Tobiam qui in Ninive, Nehemiam qui in Damaſco juſtus extiterit: innuere volens, ſi qui juſti ſint aulici, eos in illorum tam ſanctorum virorum numerum referri poſſe, quod ſicut illis, ſi nec his ulli ſint, qui ad bene vivendum incitent, multi verò contra reperiantur, qui ad eos perdendos Duces ſe præbeant. In aula tanta erronum, luſorum, blaſphematorum, deceptorum denique eſt copia, ut nemini mirum ſit amplius, ibi illorum tot eſſe, ſed hoc mirum ſit, ſi quis alia quapiam de re, quam de illismetipſis verba fieri audiverit.

Mundus enim qui nunc, in roſis ſuis nihil præter ſpinas, in arboribus nihil præter folia, in vineis nihil præter labruſcas, in granariis nihil præter paleas, in theſauris ſuis præter Alchymica nihil habet amplius. O vos aurea deſiderataque veterum ſecula. Differentia quæ inter vos hæcque noſtra præſentia ſecula conſtitui poſſe videatur, eſt, quod mundus ante vos paulatim degenerabat, qui nunc totus omninò corruptus eſt atque perditus. In te ô mundus quisque ſuſcipit, excogitat, facit, incipit & perficit hoc quod ipſecunque vult: quodque pejus adhuc eſt, ita vivit, quomodocunque vult, cum exitus interim ſit incertiſſimus. Parum eſt in te, ô mundus, quod expectari parum quod defendi, parum quo quis frui, minimum verò quod meritò queat aut debeat conſervari. In contrariam verò partem multa ſunt in te, quæ deſiderari, multa quæ emendari, multa quæ deplorari poſſint. Noſtri majores ſeculo vixerunt dicto ferreo, ſed iſtud in quod nos incidimus, cœnoſum ſummo jure potentiam appellari: ideò quod illud ipſum nos in perpetuo quodam volutabro detineat immerſos: & omni impuritate maculatumque plena perpetuo ſimus effi-
ciat.

In

In Aula complures eſſe moleſtias, pluresq; bonos villicos, quàm aulicos reperiri.

CAP. XIV.

HOmerus Poëta labores & moleſtias Ulyſſis Græcorum Principis; Quintus Curtius Alexandri & Darii; Moiſes Joſephi in Ægypto, Samuel, Davidis & Saulis, Titus Livius Romanorum; Thucydides Jaſonis cum Minotauro; Saluſtius Jugurthæ, & Catilinæ, deſcripſit, quos bonos auctores ego imitaturus, moleſtias & ingratos iſtos labores, quos hoc noſtro ſeculo ſine ullâ recompenſatione tolerant, & ad quos perferendos animi ſatis, ab iisdem verò ſeſe liberandi ſapientiæ nihil habent aulici, ob oculos conſtituere conabor.

Quod Aulæ labores ingratos appellem, id ſua quidem ratione non caret, cùm Aulici tam varia incommoda, ne tantillum quidem utilitatis inde percipientes perpetiantur, ut iis, velut equus emeritus ſarcinis aut aratro aſſueti videri poſſint.

Jam ſi quis objiciat, parum circumſpectè me facere, quod aulicos infortunatos & afflictos eſſe dicam, cum beatum fortunatumque ſe quiſque putat, cui poteſtas in aula vivendi contigerit; is ſi cogitat, illos omnes qui extra aulam vivunt, eſſe beſtias & imperitos, ſe verò ſolum ſapientem; illos rudes & duros, ſe delicatum & mollem; illos viles & contemptos, ſeſe verò honoratum, illos blæſos, ſe eloquentem; is inquam, toto (quod ajunt) cœlo ſe errare ſciat. Nam ſi ij qui verſantur in aulis, eſſent, (quod ipſis à Deo quidem precor) omnium perfectiſſimi & feliciſſimi, lethaliter profectò nos delinqueremus, quòd aulicam vitam ex tempore nō profiteremur, cum ſciamus, nullum vitæ tempus melius impendi poſſe, quàm quod doctis ſapientibusque viris audiendis impeditur. Verùm quid multis opus eſt? Loca nō faciunt, ut homines ſint meliores, ſed homines potius ipſa loca reddunt meliora Ut hujus aſſertionis exempla ponamus, plurimos in villa modeſtos, ingenuosque viros, qui ruri operas ruſticas faciunt, reperiri conſtat, in aula verò, qui præ nimiâ tumentes ſuperbiâ, pro magnis ſeſe Dominis ibi venditent, cum revera ſtulti vecordesque ſint, abundare.

Conſtat item non paucos prudentes maturoque judicio decoratos ruri delitèſcere, in aula vero perquam multos rudibus ingeniis, imbecillibusque cerebellis deformatos hærere. In aula item quàm multos eſſe, qui licet munera, dignitates, honores, prærogativasque conſecuti ſint, ruri tamen vix decem duntaxat homines gubernare poſſint.

Quàm multi quæſo veniunt ex aula, qui, dum aliorum emendatores eſſe volunt, illimetipſi, qui potius a villicis inſtituantur & corrigantur opus habeant. Proh Deum immortalem, quàm multa dicuntur ab Agricolis, quæ notatu digniſſima ſunt, cum plurima coram Regibus interim proferantur, quæ, ut riſibus & ſibilis excipiantur, digniora ſunt. Quàm multi ſunt in aula qui in precio & honore habentur, non quod honeſti ſedulique ſint in munere ſuo exequendo, ſed quòd magnâ polleant auctoritate. Quàm multi contra ſunt in agris, qui magis per ſapientiæ diligentiæque defectum oblivioni traditi, tributisque onerati ſunt.

Principes largiuntur & concedunt officia, ij vero qui gratiâ apud nos valent, introitum: natura ſanguinis nobilitatem: parentes patrimonium: merita deinceps honorem: intelligentem verò nec non ſapientem fieri unius Dei non hominum munus eſt ac beneficium. Nam ſi Principes iſtis quibus ipſi vellent, ſapientiam communicare conferreque poſſent, illi profectò ſuimetipſorum memores eſſe deberent: ideo quod alia nullâ de causâ, niſi quia nihil intelligant, peſſum ire ſoleant.

Jam id indecorum mihi eſſe videtur, quòd nonnulli qui nuper ex Aula rus habitatum commigrarunt, omnia deridere ſoleant, nec omnino, quod ſuo palato ſapiat, reperiant. Interea ſi in ipſorummet vitam moresque nonnihil inquiras, reperies, quòd iſti ipſi de media nocte cubitum eunt, ad horam ſequentis diei decimam cubitu ſurgunt, & deinde ſe veſtiendo, crines calamiſtris inurēdo, pileos in alterutram capitis partem jaciendo, ad meridiem usque in cubiculo moram nectunt, tempusque trahunt. Reſiduum verò diei confabulando terunt: ſic ut plerique omnes, de ſuis quas in aula amarint, vel de pugna Gallicana, in quâ res miras ſcilicet deſignaverint inter ſeſe garriant, ſeorſim verò alius alias ſe pugnæ

Papianæ cum Duce Antonio, vel Tunianæ eum ipſomet Imperatore, vel Corrianæ denique cum Doria interfuiſſe perſuadere conetur: qui magnus interim fuerit alicubi lenonum Magiſter.

Nos ſupra juſſimus ut Dominus Mariſcus ſibi caveret, ne villicos irrideret, & tanquam ſtultos & obtuſos deſpiceret. Nam ſi Cæſarea Majeſtas omnes vitulos & ignaros qui ſunt in ejus aula, inde vellet exigere: ipſum inibi ſolum duntaxat eſſe permanſurum, ego mihi modis omnibus perſuadeo. Affirmare igitur non veremur quòd Aulici vitæ ſuæ formam profeſſionemque parum perpendant. Cum de profeſſione loquor, eam intelligi volo, qui ſuam è tali religione cuius iſti rigidiſſimi ſunt obſervatores, originem ducit, quæque in eo ſpectatur, ut ſe Diabolo complaciturος, aulæ ſatisfacturos, mundum ſecuturos promittant, perpetuoque cogitabundos, triſtes, ſuſpicioſos, perpetuò importunos fore, perpetuò negociationes, exactiones, emptiones, venditiones, permutationes, lamentationes, peccata ſectaturos, nunquam verò ſe emendaturos, ſpoliari, item honoribus privari graduque dejici, ſua propter æs alienum oppignerare, obtrectare, opprobria Dominorum, furta vicinorum, injurias cholericorum, illuſiones populi, exprobrationes conſanguineorum, poſtremoq; amicorum ſuorum à ſe defectionem non ægre ſe laturos polliceantur.

En profeſſionem & regulam aulicis obſervandam quam ego quidem non regulam vel ordinem, ſed confuſionem: non monaſterium ſed infernum: & eam regulam profitentes, non fratres, ſed prodigos: non pauperes eremitas, ſed rerum mundanarum ſolertes indagatores appellârim. O Miſeriam, ô commiſerationem, ô ſtuporem judiciorum longè maximum!

Apollo per populi Romani Legatos Oraculo conſultus, in quonam ſui cuiusque regendi ſcientia cerneretur, in eo cerni reſpondebat, ſi quis vites ſuas ſic exploratas haberet, ut omnia deſideria in ordinem quaſi redigere, rigidumque ſuis appetitionibus frænum poſſet injicere.

Aulicus dum tam vacillanter & inconſtanter appetit omnia, ut in appetendo nullo perſeveret, ſi intra unius anni ſpatium nullam dignitatem nullumque officium conſequatur, id non ignorantiæ propriæ, ſed ſecundùm veſanam ſtultitiam, fortunæ tribuendum cogitabit, ideoque illam increpabit: horam deinde quâ primùm in aulam pedem intulit, velut execrandam condemnabit. Qui potius recordari deberet, aulam palmæ ſimilem eſſe, & ut hæc radicem integro brachio longum prius in terram defigit, quàm frondem quæ duos ſolùm digitos alta ſit, extra terram propaget: ſic in illa longiſſimum ſæpè tempus prius inſervire, quàm quis ad honores atque dignitates promoveatur, oportere: Cum perſeverantia ſpem interea ſoletur. Deinde ſi vera modò dicere velimus, certe fatebimur: Si tres in Aulâ reperiantur, qui plus quàm conſequantur promeriti ſint, trecentos contra eſſe qui meritis ſuis conſequantur majora! O quàm ratiſſimè fortuna facit id quod facere decebat! O quàm ſæpe juvat illa potius audacem quàm prædictum virtute virum! Solet iſta ſcilicet hominum merita non rationis, at opinionis ulnâ metiri. Iſta facit, ut ſine igne urat aqua, ſine chalybe ſcindat cultellus, ſine flamma luceat candela, ſine aqua molat molendinum. Cujus quidem confuſionis omnis, una duntaxat cauſa eſt inconſtantia. Si arridet alicui, ei illudit. Si quis eam plorantem & ejulantem videt, ei melius eſſet ad id videndum è domo ſua nunquam prorſus egreſſum fuiſſe. Si quenquam elevat ideo facit, ut is è ſublimi præceps actus graviore caſu ruat. Si aliquantulum diſſimulat, id eum in finem facit ut furtim opprimat. Nullus ergò fortunæ confidat; cum tam variabilis iſta ſit ut quæ vel dato chirographo promiſſa facit, ea non præſtet.

Inter aulicos nec amicitiam, nec fidelitatem ſervari: aulamque invidia, ſimultateque plenam eſſe.

CAPUT XV.

INter moleſtias aulicas omnium graviſſimas hæc eſt una, quod nullus in aula reſideat, quin aut aliis odio ſit, aut ipſemet alios odio habeat, quin perſecutionem patiatur, vel ipſemet alios perſequatur, qui irrideat alios, vel ipſemet ab aliis

aliis irrideatur, O te infelicem, qui in aula verſari volens perquam multos ibi ſis animadverſurus, qui cum caput ſuum in gratiam tuam denudare videntur, tibi tuum prorſus abſtuliſſe mallent: & tales, qui, cum genu coram te flectunt, in funere tuo deferendo crus ſe ſibi fregiſſe vellent. An non res eſt, omni commiſeratione digniſſima, quotidie ſimul eſſe, ridere, gaudere, ſed immortales nihilominus amicitias in animo fovere? An non iſta diſſimulatio nimis eſt magna, quando quis eum quem in furcam raptari percuperet, adhuc venerari ſe fingit? & id totum quidem tum propter ambitionem, tum propter ſpem nimis avidam de fortuna conceptam, tum propter ea, quod amicitiam fideliter obſervatam, ad impetus hominum vehementiores moderandum valere, ignorat. Qualem quæſo vel è vita, vel è fortuna ſuavitatem capere poteſt is, qui converſans cum principibus inter tot fures, tot latrones, tot incantatores aliosque nefarios homines traditum ſe venditumque quotidie videt? Contra vero, quanta quæſo felicitas eſt, habere quenquam, qui cum ſincere ſeſe recreare poſſit, ſibi metuens à nemine! In aula iſta permulti ſunt, qui, cum viri nobiles exiſtimari velint, vindictæ tamen adeo cupidi malevolentiæque pleni ſint, ut nullis omnino beneficiis, nullis precibus adhibitis, à malo ſuo propoſito per quenquam revocari ſeſe patiantur: adeo quidem, ut in illis propriis etiam ſuis ædibus excitare bellum non diſpliceat, ſi ſaltem ex eorum quibus infeſti ſunt parietibus pacem valeant exterminare.

Itaque cum ea, quæ diximus huc uſque vera ſint omnia, nihil eſt profecto, quod quiſquam ſe bonos amicos in aula nacturum, magnopere ſperare, multo vero minus, ſi quos inibi ſe nactum putet, ijs ſua tuto committere debeat. Quanto namque ſublimior aliquis eſt aula, tãto plus habet ad metuendum cauſæ. Quod quidem tantam parit moleſtiam, ut perſæpe demirari ſoleam, quomodo quis tantum fortitudinis ut eam toleret, animi verò, ut eam diſſimulet, habere poſſit. O quam fortunatus eſt villicus qui mediocrem mediocrium facultatum ſuarũ ſolicitudinem ſuſcipit. O quam miſera quamq; infelix eſt ipſius aulici vita? qui res vanas ſperare, res injuſtas infinitaſque procurare non deſinit. Si cogitationes ejus eſſent venti, deſideria ejus aquæ, in ejus animo navigare multo periculoſius eſſet quam in alto mari.

Aula quippe ſemper habet aliquod, neſcio quid quale & quomodo: Unde fit, ut quamvis in ea perpetuæ conqueſtiones, perpetuæ perturbationes, perpetuus denique ſtomachus moveatur: nemini tamen indidem ſeſe recipiendi licentiam iſta unquam concedat. Aula jugum eſt tam vehementer durum, vinculum, tam vehementer coarctatum, aratrum tam vehementer arduum: ut ij qui ſe triumphaturos inibi ſperant, primi ſint, qui laborare, nec non onera quæque graviſſima portare jubeantur, Iſti vero miſeri parumque circumſpecti labores hos intolerabiles, ne in Patria ſua aliis ſubjiciantur majoreque male faciendi libertate perfruantur, exantlare non recuſant. Deus novit quanti illis ejuſmodi conſtet libertas, quæ propter momentaneam quandam voluptatem, continuam moleſtiam ſervitutemque gignit. Proprium namque vitioſæ libertatis, aut (ut dicam verius) ſubiectionis iſtius, eſt, ut ab initio dulcis eſſe videatur, cum finaliter, ubi videlicet aliquis per partes vitij qualitatem cœperit experiri, ſe totam rurſus in amarorem cõmutaſſe deprehendatur. Nam ſi cum mulieribus aulico ſit agendum, oportet ut illis aduletur, illas obſequio ſibi devinciat, imploret denique. Quod ſi pecunia deficiat, ipſi Diabolo merx offertur è veſtigio. Si quis in Aulam noviter ingrediatur, ei mox aliqua domicella lue venereâ infecta oculo ſignum dat, eum allicit, ei blanditur, eum deoſculatur, quem ſimulatque tenuiorem factum fuiſſe viderit, rus, ut ibi paſtum quęrat, ablegat.

Si comedendum ſit Aulico, comedet ille quidẽ ſæpenumero cum tali, quo vellet ut eum totum ſine condimento jam dudum devoraſſet! Si ludendum ſit aulico, æquè profecto futurus eſt infortunatus. Nam ſi vicerit, oportet ut de eo quod lucratus eſt aliquid impertiatur aſtantibus: ſi vincatur, illi ne quidem teruncius unicus à quoquam reſtituetur. Neque garriendo & deridendo quicquam proficiet: quod iſti cavillatores aulici verbis quidem iocos inchoare, ſed eosdem dicendis injuriis infligendiſque plagis conſummare conſuerint. Quod in hiſce jam dictis Aula vitiis, ſic in aliis conſimilibus aulico ſolet uſu venire. Concludentes itaque dicamus, quod univerſa vita variis & magnis affluat negotiis & mundus univerſus nihil omnino aulico qui ſit eventilatus, aut ruſtico qui ſit ocioſus, pejus in ſe contineat.

Reſpublicæ aulæque veteres, quanto recentioribus fuerint correctiores.

CAP. XVI.

REx Anchiſes ſuperbæ Trojæ demolitionem per Principes Græciæ factum lamentabatur, Regina Roſane maritum ſuum nomine Patium, cum ab Alexandro illo Magno devictus eſſet, miſerabatur, Hieremias Reipublicæ Hieroſolymitanæ in captivitatem redactæ ſtatum deplorabat. Rex Davides propter Abſolonis filij ſui mortem cum illum Joabus interfeciſſet, ſeſe macerabat, Regina Cleopatra, cum Marcus Antonius ei dilectiſſimus ab Auguſto Imperatore ſuperatus eſſet, præ dolore animam fere exhalabat. Conſul Marcus Marcellus urbem Syracuſanam quam flammis conſumi vidiſſet, deflebat, Saluſtius Romam male gubernatum, Jacobus Patriarcha filium ſuum Joſephum, Rex Demetrius bonum ſuum Patrem Antigonum, cum illum in pugna Marathoniana proſtratum reperiſſet, lugebat. Quod ad nos attinet, non alienum foret, ſi tot tantoſque viros imitati, calamitates ſeculi noſtri deploraremus, cum in eo res adeo mirandas evenire videamus, ut auctores antiquiores, quantumvis curioſi, nihil ejuſmodi ſcribant, vel ulli, ſe tale quippiam vidiſſe recordentur.

Illud quidem verum eſt, quod temporis illius ſuperioris hiſtoriographi, quicquid volebant, id quoque conſcribebant: Hac vero tempeſtate, quod res eſt affirmare duntaxat, eſt religio, tantum abeſt ut ad poſteritatem literis conſignatum propagare liceat. *Philoſophus* Amminius de Ægypti ſcripſit abundantia, Demophon de Arabiæ fertilitate, Thucydides de Tyri theſauris, Aſclepius de Europæ fodinis, Dotrillus de Græciæ, Leonidas de Thebarum triumphis, Eumenides de Gubernatione Athenarum, Creſiphontes de ritu qui in Aula Principibuſque Sicyoniorum domibus & familiis obſervaretur. Pitheas de taciturnitatis Socraticorũ diſcipulorum fructu, Apollonius de continentia & abſtinentia, quæ in illius divini Platonis Academia celebraretur, Myronides de continuo exercitio, minimaque domûs *Hiarchæ* requiete, Aulus Gellius de eo quod Favorini ſui quondam Præceptoris Diſcipuli perparum comedere dormireque ſolerent, Plutarchus de ſapientibus Græciæ, caſtis autem Romæ fœminis, Diodorus de eo quod Inſularum Balearium cives theſauros ſuos in mare projicerent, metuentes nimirum, ne vel à peregrinis avaritia cõmotis bello premerentur, vel, ne illi ipſi diverſas partes & factiones inter ſe diſcerperentur.

Nunc omnibus iſtis, quæ commemorata ſunt hactenus, auditis, ego quidem percupio, ut bonus Lector mihi declarare dignetur, quidnã eſſe puter, quod me de ſeculo noſtro præſenti literis commendare deceat. Si de bonitate virtuteque ſcribere voluerimus, mendaces erimus. Si de abundantia per mortales ipſos, qui nihil aliud quam fames & avaritia videntur eſſe, vanitatis convicti fuerimus. Jam quomodo ſeculum noſtrum de ijs hominibus, qui vel armorum gerendorum audaces, vel literarum periti ſint, laudaverimus illud de proſperitate & ſanitate? Cum peſtis atque Gallica lues morbi ſint adeo familiares, ut ipſis etiam domeſticis lues notiores videri queant. Quomodo laudaverimus illud de continentia & abſtinentia? Cum vix annorum quinquaginta ſpatio unam duntaxat quadrageſimam omnes jejunare ſoleant. Quomodo laudaverimus illud de ocij paucitate, negocij vero & exercitij pluralitate? cum ij qui ſemper & ociantur & furantur, eorum numerũ qui negociantur fideleſque ſunt, multis omnino modis excedant. Quomodo laudaverimus illud de ſobrietate? cum venter hodierno tempore mortalium Deus exiſtat. Quomodo laudaverimus illud de fæminarum caſtitate & fidelitate? cum adulterio in mundo nihil ſit frequentius. Quomodo laudaverimus illud de hominibus ſuo contentis? cum non ſolum aurum & argentum in fodinis inveſtigent, verum etiam iſtius quærendi cauſa ad ipſos Indos uſque proficiſcantur. Profecto ſicut à vinea, plane congelata, ab arbore planè exſiccata, à fructu plane immaturo, ab aqua plane commota, â pane peſſime cocto, ab auro plane fallaci, ſic & ab hoc ſeculo tam ſuſpicioſo, quid quæſo nos aliud præter malum poſſumus expectare?

Si legamus id quod de Aulis Principum Aſſyriæ, Perſiæ, Macedoniæ, Græcię, Romæque ſcriptum eſt, cumque noſtris deinde conferamus, tã malos vitioſoſque mores in noſtri ſeculi Rebus publicis inveniemus, ut ejuſmodi ne quidem veteres excogitare non dicam perpetrare auſos fuiſſe cuivis innoteſcat.

Felicibus

Felicibus illis præteritis temporibus, aureiſq; ſeculis, qui male duntaxat audiebat, hominum bonorum conventus adire non audebat: ſed hodie (proh dolor) diſſolutio corruptioque morũ adeo communis eſt, ut malum eſſe perparvi momenti res exiſtimetur, ſi non omnem plane pudorem amiſerit. Aulici mihi nequaquam inficiabuntur, quod per id tempus quo Regem ſurrecturum præſtolantur, alij alijs omnia quæ nocte præteritâ commiſerint, enarrent: quomodo nempe colluſerint, quomodo juraverint; quomodo mulieres inibi congregatæ riſerint, quæ belle beneque comptæ fuerint: ſic ut illas quoque quas adulterarunt, interdum nominare non vereantur. Quippe quemadmodum mundus jam novus eſt, ſic & novæ ſunt inventiones, ludi novi, veſtitus novus, novitatis affectatrix oratio, novuſque, adeo fallendi modus. Quovis anno, quovis menſe, quinimo quovis die, quid? quavis hora mortalium vitia dilatari nec non amplificari, unam vero virtutem extenuari videre licet: ideo quod in aula virtus adverſarios habeat millenos, vitij vero fautorum numerus inſuper ibidem ſit infinitus.

Si conſuetudo quædam laudabilis in aulam fortaſſis introduci debeat, illa tam cito adduci non poteſt, quam indidem rurſus ejiciatur: cũ contra vitium non tam cito ſenſu percipiatur quam recipiatur & foveatur.

Legiſlator Lycurgus ſuis legibus expreſſiſſime jubebat, ne in ſuam rempublicam peregrini commearent, ſui vero cives in alienam intrarẽt, & id eam ut ipſe dicebat ob cauſam, ne propter eorum commercium vitiis barbariſque moribus inficerentur. Eo tempore, quo M. Portius Conſulatu fungebatur, excellens quidam Muſicus, & ita omnibus inſtrumentis ludendi peritus è Græcia Romam veniebat, qui, quod in cithara ſua chordis una plus, quam conſuetudine receptum eſſet, tenderetur, cithara totius populi conſenſu combuſta, proſcriptus eſt. Noſtrum ſeculum Muſicam facile toleraret, neq; de eo an cithara chordas nimis multas habere videretur, magnopere laboraret, ſi viros ſaltem ſatis cordatos judicioque maturo præditos habere poſſet. Plutarchus Græcum quendam ſ[illegible] Deæ Berecynthiæ modo quam conſuet[illegible]lio ſacrificaſſet, in Campo Martio lapidibus obrui ſe quondam vidiſſe ſcribit. Suetonius, inter virgines veſtales ſpatio quadragentorum ſexaginta quatuor annorum quibus earum virginum templum ſtetiſſet, præter quatuor, Domitiam, Rheam, Albinam & Corneliam, quæ publicè ſpectantibus omnibus vivæ ſunt conſepultæ, nullas alias flagitijs obnoxias fuiſſe repertas ait. Si quis hodie Catalogum quendam ſimilium ſimili pœnâ plectendarum faceret, unde quæſo carnificum numerus ad id perficiendum ſufficiens ſuppeteret.

Publius Trebellius ab Aureliano quinto Imperatore, bonum quendam amicum Rogerium nomine, officio Dictaturæ privatum fuiſſe, ſcriptum reliquit, quod nimirum in nuptiis vicinæ ſuæ Poſtoriæ Aviæ ſaltaſſet: affirmante Imperatore: bono Judici gravitatem ſuã eo uſque, ut ſeſe rebus adeo vilibus atque popularibus immiſceat, abjicere non convenire. Nos interim quicquid Imperator ille fecerit, ſeculi noſtri Judicibus, ut in choreis quantum velint, pedes commoveant, libentiam facile damus, ſi ſaltem manus habeant continentes. Pauperes enim litigatoris intereſt perparum, ſive judex choreas ducat ſive ſaltet, ſiquidem litiganti Juſtitiam ſine mora adminiſtraret: id quod accidere perraro cum ſoleat, optandum eſſet Imperatorem Domitianum è mortuis excitari, qui, quemadmodum Suetonius aſſerit, edicebat, ut, quicunque litem ullam ultra annum unum prorogaret, is ex urbe Roma ejectus in exiliũ perpetuum relegaretur. Quæ quidem lex ſi ad noſtra uſque tempora fuiſſet obſervata, Romæ nec non aliis in locis major proſcriptorum quam civium certe numerus eſſet futurus.

Multos illuſtres viros Aulas, aliaſque magnas civitates reliquiſſe, domumque ſuam non tam neceſſitate, quam voluntate reverſiſſe.

CAP. XVII.

Marcus Craſſus Romanorũ Dux, propterea, quod & in bello fortis & in negocia domeſtica pertractanda ſapiens [illegible] concelebratus valde fuit. Hic eſt ille Craſſus qui partes Syllæ Conſulis contra Marium Julium pro Cæſarem, qui poſtea Dictator fuit, ſequebatur.

Cum

Digitized by Google

vos verò nonne ſciebatis Lucullum cum Lucullo cœnare ſolere? Plutarchus de exercitiis, quibus ex eo tempore, quo in locum prænominatum ille ſeſe recepiſſet, fuerit occupatus, verba faciens, cum venationibus & aucupiis, inprimis autem librorum Bibliothecæ ſuæ lectione jugique diſputatione delectatum fuiſſe dicit.

Ælius Spartianus ait, Diocletianum, cùm annos duodeviginti regnaviſſet, imperio ſeſe abdicaſſe, reliquumque vitæ ſuæ tempus in ocio paceque tranſigendi cauſa rus ſeſe recepiſſe dicentem, Aulæ conditionem periculoſam delinquendi, villæque pacatam ſuſcipiendi tempus appetiiſſe. Duobus ab eo tempore quo Regnum deſeruiſſet, elapſis annis, ad eum Romani ſolennem quandam Legationem mittebant, ſummâ animorum contentione petentes, ut ſuam Rempublicam reſpiceret tamen, ad eandemque reverti ne dedignaretur, illique promittebant, quod quamdiu viverent, nullus alius præter illum nomen Imperatoris eſſet impetraturus, cùm legatio ad ejus usque domum perveniſſet, cum in hortulo quodam lactucis extirpandis & cepis ibidem plantandis intentum reperiebat. Qui poſteaquam audiviſſet id, quòd iſta Legatio flagitatum veniſſet, nonne vobis, ait, amici mei melius eſſe videtur, ut is qui lactucas has plantavit, irrigavit, ſuſtentavit, denique eiſdem cum gaudio veſcatur, quàm ad Rempublicam ſeditionibus revertatur? Expertus ego ſum, quid in aula ſit imperare, quid item in agro laborare. Sinite me quæſo hic in pace. Ego namque multis omnino modis hic è manuum mearum labore vitam degere, quàm magnâ ſolicitudine imperare malo. Quis ex hoc Imperatorio exemplo, quanto felicior agricola ſit aliquo Principe, colligere non poſſit?

Cleo nec non Pericles in adminiſtrandâ Republica Soloni qui vir doctus habebatur, & à Græcis propter leges quas Athenis tuliſſet, pro Semi Deo reputabatur, ſuccedebant illuſtres illi duo gubernatores, vehementer amabantur. Pericles, quidem (veluti Plutarchus narrat) ideo, quod intra triginta ſex annos quos adminiſtrandis urbis negotiis præfuiſſet, eũ nunquam quisquam vel in alienam domum intrare, vel cum plebe in publico loco conſidere vidiſſet, hunc amorem ſibi conciliavit. Is annum agens ſexageſimum Athenis diſcedebat, inque parvam quandam villam ſeſe conferebat: ubi reliquum vitæ ſuæ agriculturæ ſtudendo, tædiumque tali ratione fallendo peregit. Domi ſuæ parvam quandam nec non anguſtam portam habebat, ſuper qua ſic ſcribi juſſerat:

Inveni portum, ſpes & fortuna valete.

Volens ita dicere: Cùm jam (nempe poſt vanitatis notitiam) portũ requietis invenerim, valeat ſpes & ipſa fortuna. Hoc exemplum ſatis oſtendit, quod nullus aulicus affirmare poſſit, ante ſecuram vitam ſeſe tranſigere, quàm privatim vivere inceperit.

Lucius Seneca (qui Neronem ſextum Urbis Romæ Imperatorem in bonis moribus dirigebat, & in bonis literis inſtruebat, & ita apud eum viginti quatuor annos commorabatur, magnisque negotiis publicè privatimque gerendis, ob ingenium rerumque experientiam præficiebatur) cum jam conſenuiſſet, cumque perpetui negotiorum quaſi conflictus tæderet, aulæ valedicto, in ſuum quoddam prædium prope Nolam Campaniæ ſeſe recipiebat, inibiq; longum tempus adhuc vivebat. Ejus enim rei teſtes libri de officiis, de Ira, de bono Viro, de adverſa fortuna, quos eo tempore conſcripſit, locupletes eſſe poſſunt. Eum tandem aliquando (fortuna nec non hominum malitia ſuum facientibus officium) Nero proprius ejuſce diſcipulus è medio tolli mandabat: non ideo quidem quod crimen aliquod morte dignum commiſiſſet, aliudve quippiam, quod honeſtum virum dedeceret, unquam deſignaviſſet: ſed ideò quod impudica Domitia ei malè vellet.

Notatis igitur hic, ingenue Lector, quod fortuna quandoque non minùs illos, qui Aulâ relictâ domum reverſi ſunt, quàm ipſosmet Aulicos perſequatur. Scipio Africanus Romæ tanti fuit habitus, ut cum viginti duos annos in Aſia, Aphrica, Hiſpania, ſemper ab hoſte victoriam reportando, bellum geſſiſſet, nihil tamen ullo tempore quod illi jure poſſet exprobrari, commiſiſſe judicaretur. Is Africam ſubegit: Carthaginem expugnavit: Romam clade Cannenſi afflictam inſtauravit. Cùm annos quinquaginta duos vixiſſet, è Curia Romana diſcedens, in parvam quandam villam inter Puteolos & Capuam ſeſe recipiebat, ubi vitâ ſolitariâ tantopere delectatus eſt ut intra annos undecim,

quos inibi vivebat, ne ſemel quidem Romam Capuamve ſit ingreſſus. De Divino Platone, qui natus eſſet Lycaoniæ: educatus in Aegypto, literis informatus Athenis, memoriæ proditum legimus, quod Legatis Cyroniis ab ipſo leges ſui bene ſecureque regendi petentibus difficilimum eſſe, homines ampliſſimâ fortuna ditatos legibus continere. dixerit. *Vix*, inquit, *fieri poteſt, ut divites legum rigori ſubjiciantur*: Ille Plato (ut ad propoſitum propius accedamus) importunitatis amicorum ſuorum populiq; clamoris impatiens in villam quendam duobus miliaribus Athenis diſtantem ruſticarum commigrabat: ubi bonus ille ſenex, cum annos quatuordecim plenos docendo ſcribendoque conſumpſiſſet, vitam ſuam, ob id ſane felicem finiebat. Ex eo tempore, veteres illam villam in demorrui memoriam vocabant Academiam, quod Latinis eſt Schola.

Eorum quæ diximus, hæc eſt ſumma: quod illuſtres illi Principes hominesque ſapientes antea commemorati, Monarchias, Regna, civitates, magnaſque divitias deſeruerint, ruſque ſeſe contulerint, ut honeſtam paupertatem, tranquillamq; vitam ſibi quærerent. Id quod nō eo loquor, ut illorum quenquam quia pauper, inhonoratus vel excommunicatus ibi fuerit, ideo aulam reliquiſſe, ſignificem, cum quilibet illorum id quod fecerant, liberrimè facientes, prius vitæ ſuæ mederi, quam morerentur, elaborarint.

Auctor non ſine magnis rationibus de annis quos in aula perdiderit, hic conqueritur.

CAP. XVIII.

EGomet ipſe vitæ meæ rationem quęram ex memet ipſo, cum ſcilicet in finem, ut annos cum laboribus, labores cum annis conferent me, quam diu vivere deſierim, morique inceperim, videant atque cognoſcant omnes. Vita mea mi lector, non vita, ſed mors quædam prolixa fuit. Dies mei luſus aliquis ſæpe redintegrandus: anni mei ſomnium permoleſtum: voluptates meæ, ſcorpiones: Juventus mea quidam ſomnus evaneſcens fuerunt. Proſperitas mea proſperitas revera nō fuit: ſed propriiſſime loquendo, arx quaſi picta quędam fuit, & collectus è notho metallo theſaurus.

Cum valde juvenis adhuc eſſem, in Aulam me conferebam, variaſque fortunæ vices, officiorum diverſitates, aliaſque mutationes, inter ipſos etiam Principes, quibus inſervij, videbam. Per mare terramque proficiſci quantus labor, quantaque moleſtia ſit, experiebar. Id quanquam mihi melius quam metebar, recompenſaretur, verum tamen eſt, quod cum gratioſus aliquandiu fuiſſem, è gratia me ruſus excidiſſe viderim. Varios fortunæ experiebar caſus: habebā in aula & amicos & inimicos: audiebā falſas accuſationes; quandoq; lętus, quandoq; triſtis eram: quandoque dives: quandoque pauper; extollebar quandoq;, quandoq; ruſus ex improviſo deprimebar. Quid? aula mihi larva quędā fuit, ubi operā & oleū perdidi. Quid deinde? quid, ô anime mi, pro tam longo ſervitio cōſecutus es? Salariū nempe quod abſtuli, caput eſt plane canum: pedes podagroſi, os edentatum: renes calculoſi: patrimonium pignori datum: caput cogitationibus gravatum; anima peccatis coinquinata. Reſtant adhuc (eſt enim dicendum quod res eſt) alia: quod nimirum corpore ſim plane defatigato: judicio plane ſtupido: quod tempus omne meum mihi perierit: quod melior ætatis meæ pars præterierit: & quod pejus eſt, quod nihil in mundo mihi ſapiat amplius & memet ipſo minus, quam malis iſtis omnibus ſim contentus.

De vitæ alterationibus, fortunæque mutationibus quid quæſo dicam? In Aulam innocens ingreſſus ſum, Malitioſus egreſſus ſum. Abij eo verax, redii mendax! abij eò humilis, redij arrogans: abij eo ſobrius, redij helluo, abij eo humanus, redij talis, ut mecum nemo converſari poſſit. Ut verbo dicam, quod ſentio, me totum in aula corrumpebam Hujus autem rei culpam me nequaquam in meos Præceptores transferre poſſe fateor Sic enim vitia ſunt, ut ſine Præceptore facilimè diſcantur: at ſine caſtigatore nequaquam dediſcantur. O miſerabilem me? qui vivens in aula, de meis facultatibus rationem inierim, non ideo quidē ut indigentibus aliquid impertirem, ſed ut, an diminuerentur necne, ſcirem? qui de honore meo rationē inierim, ut eum facerem ampliorē,

non

Digitized by Google

non autem meliorem: de tempore verò, ut mihi divitias, at non virtutem cōpararem: qui cū Camerario ſeu Quæſtore rationem inierim ut quantum mihi deberetur intelligerem, non autem cum egeno, ut, an quid eum juvare poſſe, nec ne, perſpicerem: qui cum ſervis meis rationem inierim, ut quomodo illi mihi ſervirent, non autē, quomodo ſe gererent, intelligerem: qui de vita mea rationem inierim, ideo magis ut illam conſervarem, quam emendarem. En amice Lector rationem meam: en calculum meum, & Arithmeticam præpoſteram.

Pergamus ulterius, exercitiaque mea videamus Nullum plane tempus in aula peregi, quo non aliquem, cui male vellem, reperirem: nullū, quo gradiens in Palatio feneſtram quandam ad contemplandum, & aulicum quendam, qui mihi occaſionem præbeat ad murmurandum, non invenirem. Nunquam Principum quenquam conveniebam, quin de quopiam reſponſo male contentus ab eo diſcederem. Nunquam dormitum concedebam, quin haberem de quo mihi conquerendum perſuaderem. Nunquam expergeſiebam quin ſuſpicarem. Nunquam domi eram, quin & hoc diſpliceret: nec ullus alius locus unquam fuit oblectus, qui ſatis arrideret Cum boni quicquam facere me velle mecum conſtituebam, nimij ſumptus contrarium ſuadebant; Cum ſtudijs incumbere volebam, ſocij me ſuperveniebant. Cum horam duntaxat unam ad ocio cuidam honeſto impendendum liberè mihi ſumere cupiebam, alia negocia me impediebant. Cum autem relinquere me velle conſtituebam, nomina me atque æs alienum & avaritia detinebant. Cum me aliquo vel unam horam abdebam, cogitationes meæ me veluti martyrio quodam afficiebant. Quid multa? Nullum mihi tempus erat, quo non plus in animo perturbationum ſentirem, quam crumena mea nummorum contineret: quamvis hæc omnia cum ſequentibus collata mihi fere nihil eſſe videantur. Nam quotidie mihi paribus indignabar, me ſuperioribus adulabar, me minores non miſerabar. Perpaucos & certos aliquos amandos, reliquos vero cunctos malevolentia inſectandos eſſe mihi perſuadebam. In omnibus aliquid quod reprehenſione diguū videretur, inveniebam: ſed contra me nullum quidem verbulum proferri patienter audiebam. O, quam ſæpe meæ cogitationes adeo fuerunt evagatæ, ut cibum in os ingeſtum obliviſcerer, mecumque ſolus magnâ voce, velut omni ſenſu deſtitutus aliquid eloquerer! Quam ſæpe mihi contigit, ut exiens è ſenatu fatigatus, aut è Palatio iratus, neque ſervos meos audire, neq; eos qui negotiorum apud me gerendorum gratia miſſi ad erant, expedire voluerim. Quam ſæpe me vidi ſic omnia faſtidientem fercula, ut quid mādūcare vellem, ſcire nō poſſem, tametſi mihi permulta quidem ſuppeditarentur! ſic iræ meæ perturbationibuſque moderari quoq; non poteram, quantumvis eſſent, qui me conſolarentur. Bone DEUS, quam Sæpe ad aulam deſerendum, & in aliquam ſolitudinem commigrandum, & ſic Eremiticam vitam profitendum me ſtimulavit invidia. ideo ſcilicet quod aliquos à Rege promoveri, me vero quodammodo deſperantem apud ipſum in ignoratione perpetuâ verſari viderem. Præterea quod omnium moleſtiarum mearum complementum videri poſſit, quotidie de negociis aulicis aliquid novi perveſtigandi cauſa pererrabam, quotidie quid mihi poſſet evenire, cogitabam, quotidie, quid quis de alio commemoraret, auſcultabam, quotidie hinc inde curſitabam, explorans omnia, auſcultans omnia: & omnibus bene conſideratis, ſecundum rationem à me ſubductam nihil deprehendebam reliquum, niſi quod me in magna captivitate triſtitiaque damnationi addicere.

Pergamus ulterius. Cum divitijs abundabam, unuſquiſque devorare me cupiebat, cum paupertate laborabam, nemo ſuccurrebat; amici mei importuni me divexabant: inimici mihi mortem cogitabant, multiloquium aures mihi obtundebat: taciturnitas obdormire me faciebat: ſolitudo me triſtem reddebat, ſodalitium nimis magnum me gravabat, exercitium nimis immoderatum me defatigabat, & ocium me condemnabat. Quid multa? Ego in aula tantopere macerabar & excruciabar, ut quemadmodum mihi mortē precari non auderem, ita quoq; vitam diutius prolongari non deſiderarem.

Quibus virtutibus auctor in Aula fuerit exutus, & in quibus in contrariam partem malis moribus ibidem ſit imbutus, exponit.

CAPUT XIX.

VEtum quid? fortuna mea præteribat, amici mei moriebantur, vires meæ debilitabantur, vita mea declinabat, priores mei ſaltus me deficiebant. O ſi ſemel omnia prorſus abſoluta peractaque metu fuiſſent! Id enim multo longeque mihi præſtitiſſet. Omnibus autem bene perpenſis & æquâ lance ponderatis, inprimis equidem de perfidioſo meo corde, quod nunquam res vanas deſiderare, & de lingua, quæ verba quibus aliis detraheretur, nunquam deſinebat diſſeminare, queror.

Amice Lector, ne mihi ſuccenſeas quæſo, ſi quantum poſtquam ab Aula receſſi ab eo qui nunc temporis eſſem, cùm me primum conferrem, diſcrepârim, paucis dicam. Primò cùm me in Labyrinthum Chimeræ iſtius aulicæ præcipitarem, religioſus, bene moratus, meticuloſus eram, ubi eò me contuliſſem, mox improbus, otioſus diſſolutus, deque animi ſalute procuranda non admodum ſolicitus eſſe diſcebam. Juvenis & corpore bene diſpoſitus in aulam me conferebam, cum ibi eſſem, auditu ſurdus, viſu luſcus, inceſſu claudus, tactu chiragricus, ad laborem debilis, canus, ſenex, ambitioſusque fiebam, & id adeo quidem, ut præ nimia animi inconſtantiâ, ubi pedem figere, fundamentum velle ponere, prorſus ignorarem. Animus meus erat adeo depravatus, ut ab omnibus omninò negotiis immunis eſſe cuperet, cum nihilominus quocunque ſe verteret periculi erucia tusque inveniret affatim.

Conſtituebam aliquoties aulam me derelicturum, ſed ejus me tantoperè pœnitebat è veſtigio, ut poſtero die magis in Aula quàm Miſſa adeunda cogitationes meæ eſſent occupatæ. Conſtituebam ex hoſpitio me pedem non emiſſurum, mox deinde diſcurſare me oportebat, Conſtituebam invidiæ me locum non amplius eſſe daturum, ſed affectus animi ſeſe tum primum omnium maximè augebant: Sic, ut omnia mea Sancta deſideria redderentur inutilia, aliudque nihil agerem, niſi ut temerè multa mecum conſtituerem facienda, quorum poſt exequerer omninò nullum. En tibi quomodò quaſi vento, nec non frivolis, ut alii quidem præter me multi imaginationibus usque vixerim. Memini quidem adhuc, aliquoties me ſolum in aula ſpaciantem aliâ re nullâ delectatum fuiſſe, quam quòd Regem Principesq; me gubernare mihi perſuaderem. Item quod in nobili nec non antiqua familia natus rerum cognitione, reliquos excellerem, quòd gratioſus eſſem: ſicque ab aliis omnibus amerer, quòd cautus in conſilio dando, moderatus in loquendo, elegans in ſcribendo, prudens in ſerviendo & omnibus acceptus eſſem. At eum paulò poſt ex iſto meo fuco veluti ſomnio quodam excitatus, pedes meos contemplarer, deauratas illas animi mei cogitationes eſſe falſas, atque in aliis potius veram & expreſſam formam ineſſe, ejus quod de me per ſomnium quaſi depictum videram, facilè perſpiciebam.

In id, ut ab omnibus ſanctus, doctus, humanus, meo contentus, bonoque zelo præditus æſtimarer, omnibus omnino modis incumbebam: Cùm mea voluntas ex altera parte nihil eſſet aliud niſi malitiæ quidam gurges, & quaſi vaſtum quoddam pravarum cogitationum mare. Hic error veluti mihi ſic aliis omnibus aularum ſectatoribus accidit, quod ſtultam libertatem & honorem, res inter ſeipſas incompatibiles (cum ſcilicet inordinata voluntas virtuti contraria ſit) conjungere velint atque copulare. Ad me vero quod attinet, amice Lector, gratiæ ſint Domino noſtro Servatori; quod actiones animi depravatas aliquatenus eſſe mortuas intelligam. Nam cùm adhuc inſervirem, deſiderare ſolebam; ut aula ſæpius alio ſum transferretur: jam vero ſive è meâ domo prodeam, ſive non, perparum ſanè curo. Optabam res novas audire, de quibus jam ne cogitare quidem ſoleo. Sine Sodalibus eſſe non poteram, ſed jam planè ſolus eſſe malo. Improbis, mendacibus & impoſtoribus audiendis atque videndis me delectabam, ſed jam profecto vel centies mori me mallem.

Venando,

Venando, piſcando, bombardâ ludendo me recreabam, ſed jam nihil aliud mecum cogito, niſi ut tempus quod inutiliter mihi periit, deplorem, temporis illius, quo me Cæſar è conventu & cœnobio quodam ſecum abduxit, recordatus. In eo enim ab ineunte ætate, magna cum ſeveritate nutritus & educatus quidnam mundus eſſet ignorabam, meisque ſolum devotionibus & diſciplinis occupatus, literis incumbebam, de media nocte ſurgebam, ægrotantes conſolans erigebam, Evangelium, alioſque libros bonis inſtitutis abundantes legebam quid multa? Quilibet ut in virum bonum evaderem me juvabat, & à malo perpetrando revocabat. Si boni quid agerem, laudabar, ſi mali quid increpabar: ſi triſtarer, unusquisque me conſolaturus viſitabat: ſi ad iram provocarer me placabant: ſi tentarer pro me Deum rogabant.

O quam magnam habeam occaſionem me magis ob id quod requietem & tranquillitatem religionis neglexerim, contriſtandi, quam de Epiſcopali dignitate ad quam poſt evehebar, lætandi. Nam velut in religione portus eſt omnis boni, ſic in Epiſcopali ſtatu, in cujus dignitate conſtituebar, eſt ipſum quaſi mare quavis rei impenſo, fortunaque non conſiderata meliores meos annos exegerim. Quod cum ita ſit, admoneo lectorem, ut ſi vivat in aula, exemplo meo vel melius ac ego feci facere diſcat, vel eandem citius ac ego feci, deſerat. Id ſi faciet, ut hominem ſapientem, bonoque conſilio nitentem, vivere ſeſe velle ſecum deliberaſſe, declarabit.

Auctor ſumma quadam Eloquentia mundo valedicit.

CAP. XX.

VAle mundus, ideò quod tibi mortalium nemo confidere ſecurè poſſit, propterea quod in domo tua, ô mundus, præterijt id, quod præterijt, quod præſens eſt, facilime labatur, quod adhuc eſt futurum appropinquat tardiſſime, quod omnium maxime viget, id laxatur, quod omnium maxime riget, id rumpitur, quod eſt omnium maximè perpetuum, id deficit, ita quidem ut è centenis annis quod tempus ad vivendum mortalibus conceſſum putari poteſt omnium longiſſimum, ſæpenumero nequidem unum duntaxat annum vitam nos agere permittas.

Vale mundus, ideo quòd accipis & nihil reddis, triſtitiâ afficis, & non conſolaris, furaris & non reſtituis, pacem turbas & non reparas, prius accuſas, quam quis conqueratur, ſententiam prius pronuncias quam utraque pars audiatur, eò uſque ut nos interficias, & vivos interim ſepelias.

Vale mundus, ideo quòd in te vel per te gaudium prorſus eſt nullum ſine perturbatione, pax nulla ſine diſſenſione, amor nullus ſine ſuſpicione, tranquillitas nulla ſine timore, abundantia nulla ſine defectu & penuria, honor nullus ſine macula, divitiæ nullæ ſine conſcientia, ſtatus omnino nullus, in quo non aliquid quod reprehenſione dignum videatur, inſit.

Vale mundus, ideò quòd in Palatio tuo promittunt homines, & non præſtant, ſerviunt & mercedem non reportant, alliciunt alios, ut eos decipiant, laboribus incumbunt, ut ſe moleſtiis afficiant, rident ut mordeant, auxilium ferunt, ut ad cadendum impellant, mutuum dant, ut ſtatim recipiant, honorant ut blaſphement, caſtigant, ita ut veniam nullam concedant.

Vale mundus, ideo quod ij qui in te auctoritate valent, dejiciantur, ij vero qui infamiâ laborant, extollantur, quod ij qui produnt alios ſtipendia conſequantur, ij vero qui fideliter agunt, plectantur, quod ij qui pacem conciliant, infeſtentur, ij vero qui ſeditiones excitant, amẽtur, ideo quod ſuum pauperibus eripiatur & divitibus conferatur, ideo quod flagitioſi liberè dimittantur. innocentes vero condemnentur, ſapientes dimittantur, ſtulti retineantur, breviter ideo. quod in te quilibet ex parte contra id quod vult, omnino vero contra id quod debet, præpoſtere faciat.

Vale Mundus, ideo, quod tuis in delicijs nemo nomine proprio nominatur. Is enim qui temerarius, eſt fortis, qui timidus, frigidus, moleſtus & importunus, diligens, triſtis, pacificus prodigus, magnificus, avarus, parcus, garrulus, eloquens, ignarus, pauciloquus, diſſolutus, amaſius, modeſtus ſtultus, perturbationibus obnoxius, aulicus, vindictæ cupidus nobilis appellatur: Ita quidem, ut tu nobis, ô mundus, injuriã

Digitized by Google

pro jure , & jus pro injuria divendas.

Vale mundus, ideò, quod tam totum mundum, ambitioſis,honores,& iis qui ad aliquam dignitatem pervenire cupiunt, magiſtratum, mutationes & depoſitiones, negocioſis officia, avaris theſauros, guloſis ſympoſia, hoſtibus vindictam,furacibus latebram, ſenibus requietem,juvenibus opportunitatē, & omnibus adeo mortalibus aliquid incerti pollicitando, ſpe vanâ lactes.

Vale Mundus, ideo, quod in tua quaſi domo fidelitas non ſervetur, veritas non ſuſtentetur: eâ de causâ: quod ibidem alii gaudeant, alii verò ſtupeant, moleſtentur, vagentur, deſperent, cogitationibus ſe prægravent, perturbentur,aut alioquin nihil verecundentur, & iſti omnes in unam ſummam collecti, plusquàm perditi ſint.

Vale Mundus, ideo quod is qui in tuo ſodalitio ſe tutiſſimum eſſe putat in ſtatu inconſtantiſſimo verſatur,qui te ſequitur,aberrat,qui tibi ſervitium præſtat, ſalarium vix ullum conſequitur, qui te diligit.modis indignis excipitur, qui contentum te reddit, contentus non efficitur, qui tecum familiariter agit, peſſime decipitur.

Vale Mundus, ideo quod adeo ſis infelix, ut apud te muneribus quæ tibi repræſentantur,officiis quæ tibi præſtantur, mendaciis quæ tibi dicuntur, convivtis quæ tua cauſa inſtituuntur, fidelitate, quæ tibi ſervatur, amore, quo quis te ſectatur, nihil omnino obtineri poſſit.

Vale Mundus, ideo quod tu decipis omnes, infamas omnes,caſtigas omnes, minaris omnibus, perficis omnia,& aliquando tandem oblivioni tradis omnia.

Vale Mundus, ideo, quod in ſodalitio tuo lamentantur omnes,ſuſpirant omnes, conqueruntur omnes, vociferantur omnes, plorant omnes,& in conviventes moriuntur omnes.

Vale mundus,ideo,quod,qui in te cepit odiſſe, is interficere, qui loqui,is falſum dicere,qui amore proſequi,is deſperare, qui comedere, is vomitum excreare, qui bibere, is ſe inebriare, qui mercari,is compilare, qui delinquere,is in peccato usque ad mortem perſeverare conſuevit.

Vale Mundus, ideo, quod quisquis eſt in te, is infantiam oblivione, pueritiam,experiendo, ætatem juvenilem vitiis,virilem negotiis,ſenectutem querelis,adeoque totum vitæ ſuæ curriculum ſpe vanâ conſumit.

Vale Mundus, ideo,quod quisquis eſt in ſchola tua, is capite calvus, oculis lippus, auribus ſurdus: naribus pituitoſus, fronte rugoſus,pedibus podagricus,renibus calculoſus,ſtomacho malis humoribus, capite hemicraniâ, corpore doloribus, animo paſſionibus omnino plenus inde diſcedit.

Vale Mundus, ideo quod quiſquis te ſectatur,bonus eſſe non cupit, Hoc enim inde convincitur,quod in te ſingulis diebus falſarios notari, fures ſtrangulari,homicidas decollari, latrones rotis imponi, prædicones flammis exuri, falſos monetarios aquis ferventibus exſtingui, parricidas forcipicibus diſcerpi, alioſque complures Juſtitiæ violatores aliis pœnarum generibus affici videamus.

Vale Mundus, ideo quod ſervi tui nullas alias quibus ſeſe delectent, delicias habent, quàm ut in plateis diſcurrant, alios irrideant,matronis ſupplicent, dona mittant, virgunculas decipiant, literas amatorias conſcribant, lenas conveniant, talis ludant, contra vicinos in judiciis agant, nova recenſeant,mendacia excogitent & vitia nova ſomnient.

Vale Mundus, ideo quia in Palatio tuo nullus eſt qui bene velit alii. Urſus enim contra Leonem, rhinoceros contra crocodilum, aquila contra vulturem,elephas contra Minotaurum, accipiter contra milvum, urus contra taurum, homo cõtra hominem, & univerſa contra mortem prælio decertant.

Vale mundus,ideo, quia in te nihil omnino, quin nobis pernicioſum ſit, inveniatur. Cùm terra ante pedes noſtros fatiſcens, nobis dehiſcat, aqua nos ſummergat, ignis nos urat, aër male temperatus nos inficiat: hyeme frigus, æſtate nos æſtus moleſtent,canes nos mordeãt, æluri ſuis nos unguibus lacerent,aranei nos venenent, culices nos pungant, pulices nos exedant,& in primis negotia nos planè devorent.

Vale Mundus, ideo,quod per terram tuam ſecurè nemo proficiſcatur. Nam poſt unum & alterum quodque veſtigium lapides quibus ad caſum impellamur,ruinoſi pontes & nives, quibus impediamur, montes, quibus terreamur, fures,à quibus exuamur, caſus, quibus gravemur,infortunia quæ nos ad mortem impellant, offenduntur.

Vale

Vale Mundus, ideo, quod in tuo territorio numerus bene recteque valentium perexiguus reperiatur. Nam alii leprâ, alii ſcabie Gallicâ, alii carcinomate, alii podagrâ, alii porrigine, alii ſciatica, alii calculo, alii febribus aut lentis aut erraticis, aut tertianis aut quartanis, alii ſpaſmis, alii paralyſibus & potiſſima hominum pars bella pulchtaque ſtultitia laborant.

Vale Mundus, ideo, quod in domo tua nullus omnino degat, quin aliquo naturæ mendo ſit inſignitus. Nam ſi quis ſit procerus, ille mox arcus in morem curvatur; ſi quis pulchrâ ſit facie, ille oculis nigricantibus deformatur, ſi quis pulchro ſit fronte, ille mox corrugatur, ſi quis pulchro ſit ore, ille mox edentatur, ſi quis pulchras manus habeat, ille malo crine, ſi quis ſit rufus, ille malâ cute dedecoratur.

Vale Mundus, ideo, quod domeſtici tui voluntatibus inter ſe ſini adeo diſcrepantibus, ut ſi unus ex illis aulam velit intrare, alius ſuper mari velit navigare, ſi unus ex illis velit eſſe mercator, alius velit eſſe terræ cultor, ſi unus ex illis venatu, alius piſcatu delectetur, ſi unus ex illis Monarchiæ præſideat, alius ſub ejuſdem prætextu miſeram plebem expilare ſtudeat,

Vale Mundus, ideo, quod domeſtici tui nec ad vivendum nec ad moriendum, & ad hoc poſterius multò quidem minus ſint conformes, quod revera alii in ipſo ætatis flore juvenes, alii ſenes, alii ſuſpenſi: alii ſummerſi: alii inediâ, alii luxuriâ, alii dormientes & requieſcentes: alii ex improviſo, multoque ſæpius de morte nihil omnino cogitantes emoriantur.

Vale Mundus, ideo, quod in te neque conditionis neque converſationis hominum inter homines ulla certa ratio ſit. Nam ſi unus eſt ſtultus, alter eſt ſapiens, ſi unus ſubtilis & argutus, alter rudis & craſſus: ſi unus magnanimus, alter vecors: ſi unus pacis ſtudioſus, alter ſeditioſus: ſi unus eſt peritus & ingenioſus, alter eſt fatuus, adroque rerum omnium extremè ignarus,

Vale Mundus, ideo quod nullus eſt, qui vivere tecum poſſit. Nam ſi quis nimis parum comedit, is fit infirmus, ſi quis nimis multùm, is fit ægrotus, ſi quis eat, is fatigatur, ſi quis vitam in ocio degat, is obbruteſcit, ſi quis parum donet, is parcus, ſi quis multum, is prodigus appellatur, ſi quis amicos ſuos ſæpius inviſat, is importunitatis maculâ notatur. ſi quis id rarò faciat, is præſumptionis inſimulatur, ſi quis injurias toleret, is puſillanimus, ſi quis ſe vindicet, is temerarius vocatur, ſi quis amicos habeat, is laudatur, ſi quis inimicos, is infeſtatur, ſi quis in uno loco diu commoretur, is diſcruciatur, ſi quis hinc inde crebro vagetur, is delectatur.

Atque ut finis tandem aliquando ſit, dico ego, quod id, quod mihi diſplicet, aliquis accipere me cogitat, cùm id quod mihi lubet, habere non liceat. O Munde immunde, mundanus aliquis te mundum eſſe, per me licet etiam juratus affirmet: ego vero te precor ô munde, contraque te proteſtor ô munde, ut tibi nihil omnino rei ſit mecum, quod ego nihil amplius poſtulem vel ſperem, deinceps abs te. Nam quod attinet ad me, ego ſic vivere morique decrevi, & poſui, velut in Symbolo meo conſequitur:

Jam finem curis, ſpes & fortuna valete.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google